This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

192

2941 e 125

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ J. LAFFITTE, banquier, rue du Mont-Blanc, n° 11.

N. E. LEMAIRE, Editeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

H. NICOLLE, libraire, rue de Seine, n° 12, F^bg. St.-Germ.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10. F^bg. St.-Germ.

P. DIDOT l'aîné, imprimeur du Roi, rue du Pont de Lodi, n° 6.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

C. L. F. PANCKOUCKE, imp.-lib., rue des Poitevins, n° 14.

FR. IGN. FOURNIER, libraire, rue Mâcon, n° 10.

AUG. RENOUARD, libraire, rue St.-André-des-Arcs, n° 55.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

CAII CORNELII TACITI

QUÆ EXTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT C. L. F. PANCKOUCKE
TYPOGRAPHUS.



BIBLIOTHECA BODLEIANA

CAIUS CORNELIUS TACITUS,

inter historicos unicus.

Laguiche del. *P. Audouin Sculp.*

CAIUS CORNELIUS

TACITUS

QUALEM OMNI PARTE ILLUSTRATUM

POSTREMO PUBLICAVIT

JER. JAC. OBERLIN

CUI POSTUMAS EJUSDEM ANNOTATIONES ET SELECTA VARIORUM
ADDITAMENTA SUBJUNXIT

JOS. NAUDET

EX REGIA INSCRIPTIONUM ET LITTERARUM ACADEMIA
IN INSTITUTO GALLICO

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXIX

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

LECTORI salutem . . . . . Pag. j
Ernesti Præfatio anno 1772. . . . . iij
Caii Cornelii Taciti Vita per Justum Lipsium conscripta. lix
Veterum scriptorum de Tacito testimonia, vel ejusdem fragmenta. . . . . lxiij
Annalium liber primus. *Breviarium*. 1
— liber secundus. *Breviarium* 155
— liber tertius. *Breviarium* 281
— liber quartus. *Breviarium* 391
— liber quintus. *Breviarium* 507
— liber sextus. *Breviarium* 521

N. B. Ante postumas Oberlini adnotationes appositum est hoc signum *.

LECTORI SALUTEM.

ERNESTINO TACITO tertium edendo manum admoverat vir celeberrimus, antiquarum literarum stator eximius, FRID. AUG. WOLFIUS, in alma Halensi Academia græcæ linguæ professor, remque ad Annalium libri secundi caput 24 perduxerat. Ei altius dein molienti consilium, Taciti proprio Marte elaborandi et critico adparatu instruendi, succenturiatus ego optimi viri postremas adnotationes a meis distinxi, inque sequentibus ejus vestigia, quantum pro ingenii mediocritate licuit, legere studui. Ad id autem negotii vix accesseram, quum ecce codex Budensis, quo ante hæc tria sæcula BEATUS RHENANUS fuerat usus, quique dudum putabatur deperditus, quasi Deus ex machina mihi adstitit. Eum ergo munificentia viri eximii strenuique belli ducis DORSNERI, tormentariæ rei per Galliam præfecti, ad quem hæreditario jure pervenerat, acceptum de novo contuli, ne-

que hujus est laboris ut me pœniteat. In recensendo Cornelio ita sum versatus, ut recentiora doctorum virorum notata in usum traherem, et ab ipso ERNESTIO, ubi visum esset, modeste libereque dissentirem. Quæ viro immortali, de consilio suo præfanti, videbantur addenda, ita heic inserta leguntur, ut typorum discrimine facile dignoscantur.

ERNESTI PRÆFATIO

ANNI MDCCLXXII.

Cum Suetonii Cæsares, ante hos quatuor et viginti annos, qualicunque cura mea emendatos illustratosque edidissem, jam tum erant, qui hortarentur, ut eandem operam Taciti libris impenderem. Sed, cum non ignorarem, quanto plus laboris ea in re proponeretur, quam in Suetonio exhausissem, ab eo me consilio alienissimum ostendi. Nam, ut mitterem, quanto difficilior scriptor esset Tacitus, quanto major operis moles; illud maxime incommodi ea in re esse, quod nondum quisquam editorum superiorum hoc in se laboris suscepisset, ut editiones veteres accurate inter se conferret, et, unde lectio quæque nata esset, ostenderet; cum satis, tractandis interpretandisque aliquoties Taciti libris, cognovissem, non pauca esse in eorum contextu, ut duobus quidem abhinc sæculis editus esset, quæ temere irrepserint, nec e bonis libris venerint : tot autem libros vel conquirere, vel comparare, quam difficile, quam molestiæ plenum esset, facile intelligi posse. Anno autem post, cum ratio institutorum meorum ita tulisset, ut aliquot Annalium libros publicis in Academia lectionibus enarrarem, animadversa exemplarium in tabernis librariis paucitate, serio rogatus sum, ut id oneris mihi paterer imponi et novam Taciti editionem curarem. Recepto tandem negotio, ante omnia mecum constitui, quid maxime agendum, quid consilii sequendum putarem. Etsi autem videbam, nova editione iis maxime consultum iri, qui in Tacito legendo aliena ope indigerent : tamen ita me comparavi, ut non huic modo rei satisfacerem pro viribus, sed etiam operæ aliquid, si possem, navarem Tacito ipsi, sive potius iis, qui interpretis auxilio non admodum indigerent,

ceterum, quid Tacitus scripserit quoque loco, quæ vera manus auctoris esset, vel doceri, vel judicare ipsi vellent. Et, quoniam prior illa consilii pars procedere sæpenumero non potest, nisi de vera lectione constet, primum omnium hoc egi, ut, veluti materia ac silva critica congesta, vel ipse veras lectiones eruerem, vel acutiores ad earum indagandarum facultatem adjuvarem. In quo etsi temporis angustiæ, in quas me rationes librariæ concluserant, fecere, ut minus, quam spes esset, aut voluntas ferret, efficere potuerim; tamen vel sic me satis felicem lætor fuisse: nam profecto et in hoc genere quædam intelligi felicitas potest, in tempore offerens librorum copiam, quæ aliis idem agentibus defuerit. Etenim ab illo statim tempore tot vetera Taciti exemplaria brevi tempore nactus sum, quot nemini, qui post Lipsium ad edendos Taciti libros accesserit, ad manus fuisse sciam. Ac, ne frustra eæ copiæ mihi contigisse viderentur, hunc mihi laborem sumpsi, ut ea diligenter cum exemplo eo, quod prælis accommodare cogitabam, conferendo, varietates lectionum notarem, et cujusque origines indagarem, efficeremque saltem hoc, ut, si quis post me moliri splendidiorem editionem vellet, labore eorum librorum conferendorum supersedere posset, satisque haberet, consulere eos, quorum facultas nulla mihi fuisset. Quæ res mihi attulit hoc commodi, ut lectionis Cornelianæ prope justam historiam, atque, ut ita dicam, genealogiam nectere possem, et proferre multa, quorum vel negligentia vel ignorantia Tacito et editoribus ejus sæpissime obfuisset. Superioribus sæculis, qui ad recensendos scriptores veteres accedebant, satis habebant, codices scriptos et editos consulere in locis iis, ubi hærerent ipsi, et difficultatis aliquid objectum esset. Itaque tantum lectiones librorum, ad ea loca fortasse profuturas, petebant, non universam lectionis varietatem. Ea re commiserunt, non modo ut iidem libri consulendi essent his, qui post eos ad recensendos eosdem scriptores accederent, si quid alicubi vitii subodorarentur, sed multa etiam intacta ipsi relinque-

rent, quæ ex iisdem libris poterant emendari. Etenim nemo est ita lynceus, ut omnia lectionis vulgatæ vitia sua sponte videat, nec interdum pro rectis probet, quæ vitiosa sint, aut velut plana ac perspicua transeat, in quibus alii aut parum aut nihil intelligant. Casaubonus quidem (ad Suetonium) fatebatur, sibi sæpe accidisse, ut, quæ clarissima putasset, in iis hæreret, cum plana et perspicua eorum interpretatio peteretur. Inde etiam fit, ut subinde viri docti, aut, vitio lectionis animadverso, conjecturis se exerceant, aut explicare laborent, quod vitiosum est; nihil laboraturi, si librorum veterum lectiones omnes notatas haberent ab iis, quibus eorum facultas fuisset. Itaque utiliter hoc institutum est a recentioribus criticis, ut e codicibus scriptis editisque omnis lectionum varietas, etiam manifesta scripturæ vitia, notarentur: unde quantum utilitatis redundaverit ad scriptores veteres, non ignorant, qui in his literis diligenter sunt versati. Tacito quidem quid profuerit, et ante dictum est, et post dicetur planius, ubi accuratius de instituto nostro dicendi locus venerit. Id antequam facerem, visum est diligentius de scriptis Taciti codicibus, in primisque editionibus superioribus dicere; cum ea, quæ ab aliis, velut Maittario, Fabricio, tradita sunt, partim imperfecta, partim vitiosa admodum, certe parum utilia cognoverim. Etenim historia editionum ea demum utilis est, quæ docet, unde cujusque textus ductus sit; utrum ex alia superiori repetitus, an e scriptis editisque libris ab idoneo auctore emendatus: quibus ignoratis, nihil editionum notitia, neque ad delectum in emendo, neque ad usum in emendando interpretandoque, prodesse potest. Quid? quod sæpe accidit iis, qui hoc ignorant, aut non curant, ut carbones pro thesauro eundemque textum aliquoties emant, et pretium statuant libris, non ab usu, quem inde capere possint, sed a vulgari de editoribus opinione; quam sæpe fallere, sciunt periti, et in Tacitoquoque sæpe fefellisse, infra docebimus. Sed illud ipsum, quod maxime in editionum historia videndum est, nemo do-

cere nisi is potest, qui comparandis inter se libris, indagandaque lectionis cujusque origine (quod ei necesse est, si delectum bonarum lectionum recte facere velit) qualis quæque editio esset, cognorit.

Antiquissimi Taciti codices scripti sunt *Florentini duo;* quorum alter libros sex priores (ut, auctore Lipsio, numeramus hodie; olim quinque numerabantur) Annalium continet, alter reliquos et Annalium et Historiarum, ut hodie vocantur. Ille unus est, nec alium scriptum illorum librorum codicem habemus. Nam liber Joh. Jocundi Veronensis, qui a nonnullis commemoratur, apographum illius est, atque ille ipse, quem sæpe Ursinus laudat. V. Gronov. ad A. IV, 36. Itaque non recte faciunt, qui omnium exemplorum scriptorum consensum in istis libris commemorant, quod aliquoties memini me reperire. Codex ille quondam fuit monasterii Corbeiensis in Vestfalia, repertus ab Angelo Arcimboldo, quæstore Leonis X pontificis romani, et ad Leonem delatus: a quo quingentis aureis numis emptus in bibliothecam, post mortem ejus, Florentinam venit. Ex eo edidit hos libros primus Phil. Beroaldus, ut mox dicetur: sed eum post accuratius excussere et cum editis contulere Curtius Pichena et Jac. Gronovius, vir in libris scriptis tritus admodum: quorum diligentia non parum Tacito profuit. Hunc codicem vetustissimum esse constat; ceterum viri docti, qui eum tractarunt, Beroaldus, Pichena, tantum universe ejus antiquitatem commemoravere, cum de alterius ætate et scriptura multi dixerint: unde factum videtur, ut de utroque codice nonnulli, tanquam de uno, loquerentur, velut ipse Abr. Gronovius, V. C. in præfatione editionis Trajecti Bat. a. 1721 promulgatæ, cui parentis notas addidit; cum diversum hunc codicem esse ab altero, de quo mox, certum sit. Vid. Montefalc. *Bibl. MSS.* p. 374. Quod si Jacobo contigisset, ut ipse huic editioni præfaretur, haud dubie accuratiorem ejus codicis descriptionem haberemus. Vid. de hoc codice etiam *Monumenta Paderb.* p. 69, 79.

V. etiam Rhenanus ad A. IV, 43, et ex eo Lipsius ad A. II, 9, et in *Dispunctione codicis Mirandulani.* Ejusdem antiquitatis esse hunc codicem cum Pandectis Florentinis, ex simili utriusque orthographia conjicit Fr. Taurellus in *Præfatione ad istas Pandectas, ed. Flor.* a. 1553. Petrum Danesium, episcopum Vaurensem, vetere codice usum, testatur Ursinus ad A. IV, 20. Capiendum hoc de exemplo Jocundi, autumat Cl. Exterus, sed ipse Ursinus quum hoc contulerit, non opus habebat ejus respectu provocare ad Danesium, quem a. 1534 in Italia veteres scriptores examinasse constat. Potius ergo Florentinum ipsum lustrasse putarim, et hunc esse, quem innuat Ursinus. Parum abest, quin Danesium exscripsisse notas Rhenani dicam, adeo gemella sunt quæ tradit.

Alter Florentinus liber, Pichenæ judicio, a. C. CCCXCV scriptus est. Quem erroris coarguit scriptura libri, quæ Langobardica est: unde patet, eum tempore Langobardici in Italia imperii, aut proxime secutis sæculis, quibus scriptura Langobardica adhuc usurpabatur, decimo undecimove sæculo (nam certior temporis in hoc genere definitio esse non potest), e vetere codice descriptum esse. Nam, quod subscriptionem in calce hanc habet: *Ego Sallustius legi et emendavi Romæ felix, Olibrio et Probino Coss. in foro Martis controversias declamans oratori Eudelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico Coss.* Id bene monet Th. Ryckius ad H. I. init. deberi inscitiæ librarii, qui eam subscriptionem temere e codice eo repetiit, unde Taciti libros descripserat; cujus generis et alia exempla observata sunt a viris doctis, nominatim Salmasio: nec bene vir doctus, in *Novo opere Diplom.*, t. III, p. 279, aliud hujus generis exemplum negat reperiri. Joh. quidem Gerson, in libello *de laude scriptorum*, in principio, quærens, *an liceat diebus festis scribere devotionis libros gratis*, commemorat genus quoddam scribentium, quod appellat infimum, qui nullum penitus habeant intellectum eorum, quæ transcribant, qui quasi pictores appellentur (*t. II, Opp. p.* 694). Ejus generis scriptores cum semper fuerint vel mercenarii, vel monachi, non est mirandum, si codices tales, qualis ille Florentinus est, multi facti sunt, ex iisque superstites sunt plures: nec dubitem codices ejusmodi, pictos magis quam

scriptos, extare, qui longe antiquiores habeantur, quam sint: ceterum sine fraude. Sed, ut redeamus ad librum Florentinum, ad eum primus, quod constet, Pichena accurate recensuit hos Taciti libros. Nam Juntinam editionem anni 1527 ex illo libro aliquid novi boni accepisse, non credo, cum Ant. Franc. Varchiensis, qui ei editioni præfuit, in præfatione nihil aliud commemoret, quam, se, cum ceteris Taciti libris, etiam quinque primos, a Phil. Beroaldo prius castigatos, mox vero a se iterum cognitos, dare, nec ipse comparando repererim, quod ex eo libro ductum videretur. Beroaldus an eo usus fuerit, post videbimus. De auctoritate codicis non satis consentiunt viri docti. J. Gronovius quidem tantum ei tribuit, ut modum excedere videatur. V. ejus notata ad A. XI, 24. Moderatius Grævius judicat, in *ep. ad Heinsium*, t. IV, *Coll. Burm.* p. 498, qui *exemplar, unde ille fluxit, mendosum et ab semidocto interpolatum* putat. In primis observavi, utrumque codicem subinde peccare omissione syllabæ alicujus mediæ. Vid. dicta ad A. II, 63, confusione syllabarum *de* et *di*, omissione literæ *m* in accusativis. Habere et glossemata, constat. Vid. dicta ad XVI, 2. Ceterum ex hoc codice omnia alia scripta Taciti exemplaria fluxisse, ut J. Gronovius videtur credidisse, non audeam pro certo affirmare, etsi consensus omnium in transpositionibus, ut Hist. III, 5, 65, credibile facit. Specimen scripturæ ex l. XII Annal. inseruit Mabillonius *Operi diplomatico*, l. V, tab. 5, n. 5, p. 353; melius dedere *Auctores novi Operis diplomatici*, tab. 49, qui et accurate de eo codice tradiderunt, p. 278, 279, in primis inserenda epistola bibliothecarii Medicei super hoc codice a. 1752 ad Botarium V. C. scripta.

Pichenam decepit epigraphe codicis, putavitque, barbaricos characteres non esse Langobardicos, quippe qui sæculo IV non fuerint in usu. Hoc posterius ut verum est, ita quid inde colligendum, recte noster docuit. In eo contra adsentire huic nequeo, quod ætatem codicis nimium deprimit. Nec video, quid obstet, quo minus ad VII vel VIII sæculum referri queat. Sic Exterus quoque judicat. Veterrimum esse codicem et omnibus reliquis

superiorem, et quidem immenso intervallo, statuit Jac. Gronovius ad H. I, 77. Ex uno isto et primitus corrupto codices omnes esse propagatos, de quo heic dubitat, ipse inferius validis argumentis adstruit.

Post hos principatum tenent *codices Vaticani* (nam Lipsium pluribus usum, non uno, ut colligas ex eo, quod fere *Vaticanum codicem* laudat, patet ex nota ad Dialog. de Or. init. *nam Vaticanis aberat*, sed uno ex his, antiquiori illo, ut appellat, in primis) et *Farnesianus*; quorum excerpta Lipsium habuisse, iisque adjutum esse in emendando Tacito, satis ex ejus commentario constat. Optem cum Grutero (ad Hist. IV, 86), ut Lipsio aut alii cuidam varietates omnes horum codicum, etiam vitia librariorum, excerpere et editioni suæ adjungere placuisset. Sed id temporum istorum rationes non ferebant, ut ante dixi. Ne formam quidem codicum, scripturam, ætatem, in tot editionibus prodidit, quod merito miratur Jac. Gronov. ad Ann. I, 1. Norisius in *Epochis Syro-Mac.* Diss. III, p. 184, ed. Lips. tres codd. Vatic. commemorat, primum inter Urbinates n. 585, secundum et tertium n. 1958 et 3405. Hi duo an diversi sint a duobus recentioribus, quos Montefalconius n. 1863, 1864 adsignat, nescio. Sed Broterius V. C. quatuor reperit, quorum antiquissimus sæc. XIV extremi videretur.

Contulit *Vaticanos* codices nescio quis ante Lipsium, sed admodum negligenter, quod is queritur ad A. XIV, 8. In istis *Vaticanis* censetur nunc n. 1864, *Farnesianus* antea, quem se beneficio Fulvii Ursini adeptum Lipsius refert et ad A. XIII, 36. *Romanum* dicit. Exaratus sæc. XIV aut ineunte XV, complectitur Annales inde ab XI et Historiarum libros. Optimæ notæ est. Lectiones ex eo excerpsisse *Jacobum Corbinelli* et exemplo Beroaldino adscripsisse, Broterius refert. Novissime eum inspexit Jac. Gronovius. Sunt et *Vaticani* recentiores alii, n. 2965, scriptus Genuæ 1449, et n. 1958.

Addendus hic *codex Genuensis*, adhibitus ipse aut ejus similis a Puteolano in editione sua. Is plurium apographorum parens factus, ut Vaticanorum n. 2965 et 1958, item *Oxoniensium*, de quibus paullo inferius.

Lipsius etiam laudat interdum *codicem Hispanum*, qui fuit *Covarruviæ*, JCti clarissimi. Idem etiam mentionem facit *codicis Sambuci*, quem a se consultum dicit super aliquo

loco, cum Vindobonæ esset, ad H. II, 23. Ceterum nondum quisquam eo ad Tacitum emendandum usus est : nisi vero est ipse *Budensis ;* ut videtur, quod Sambuci codices fere e Budensi bibliotheca venere.

Covarruviæ codicem contulit *Andr. Schottus. Budensem* eundem fuisse cum *Sambuci* codice, stare nequit, quoniam is, ex quo Rhenani manibus tritus fuit, nostras has oras nunquam reliquit, nec, si Vindobonam hinc pervenisset, facile huc remigrasset. De isto *Sambuci* videant porro literati homines Vindobonenses.

Ante Lipsium nobilis fuit ille *Budensis codex*, e bibliotheca Corvini regis, quo usus est Rhenanus; qui ei libro plurimum tribuit. Lipsius contra ad A. XIII, 25, non optimæ notæ fuisse censet; J. Gronovius etiam recentem et interpolatum, ad A. XI, 18. Quicquid sit, Tacito profuisse hunc librum, negari non potest.

Corvinianus ille *codex*, qui et *Regius* audit, continet Annalium libros inde ab XI et Historiarum quinque. Titulo caret, unde Rhenano ἀνεπίγραφος dicitur. Forma gaudet folii minoris. Scriptus est in membrana tenui vitulina, charactere minuto romano elegante quadrato ad rotundum vergente. Lineas paginæ habent 27, 28 vel 29. Exterior ejus facies auro oblita et corio rubro tecta est, cui hinc et inde insignia Regis sunt impressa, corvum exhibentia, cujus rostro annulus conspicitur insertus ex auro. Addidisse hunc annulum insignibus paternis Corvinum et solitum esse isto ornatu condecorare libros, docet Fr. Xystus Schier, Augustinianus, in dissertatione *de Regiæ Budensis bibliothecæ Matthiæ Corvini ortu, lapsu, interitu et reliquiis* (cujus editio altera prodiit Viennæ anno 1799), pag. 18, §. III. Fuisse omnino ejus librorum thesauri cultum luxuriosissimum, idem observat.

De codicis Budensis antiquitate et auctoritate, ex quo is cura Beati Rhenani innotuit, varia fuere variorum judicia. Justus Lipsius ad A. XV, 44, veterem dicit æque ac Florentinum, unde non mirum, a Trillero quoque *Obs. crit.* III, 22, antiquissimum adpellari. Jac. Gronovius contra ad A. XI, 18, Ryckianum et Budensem recentissimos et interpolatos esse judicat. Repetit hoc ad H. II, 70, verum frustra ibi saltem ei succenset; vox enim, de qua queritur, non Budensi codici, sed ingenio Rhenani debetur. Ceterum non optimæ notæ illum fuisse, Lipsius quoque pronuntiat ad A. XIII, 25. Certiora nunc de indole codicis tradere licet, quum eo ipso temporis momento, quo novam hanc editionem curare cœpi, commode mihi istius usus sit concessus. Gratum proinde criticæ artis fautoribus me facturum spero, si pleniorem ejus notitiam dedero.

Ordior a scriptura. Vocalis tertia nonnunquam accentum, sæpe pune-

tum, habet impositum, sæpius eo destituitur, unde dubia interdum lectio, ut A. XV, 31, et H. III, 11, 51. IV, 39, 69, in *ius, uis*. Contra *ius* clare legitur accentu super prima litera posito H. IV, 48. A. XII, 29, *iubillius, uibillius*. XII, 45, *umidium, uinidium*. XIII, 57, *iubonum, uibonum*. H. III, 13, *uinctas, iunctas*. *j* longum sive gothicum nusquam occurrit. More medii ævi *hii* legitur pro *hi*. Contra *isdem* pro *iisdem*, antiqua forma, item *omnis, tendentis, prodentis* et similia quarto casu. Id ipsum in Florentino quoque observavit Pichena. *Valitudo* etiam noster cum Florentino habet commune. Prisca porro forma obtinet in *adicere, obicere, inicere*.

Diphthongus nunquam sejunctis literis, sæpe per *e* caudatum expressa, frequentius desideratur. In compositis, *de* et *di, dis*, sæpe alternant. Sic *demitto, dimitto; deripere, diripere; degredi, digredi; distinere, detinere*, etc.

Præpositiones compositorum more antiquo non mutantur. Sic *adlevare, adcusare, inbellis, inrumpo, inlustris*, etc. Duplicatum *d* in *redditus* pro *reditus*, H. I, 65, medium ævum sapit. Græco more scribitur *Gaius, Gaianus, Gneius*; immo A. XII, 42, *Grispinus*. Simplici elemento legitur *mile, milies, pelex, pelices*. Finale *ſ* oblongum ubivis. In medio vocum sive simplex, sive duplicatum, frequenter per literam *x* exprimitur; sic vulgo *Vespexianus* imp. vocatur, item *Vespaxianus*. Simili modo in Marsilii Ficini epistolis occurrit Bexarion cardinalis. Sic porro H. II, 71, IV, 15, *auxus* pro *ausus*; contra H. IV, 71, V, 9, *ausit* pro *auxit*. Alibi sic *Frixios, implexe, explexe, peximis, sextertium*, pro *Frisios, implesse*, etc. Sic et *extimare*, quod nunc *existimare*, nunc *æstimare* significat. V. Ernesti ad A. XIII, 17. Sic porro *illexa* pro *illæsa*; et A. XV, 38, *fexa* pro *fessa*. Simili modo A. XIII, 13, *effulxerant* ex editione prima notavit Ernesti ad XIII, 6, ubi docet, MS. Flor. e contrario habere *disserunt*, pro quo vulgo legatur *dixerunt*. H. II, 70, est *quadrigeximum*.

Vitiis permultis scatet codex. Ea sæpe ex oscitantia librarii, nonnunquam ex similitudine literarum orta. H. III, 44, dubium, legendumne *inclitus*, an *inditus*; item ex vicinia, inde H. V, 10, *comprimere receptantem* pro *coeptantem*. H. III, 13, *secretorum castrorum* pro *secreta castrorum*. Porro ex vocibus male sejunctis, ut H. IV, 32, *molii orare ferre* pro *molliora referre*. Lineola, quarti casus index, in nostro, ut in Florentino, sæpe deficit; interdum temere adposita cernitur. Ista lineola, in fine vocum vocali imposita, alibi quoque literam *m* supplet; in aliis omissa vitium parit. Sic in Flor. quoque H. III, 47, est *contemti* pro *contemtim*. Alia etiam compendii signa perperam vel addita vel omissa multis peccatis ansam dedere. A. XVI, 29, ubi in Flor. vitiose legitur *uteret* pro *ut erat*, alius quis videtur dedisse *uteret*, inde noster *verteret*. Signum ⁹ in fine verborum, ubi notat *ur*, nonnunquam deest. Inde H. I, 31, *diffidebat* pro *diffidebatur*. Alibi *exsoluerent* pro *exsolverentur*. Ex confusa lineola horizontali literam *p* secante cum obliqua ortum *proinde* pro *perinde, provectus* pro *pervectus*, H. III, 12. Omissa lineola dedit H. IV, 52, *pluret* pro

perlueret. Compendium scribendi male intellectum vitii caussa fuit. Sic ortum A. XVI, 26, *spem* ex *sp̄s*, spiritus. Simili modo in Guelferb. H. III, 84, ortum *speciem* pro *spem*. Apud nostrum A. XVI, 32, ex *m̄ie*, misericordie, factum *nunc*. Glossarum et interpolationis vestigia passim. Huc refero, H. I, 18, *parva liberalitate*. Ibidem, c. 2, *plenum gravioribus casibus*. A. XVI, 25, glossator quis *secretum* in margine exposuerat per *otium*; noster utramque vocem in textum admisit. Insititia verba, H. III, 20, noster cum Flor. et editione prima communia habet; sed proprium nostro est, H. III, 8, *post tres menses*. Majores transpositiones a criticis deprehensæ, H. III, 5 et 65—69; item IV, 53, coll. c. 46, nostro etiam inhærent. Demum voces haud raro, immo integræ phrases omissæ vel transjectæ sensum turbant, ubi vana aliquoties Rhenani opera in extricando sensu tuendaque scriptura mutilati codicis. Exempla obvia. Respice H. I. 24, ubi deest *animis*; c. 77, ubi omissa *Verginio destinat.... jungitur*; II, 18, *repente*; 47, *felicitati*, *reliquerit*; 48, *nimium*; 79, *eo ardore*; III, 58, *ubi*; 72, *stetit*; IV, 15, *quippe viribus*; 38, *præerat.... cui una*; 58, *cordi*; V, 18, *labantem*. Ne jam plura addam.

Peccata hæc codicis Budensis, quibus teste Heinsio ad A. V, 4, similia in codice Florentino occurrunt, sexcentis locis præclara probaque lectione pensantur. Non solum enim frequenter cum codice laudato conspirat, ut in adcusandi casu nominum propriorum peregrinorum, *Tiridaten*, *Vasacen*, *Vologesen*, sed haud raro quoque rectiora aliis offert. Ejus generis sunt A. XI, 21, *ex se natus*; 30 et passim *discidium*; XII, 42, *interdiceret*; 58, *vetera*; XIII, 6, *pleraque*; 23, *vanitatis*; 36, *adirent*; 46, *se ire*; 48, *ad saxa*, *ad minas*; XIV, 13, *regia*; 28, *cum iis*; 32, *transiit*; 59, *de cæde*; XV, 2, *certamina*; 68, *ex intima*; 69, *an dissimulando*; XVI, 7, *dux partium*; 20, *invidiæ juxta*; 21, *expetibilem*. H. I, 14, *et Scribonia*; 30, *plus deest*; 77, *ex præsenti usu*; II, 3, *vovisset*; 4, *pervectus*; 7, *ceteri*; 23, *et Celsi ductu*; 43, *a parte alia*; 49, *exitium*; 76, *jam et coram*; 84, *rarissimus*; III, 6, *rumoribus*; 43, *volentibus fuit*; IV, 13, *adiit*; 22, *juxta*; 53, *super*; 55, 65, *cum maxime*; 66, *tumultus* deest; 70, *Romanus*; 76, *Germanici*; 83, *Scydrothemidi*; 84, *advectu*; V, 2, *tradant*; 6, *a latere Syriæ*; 12, *opere*; 23, *flexu*.

Ex iis, quæ de scriptura codicis dicta sunt, dubia esse posset ejus ætas. Eximius quippe literarum nitor, frequens diphthongorum usus, quas seculo XV, demum medio ex orco reduxit Guarinus Veronensis *in arte diphthongandi*, *punctandi et accentuandi*, et constans sibilantis literæ forma finalis oblonga suadent, ad sæc. XI vel XII referendum codicem; contra punctum tertiæ vocali impositum recentius ævum sapit. Scrupulum omnem eximit formula Beati Rhenani manu primæ paginæ inscripta, quæ sic habet in summo:

Beati Rhenani sum. Nec muto dominum.
Ex dono Jacobi Spiegellii jure consulti. An. salut.
M. D. XVIII.

In ima pagina :

Hic liber sum si, jussu imgariæ Boptus est ex bibliotheca Budenpensaque Matthiæ Corvini Hunemiæque regis scriptus.

In intervallo comparent egregie picta gentilitia regis insignia ; quadripartita sunt, et in area quidem prima et quarta octo fascias Hungaricas rubras argenteasque alternantes, in reliquis rubro colore tinctis Bohemicum leonem argenteum exhibent ; medio scuto aliud impositum est minus cæruleum, quod corvum offert, ramo insistentem aureo, aureumque rostro annulum tenentem.

Est ergo hic liber ex iis, quos magno numero Matthias describi curavit. Scilicet ut Brassicani verbis, Salviano a se Basileæ a. 1530 emisso præfixis et a Schierio ad §. IV citatis, utar, *Rex* iste, *quem recte librorum helluonem adpellaveris, quatuor insignes librarios Florentiæ magnis impendiis aluit, quorum unus et unicus labor erat, ut omnes melioris notæ auctores et græcos et latinos, quos commode ex Græcia habere non poterat (ad eos enim conquirendos in Græciam et Asiam aliasque regiones viros doctos miserat) exscriberent. Nam ipsa typographia (ut exigua sunt omnium rerum principia) nondum tam late radices egerat, ut ardentissimis illis et vere regiis votis satisfacere posset. Istorum operum correctioni et nitori Naldus Naldius, qui nascentis bibliothecæ ejus incunabula quatuor carminum libris cecinit, aliique multiplici scientia perpoliti viri invigilabant. Domi præterea triginta librarios habebat, qui libros describerent, pingerentque sub Felice Ragusano præfecto*, teste Nic. Olaho in *Hungaria sua*, c. 5.

Florentiæ exaratum esse codicem Taciti et ex antiquo codice, perquam est verisimile. Italam manum prodit etiam vox *Spagna*, quæ legitur H. V, 19. Ante quam prima prodiret editio Taciti, ex prælo Spirensis Veneto circa a. 1469 emissa, scriptum esse, Brassicani verba suadent. Quem codicem antiquiorem in describendo ante oculos habuerit librarius, nemo dixerit. Forsan unus is est ex iis, qui præter Corbeiensem servantur Florentiæ, qua de re nunc facile fuerit judicare, postquam adcuratius lectionis Budensis varietas a me est indicata. Mirum videri omnino debet, codicem Budensem sæpe cum Florentino et editione principe conspirare. Verum, ut idem de Guelferbytano, Vaticano, Agricolæ codicibus adseri potest, sic contra in multis ab his et Florentino et editione prima dissidere, notata nostra satis superque declarant. Eo spectant inter alia, H. III, 47, *contentius* ; 51, *flagitii* ; 54, *referret* ; IV, 6, *certatum*. Similia his de codicibus Vaticano quoque et Florentino, cum editione principe collatis, refert Ernestius.

Atque hæc hactenus de ætate et auctoritate codicis *Budensis*. Proximum est, ut qui factum sit, ut in nostras perveniret oras, inquiramus. Jacobi Spiegelii, Selestadiensis JC. ævo suo celeberrimi, qui Maximiliano Cæsari a manu erat et consiliis, fuisse, epigraphe laudata Rhenani docet, qui istius dono eum acceptum refert. Spiegelio autem, qui, ut ipse *in præfa-*

tione ad Jacobi Wimphelingii expurgationem narrat, a. 1514, Budam inviserat, a Vladislao II. rege traditus fuisse videtur. Scilicet, quod observat Schierius, §. VII, a morte Matthiæ bibliotheca, quam summo studio collegerat, sensim defluere cœpit incuria dicti regis Vladislai ejusque filii Ludovici, qui, literarum studiis parum innutriti, doctis viris eo adfluentibus gratificaturi præclara omnis generis opera, præsertim auctorum veterum classicorum, iis concessere, quod exemplo Cuspiniani aliorumque Schierius ostendit, qui hanc primam Budensi bibliothecæ cladem illatam queritur, falsoque totam ejus labis caussam ad Turcos referri dicit.

Quicquid sit, usus est in edendo Tacito Budensi codice Rhenanus, exque eo multa loca egregie sanitati restituit, etiamsi negari non possit, optimum virum, et criticæ rei suo tempore peritissimum, humani quid nonnunquam passum. Præterquam enim, quod manifesta peccata codicis passim suffragio suo fulcire laborat, quod in eo reprehendit Pichena ad H. I, 49, et paullo ante a me exemplis est firmatum, aliquoties in referenda codicis lectione fallitur, cujus rei specimina videbis ad A. XI, 1, 4, 10, 28; XIV, 15, 51, 60; XV, 74. H. III, 52. Est et ubi ad varietatem lectionis non adtendit, ut H. III, 79, ubi Bud. *procul urbem*. Ista indicare, hæc supplere, non neglexi. Optandum porro fuisset, ut, quod fecit nonnunquam Rhenanus, semper indicasset, emendationes, quas commendat, de suo an ex codice, deprompserit. Ex hac ejus incuria factum, ut dubius hæreat Ernestius haud raro, ut ad A. XV, 53; XVI, 21; H. III, 47, 56; IV, 70, 84, etc. Id porro Rhenani silentium sæpe Ernestium in errorem induxit, ut casui tribueret, quod Budensis erat, respice ad A. XVI, 22. Id ipsum accidit et Lipsio ad H. II, 19, et Pichenæ in cod. Flor. ad A. XI, 7. Similes errores notavi ad H. I, 64; II, 99; III, 41; V, 20. Lepidum illud videri potest, quod ex hoc Rhenani silentio contrarium plane colligunt Gronovius et Ernestius. Scilicet Rhenanus ad H. II, 80, profitetur se reposuisse *hiberna* relatum ad *Germanica*, nec indicat, e Budensi, an ex suo ingenio. Ernestius e Budensi putat, et, ubi simpliciter Rhenanus corrigit, id indicio esse pronuntiat, e MS. sumptam lectionem; in quo judicio egregie fallitur. Contra Gronovius ex eo silentio infert, legi in Budensi, *hiberno*, et hoc quidem loco acu rem tenet; verum id vulgo valere quod putat, et lectionem non esse e Budensi, nisi id aperte profiteatur Rhenanus, errat et ipse. Ceterum, quod etiam præter Budensis codicis auctoritatem non pauca Rhenanus immutaverit licentiosius, non plane abs re queritur Theod. Ryckius.

Post Lipsium nemo e Taciti editoribus codice scripto usus est, quod sciamus, ante Theod. Ryckium. Is codicem habuit eum, qui quondam Rod. Agricolæ fuerat, unde *Agricolæ codex* vocatur. Ex eo quædam excerpta cum Lipsio communicavit olim Franciscus Modius: quæ Lipsius pro conjecturis potius Agricolæ, quam lectionibus codicis antiqui, ha-

buit, ut e notis ejus apparet, vide v. c. ad A. XIV, 60, extr. Eum codicem cum habuerit Ryckius, eoque usus sit ad corrigendum Tacitum, mirandum est, eum nihil de ætate, scriptura codicis, aliisque tradidisse, quæ scire cupiant periti, atque etiam debeant, si de codicis auctoritate judicare velint. Jac. Gronovius eum recentissimum et mire interpolatum judicat ad Ann. XI, 18; XV, 53. De interpolatione non dubitem. Habet enim nimis multa, quæ interpolationem et correctoris ingenium sapiant, ut variis locis et ipsi notavimus. Unde profecto non est negandum, Ryckium ei nimis tribuisse. Ceterum observavimus, eum in Historiarum libris, præsertim posterioribus, mire consentire cum editione prima, ut notæ nostræ ad illos libros docebunt. Eo usus est etiam Nic. Heinsius, qui ejus lectiones sæpissime adfert; nec parum ei tribuit.

Rud. Agricola antiquæ Taciti editionis, quæ princeps fuisse videtur, margini lectiones ex suo codice MS. itemque conjecturas suas adpinxerat. Id libri exemplum Franc. Modius se ad Lipsium misisse testatur Ep. XV. Novantiq. Lectionum. Rem narrat et Ryckius ad A. XV, 51. Inde non mirum, si Lipsius conjecturas Agricolæ putarit, quæ e codice fuerant desumpta. Respice ad A. XV, 53, ubi male Agricolam subsannat Lipsius.

Idem Ryckius etiam usus est *codicis Parisiensis* excerptis, a Melch. Thevenotio acceptis: quem ille *regium* vocat: sed in notis raro lectiones ejus commemorat. Atque ipse de eo sic statuit, ut ne cum suo quidem, nedum cum Florentino, comparet. Hujus codicis lectiones jam diligenter notatas habemus ab editore librorum Taciti nupero Broterio V. C. qui eum chartaceum esse tradit, et sub finem sæculi quintidecimi scriptum: quo tempore cum jam editi Taciti libri essent Venetiis et Mediolani, e tali exemplo sumptus esse potest. Illud operæ pretium est monere, hunc codicem confundi cum Budensi a J. Gronovio ad A. V, 23., cui confusioni locum dedit Rhenanus, qui Budensem librum interdum *regium* vocat.

Is codex *Parisinus*, antea *Du Fresnianus*, non dissimilis videtur codici Vaticano n. 1863. Est et *Parisinus* alius, isque in membrana eleganter sed

vitiose scriptus, bibliothecæ Congregat. antehac Oratorii, cui illatus fuit ab Henr. Harlæo de Sanci, ipsius Oratorii presbytero a. 1667 fatis functo. Serius oblatus is fuerat Broterio, qui similem fere codici, a Jac. Corbinelli consulto, judicavit. Usus eo est demum J. H. Dotteville, Oratorio et ipse adscriptus, in edendo Tacito, quem tertiis curis cum versione gallica et notis emisit in-8., Paris. a. 1792.

Gronoviis, Jacobo et Abrahamo, porro debemus excerpta duorum *codicum Oxoniensium*, quorum alter Collegii Servatoris I. est, deficiens nonnullis locis, ut didici e Montefalc. p. 668, alter bibliothecæ Bodleianæ; unde ille *Oxoniensis*, hic *Bodleianus* vocatur. Illius excerpta ad calcem utriusque editionis Gronovianæ reperiuntur; hujus ad calcem majoris et recentioris, quæ a. 1721 prodiit. Eorum atque etiam tertii, *Harleiani*, lectiones dedit idem Broterius: qui omnes sæculo quinto decimo medio scriptos tradit.

Inter hos Oxonienses codex *S. I.* scriptus est a. 1458. *Harleianus* a. 1452 collatus cum Vaticano n. 1863 aut simili. *Bodleianus* anni 1463 idem est forsan cum codice Franc. *Bernardi*, quem memorat Montefalc. p. 683.

Personatus quidam Pompeius Lampugnanus etiam *codicis Mirandulani* excerpta protulit, et ad Lipsium castigandum contulit in libro, cui titulus: *Collatio notarum J. Lipsii in C. Tacitum cum MS. Mirandulano. Bergomi*, 1602, *in*-8. Sub eo nomine latere *Marqu. Freherum* opinio est; quam sequi et Ryckium, ex nota ad H. III, 13, didici. Ceterum Lipsius in *Dispunctione notarum Mirandulani codicis* a. 1602 edita, subjecta deinde editionibus exempli Lipsiani, velut Antuerpiensi a. 1648 eum codicem aut nullum esse, aut nullius pretii judicat.

Videram etiam, ab J. Schegkio *ad Vellei.*, p. 504, ed. Burm. laudari *codicem Herbipolensem*, qui esset in bibliotheca episcopali. Itaque, cum primam editionem parabam, scripsi ad aliquem virum doctum in ea urbe, quocum aliquid notitiæ mihi olim hic fuerat, eumque rogavi, ut quid codicis istius esset, perscriberet, ejusque mihi copia ut fieret, perficeret. Sed nihil responsi tuli. Cum iterum ad tractandum textum accedebam, alteram editionem curaturus, ad alium

virum doctum in ea urbe, scripsi; quem putabam, idonea de caussa, rem suscepturum: isque fecit omnia, ut ejus libri usum mihi impetraret; sed nihil efficere potuit, cum eum reperiri a se potuisse negaret, qui curam bibliothecæ habet. Fama etiam quondam fuit de codice antiquo Taciti, qui Bambergæ servaretur. Sed Franc. Modius, a Lipsio de eo consultus, rescripsit (t. I, *Collect. epp. Burm. p.* 107) falsam illam famam esse, nec quicquam ibi reperiri, nisi paucas e libello de moribus Germanorum plagulas, easque recenti manu scriptas.

Eas in Lipsii usum se comparasse scribit Modius.

Multi præterea alii *codices* adhuc latent in bibliothecis, nondum excerpti: e quibus, non dubito, quin aliquid bonæ frugis colligi possit. In MSS. *bibliothecæ Mediceæ* tres membranaceos commemorari video, ab antiquiori illo, quem Langobardicum vocant, diversos, in pluteo 68, apud eundem Montefalconium, p. 374, a quibus puto non diversos esse, quos Pichena aliquoties laudat in notis ad Tacitum.

Reperi etiam a P. Victorio antiquum *codicem* Taciti *Venetum* bibliothecæ S. Marci laudari, ad Cic. Ep. II, 12, quem tamen frustra in catalogo MSS. ejus bibliothecæ, ab ill. Theupolo edito, quæsivi. Nam codex, qui n. CCCLXXXI exhibetur, fuitque *Bessarionis*, a. 1453 demum Bononiæ scriptus est, nec Victorio antiquus dictus fuisset. Ceterum hoc fortasse exemplo firmetur fama, quæ de codicibus bibliothecæ Venetæ, in primis ex iis, traditur, qui a Bessarione nomen habuere, subductis: de qua videat, cui lubet, librum Bœrneri τοῦ μαχαιρίτου, de Græcis literarum in Italia instauratoribus, p. 67, 68.

Inter codices porro Ottobonianos, Neapolitanos, S. Joannis in Carbonaria, Cæsenatenses, Taciti libri inde ab XI Ann. reperiuntur, sed fere recentioris scripturæ.

Extat etiam *codex* MS. membranaceus in *bibliotheca* ducali *Guelferbytana*, cujus mihi usus benigne concessus fuit. Is fuit olim P. Candidi, qui sua manu in libro scripsit, ab se

emtum esse Ferrariæ, a. MCCCCLXI, die lunæ XXVIII, sept. : a Francisco autem Media-barba Birago dono est datus Marquardo Gudio, ex cujus bibliotheca in Guelferbytanam venit. Sed de hoc codice infra pluribus dicam.

Denique citat aliquoties Heinsius ad H. V. codicem *Spinæ*, quem nemini præterea memorari video, neque, quis qualisve ille sit, pronum est dicere.

Minor scriptorum numerus est in minoribus libellis, qui cum Taciti Annalibus et Historiis eduntur, *Germania*, *Agricola* et *de Oratoribus Dialogo*. Quid ex iis reperiatur in Vaticanis, Lipsius non tradit, nisi quod Dialogum ab iis abfuisse scribit. Libellus de Moribus Germ. separatim notatur in MSS. *Mediceæ* bibliothecæ plut. 73, n. 6, ap. Montefalc. p. 381, et in MSS. bibliothecæ Norfolc. in collegio *Greshamensi*, quod Londini est. *Arundellianus* liber, cujus excerpta dedit Abr. Gronovius, V. C. est ille ipse, qui sub *Bilib. Pirckheimeri* nomine laudari solet, ut monet J. Fr. Gronovius ad Germ. c. 11. De libro *Bambergensi* supra e Modii epistola dictum est : et de *Turicensi* infra dicetur.

Julii Agricolæ scriptum exemplar nusquam notatum reperi, nec Dialogi de Oratoribus, præter Farnesianum, e quo Lipsius eum correxit : qui ita pauca scripta ejus libri exemplaria esse dicit in præfatione libri, ut vix duo aut tria in omni Europa esse putet. Nunc universe aliquid de codicibus scriptis Taciti dicendum videtur.

Ac primum libri Taciti non eodem modo in codd. inscribuntur. *Actorum* vel *Actionum diurnalium Historiæ Augustæ libros* plerumque vocari, intelligitur partim e titulis codicum apud Montefalconium (adde Lipsium ad Ann. I, 1) et MS. Guelf. partim e veteribus editionibus Fr. Puteolani, Frobenii, a. 1519 curata. Sed non omnes libros ita habuisse, diversitas edentium arguit. In editione principe Jo. Spirensis nulla est inscriptio aut subscriptio librorum, nisi in Germania. Beroaldus inscripsit *Libros Historiarum ab excessu Augusti* : an e libro illo Corbeio-Mediceo, non possum di-

ere, cum nihil diserte notatum repererim. Illud video a J. Gronovio proditum, in capite L. IIII. in illo codice scriptum esse : *Incipit L. IIII. ab excessu Augusti.* Rhenanus *Annales* inscripsit : quod constanter omnes secuti sunt usque ad Lipsium ; qui receptam hodie rationem invexit : de qua ipse satis dixit. Nec in prænomine Taciti consentiunt. J. Gronovius e Mediceo profert *P.* et id ei tribuitur in editionibus veteribus inde a Beroaldo, qui e Mediceo sumpsit, usque ad Lipsium, a quo *C.* prænomen substitutum est, auctore Farnesiano libro et Sidonio Apollinari. Idem etiam reperi in antiquissima editione libri de Germania, de qua infra dicemus ; unde sane firmamenti aliquid accedit Lipsianæ rationi. In ed. Spirensis, in capite Germaniæ, et Puteolani, MS. Guelf. nullum prænomen expressum est. Etiam librorum non eundem numerum codices faciunt. Viginti alii, alii unum et viginti. Vidi etiam codicem memorari Montefalconio, qui undeviginti tantum numeraret. Caussa diversitatis est, quod nonnulli librorum, qui nunc Historiarum vocantur, primum et secundum conjungunt, ut Guelferbytanus : quod servant et edd. Franc. Puteolani, Beroaldi, Frobenii a. 1519, ita tamen, ut lacuna sit parva initio libri secundi, et in fine subscriptum : *septimusdecimus et octavusdecimus confusi simul expliciunt :* vel *Librorum XVII ac XVIII simul confusorum finis :* et sequens liber XIXmus dicatur. Ac fortasse in iis libris, qui XIX tantum exhibent, fragmentum libri Hist. quinti adhæsit quarto, aut alius alii. Illud autem hinc plane intelligitur, in antiquioribus libris nullam inscriptionem, nullos numeros librorum fuisse, ut in editione Jo. Spirensis. Forte etiam probabile videatur nonnullis, discrimina librorum non esse a Tacito, quæ nec necessaria erant, cum per annos historia digesta esset, eaque adeo grammaticis vel librariis deberi, ut in aliis antiquis libris : de quo, digna est, quæ legatur Perizonii *præf. ad Æliani Var. Historias.* Denique plerique codices tantum Annalium et Historiarum libros exhibent (et in extremo alius citius desinit alio), velut Florentinus, Budensis, Vaticani, ce-

teri apud Montefalconium et Guelferbytanus. Farnesianus libellum de oratoribus habuit, unde is liber correctus est à Lipsio. Sed illud in primis dignum observatu est, animadversum et in aliis libris, quod omnes scripti libri, e quibus editi ducti, aut qui ab eruditis inspecti sunt, ex uno codice omnes fluxere. Monuit de eo dudum J. Fr. Gronovius *Observ.* l. IV, p. 30, ex loco Hist. II, 98, ubi omnes MSS. pariter, atque tali modo depravati sunt, ut planissime appareat, eam depravationem uni libro deberi. Sed eadem res intelligitur etiam ex aliis locis, in primis iis, in quibus transpositiones paginarum factæ, vel librarii vel bibliopegi vitio, in codice illo antiquiori. Nam eæ in omnibus MSS. conservatæ reperiuntur. V. ad H. III, 5, 65. Unde non una observatio nascitur, studiosis artis criticæ commendanda. Nam *primum* hinc intelligitur, omnes varietates lectionum, quas e libris scriptis notatas habemus, proprie esse varietates unius exempli, non plurium, qui ex ipso ἀρχετύπῳ fluxerint. Unde fit *secundo*, ut omnibus codicibus comparandis nihil aliud effici possit, quam ut, quid in uno illo apographo, unde ii venere, fuerit, inveniamus. Hanc *tertio* caussam esse paucitatis lectionum variantium, atque *tandem* corruptelarum et mendorum, in Tacito reliquorum, in quibus frustra se exerceant ingenia virorum doctissimorum. Hinc porro discent juvenes studiosi literarum et artis criticæ (cujus, ego identidem moneo juvenes, neminem plane imperitum esse debere, qui se non subinde turpiter dare, et risum criticæ rei peritis, aut bilem movere velit), discent igitur hinc, *primo*, cum de libris scriptis agatur, non tam videndum esse, quam multos numero habeamus, sed quam multos, qui velut jus sententiæ dicendæ habeant, cum de lectionis alicujus veritate quæratur. Nam, si tu centum codices ejusdem libri habeas, eos autem constet, ex uno apographo ductos esse, non nisi unius libri jus et vim obtineant universi. Jam porro, nonne apparet hoc exemplo, id quod fidem excedere videatur, manus quamvis multas non modo sæpissime, et toto, quod aiunt, cœlo dis-

sentire in scriptura, etiam quæ ex eodem fonte ducta sit, sed etiam posse ac solere in eodem errore sæpe summa concordia, quasi ex compacto, consentire? *Denique* luculento exemplo intelligitur, quam sit non modo utile ad puritatem integritatemque scriptorum veterum, sed etiam necessarium, plurimas lectiones variantes esse et conquiri. In libris sex prioribus Taciti, si varias lectiones tantum codicum scriptorum dissensu æstimamus, nulla varietas lectionis est, quia unus tantum scriptus liber extat. At ea ipsa res facit, sicut in aliis libris, quorum unum tantum exemplum e vetere ævo restat, velut in Quinctiliano, Propertio, ut sæpius ingenio vel conjecturis agenda res sit, quam vellent critici, multis in locis nulla certæ aut probabilis correctionis spe relicta. Atque etiam in ceteris libris Taciti multis locis minus laboraremus, si non ex eodem apographo omnes codices fluxissent: quod ni esset, haud paullo plures lectionis varietates haberemus, haud paullo melius consultum Tacito foret. Sed hunc locum, jam satis tractatum et explanatum a pluribus, in primisque a magno Bentleio, in libro, Collini calumniis adversus religionem christianam opposito (francice, *friponnerie laïque*, p. 168); hic, per talem occasionem, breviter repetiisse et inculcasse studiosis, satis putavimus esse. Et hæc quidem de scriptis libris dicta sunt: ad editos veniamus.

Primus omnium Taciti libros edidit *Joh. Spirensis*, inde a l. XI Ann. cum Germania et libro de Oratoribus, sine titulo operis et sine anni locique nota. Hanc editionem *Romanam* sæpe vocant Lipsius (interdum ut ad Ann. XII, 41; H. III, 34, *codicem* citat et *librum Romanum*) et Gruterus etiam *Vaticanam* ad H. III, 5, quos imitantur Ryckius ad H. III, 5, et Acidalius ad H. II, 51. Nam hanc ipsam intelligi, cum Romanam vocant, patet vel ex eo, quod iidem subinde etiam *primam*, Gruterus etiam *Spirensis* editionem appellat ad H. IV, 20. Nam, quod uno et altero fortasse loco lectio hujus editionis discrepat ab ea, quæ de romana commemoratur, ut H. IV, 65, ubi Lipsius ex romana profert

adyta, cum in ed. Spir. sit *edita* : in eo forte error aliquis intercessit, qui in hoc genere facile obrepit diligentissimis criticis. At hodie opinio tenet, Venetiis a. 1468 vel 1469 hunc librum prodiisse. V. Maittarii *Annal.* t. I, p. 66; Fabricii *Bibl. lat.* I, p. 471. Caussa opinionis est, quod ex aliis libris constat, Joh. Spirensem officinam habuisse Venetiis, ibique artem suam exercuisse. Sed prisca illa opinio videtur locum dedisse editioni romanæ commentitiæ, ab editione Spirensis diversæ, quæ, nescio unde, commemoratur a Fabricio, adsignaturque a. 1495. Nam talem editionem a nemine alio, præsertim idoneo auctore, commemoratam reperi. Ceterum de anno hujus editionis nihil certi est. Hoc satis constat e versibus, subjectis ejusdem artificis editioni epistolarum Ciceronis ad diversos, hoc Ciceronis opus, primum esse librum, qui Venetiis ab eo editus sit. Atqui is liber præfert annum 1469. Unde clarum videtur, aut illo ipso demum anno, aut paullo post, Taciti libros ab eo editos esse. Nam, quod in Catal. bibl. clarissimi Francogalli *de Boze*, editionibus veteribus plenissime annus 67 huic editioni assignatur, quia in versibus ad calcem subjectis primum Joh. Spirensis opus dicatur, id falsum est: *artis gloria prima suæ*, ad artificem pertinet, non ad opus artificis.

Sed de hoc sub judice lis est. Scilicet istud tetrastichon ita habet:

Cæsareos mores scribit Cornelius; esto
Iste tibi codex: historiæ pater est.
Insigni quem laude feret gens postera: pressit
Spira premens: artis gloria prima suæ.

Chevillier in *l'origine de l'imprimerie de Paris*, p. 61, loco *artis* exhibet *gentis*, per memoriæ lapsum, puto. Quæritur hic, *Spira premens* designetne *Johannem de Spira*, an *Vendelinum* ejus fratrem? De hoc explicat Fabricius l. c. quem sequitur Cl. Exterus in *editionum Taciti syllabo*. Hæc opinio videtur firmari eo, quod privilegium a senatu Veneto die 18 sept. a. 1469, Johanni de Spira indultum, quod nuper produxit Morellius, cujus etiam meminit Marinus Sanutus in *vitis ducum Venetorum*, t. XXII, *SS. RR. Ital.* Muratorii col. 1168, non nisi duorum operum ex prælo Johannis progressorum mentionem facit, epistolarum scilicet Ciceronis et Plinii H. N. quodque teste Morellio (V. Panzer. *Annal. typogr.* vol. III, p. 62) in codicis, ex quo is privilegium excerpsit, margine ad-

jectum legitur, non valere hoc, quia magister Johannes obierit. Hunc autem ipso anno 1469 vel initio sequentis subita morte peremptum, ex epigraphe adjecta Augustino de Civitate Dei patet, quem ab isto cœptum perfecit a. 1470, Vendelinus frater (Cf. Panzer l. c. p. 64). In hac quoque epigraphe Johannes non nisi Ciceronis epistolas et Plinii H. N. excudisse dicitur, nulla mentione facta Taciti. Verum Vendelinus Augustino inchoato a fratre demum supervenisse scribitur, neque Vendelini ullam mentionem facit privilegium senatus. Nullum proinde dubium esse potest, quin *artis gloria prima* ad Johannem sit referenda. Et ad Taciti editionem adeoque artificis opus eam laudem pertinere, *Debure* in *Bibliogr. instr.* n. 4904, et ill. *Rewizki*, qui sub Deltophili nomine *κειμήλια* sua recensuit, alio argumento student evincere; observant quippe, in isto Tacito foliorum singulorum infimæ oræ adpositum esse custodem, quem in operibus a Vendelino impressis nunquam deprehendere liceat. Valeret hoc, nisi eum foliorum custodem in Cicerone et Plinio Johannis Spirensis æque desiderari Maittarii et Panzeri testimonio constaret. Ut ergo mirum videri debet, custodem in Tacito comparere; sic non minus et illud, quod, quum anni notam in reliquis expresserit Johannes, in Tacito id neglexerit. Sed idem dicendum est de Vendelino, qui in magna operum copia, licet rarius, aliquando tamen annum, item loci interdum, sui denique ipsius nominis mentionem omisit. Quodsi indulgere conjecturæ liceat, Johannem dixerim primum artis specimen dedisse Tacitum, in quo custodem adjecerit eo, quod in codice scripto, quem sequebatur, is esset adpictus, quemque deinceps tanquam inutilem superfluumque neglexerit. Crediderim porro, Taciti opus tacite esse a Johanne excusum, nec senatui oblatum, indeque factum, ut in privilegio laudato non memoretur, utque Ciceronis epistolæ a. 1469 impressæ in epigraphe (Cf. Panzer p. 63), *primus labor Johannis* dicantur, scilicet quem palam vulgaverit. Id si sit, Tacitus cum Deltophilo ad a. 1468 recte referri videbitur, quod et placuit Deburio.

Hanc editionem Gruterus ad H. II, 74, ductam putat e codice Vaticano illo antiquiori, quo Lipsius maxime usus est, unde *Vaticani filiam*, *Vaticanam* vocat, ut ante dixi. Sed eam rem, comparando lectiones ejus cum lectionibus MS. Vaticani, parum certam cognovi. Sane negari non potest, in hac editione multas lectiones reperiri, quæ sint Vaticano propriæ, velut A. XI, 18; XII, 11, 12; H. I, 61; III, 5, init. 6; IV, 12, et plane singulares, ut H. IV, 64, 66, 69, etc., quæ res videtur Gruterum in hanc sententiam impulisse. Sed tamen non minus notabiliter permultis locis consentit cum Florentino: velut A. XI, 4, etc. 6 med. et extr. 9, 11, 17, 18, 22, 23, etc., etc. porro H. III, 8, ita

in verbo *pretiam*, ut a Vaticano dissentiat, in quo est *Retiam*: porro c. 13, in glossemate, c. 20, etc., omninoque pluribus in locis, ubi plane discrepat a Vaticano, et quidem in lectionibus notabilibus : velut H. III, 7, ubi in Vatic. est *adductius*, cum in ed. Spirensis sit *audacius*. Accedit, quod Lipsius centies lectiones editionis Romanæ laudat, ubi silet de Vaticano, et contra iis locis, ubi singulares lectiones e Vaticano profert, nullam editionis Romanæ mentionem facit, etsi easdem lectiones habet : quod, non credibile est, facturum fuisse, nisi eum excerpta tantum ex utroque libro habuisse dicamus, et iis locis nihil e Vaticano notatum fuisse. Ac de editione Romana, facile credam ita esse, inductus iis, quæ post dicam, ubi de editionibus Lipsianis sermo instituetur : non de codice Vaticano, quem ab ipso inspectum et cum editis collatum esse patet ex Mureti Var. Lect. XI, 1. Paucis, quod sentio, dicam. Cum in quibusdam cum Vaticano, in quibusdam cum Florentino consentiat, in aliis ab utroque dissentiat, habeatque quædam bona propria, ut e notis, maxime nostris, apparebit, nec tamen credibile sit, e pluribus codicibus inter se collatis editum librum istum, quod in istis primordiis artis typographicæ vix factum est, sed ex uno eoque antiquo textus illius sumptus videatur, cujus apographum acceperat Spirensis : videtur ignorari, unde illa editio fluxerit ; nisi forte ex illo ipso antiquo Veneto ducta est, quem supra diximus a Victorio laudari e bibliotheca D. Marci, hodie autem in ea non reperiri. Adde dicta ad Ann. XIV, 12. Ceterum, ut libri hujus rarissimi ratio et indoles planius intelligatur : charta est pulcherrima, literæ luculentæ, margines lati, ut splendorem pulcherrimarum nostræ ætatis editionum vel æquet, vel superet : totus contextus ejusmodi, ut appareat, cum omnibus librariorum peccatis ductum esse e libro scripto : eaque de caussa codicis scripti auctoritatem obtinere posse. Nominum Persicorum, Armenicorum, ita ut Florentinus, in accusativo semper terminationem facit *en* : plerumque, ubi alii *nec quidem*, ipsa

exhibet *ne quidem*, ut Gronovius conjecerat : *cum primum* prope semper, ubi alii libri *nunc* vel *tunc primum* : *aut* vel *et* pro *ac*, sequente vocali : sæpe accuratior est aliis in distinguendis verbis *degredi* et *digredi*, similibusque, *consilium*, *concilium*, *dissidium*, *discidium* : ex quibus aliisque similibus patet, e bono codice ductum esse textum. Atque ut non negem, quædam esse peccata operarum, ut queritur Franc. Puteolanus, tamen permulta credo ex ipso codice scripto esse. Nam v. g. XI, 17, *omissis*, *sed*, pro *omisisset*; neglecta duplicatio literæ in *pelex*, et multa his gemina, similiora librarii peccato videntur quam editoris ; quod librarios centies sic peccavisse observatum est. Mox *alacte* pro *alacre*, *silius* pro *filius*, facile typorum peccata agnosco. Quæ præterea de hoc libro dicenda habeo, mox suis locis proferentur. Hujus libri copia mihi olim facta est a J. E. Kappio V. C. nunc ego ex ipsius bibliotheca emptum habeo. Ejusdem exemplum est in bibliotheca ducali Guelferbytana.

De raritate libri vel hinc judicare licet, quod in distrahenda bibliotheca ducis *de la Vallière* pretio 740 librarum gallicarum est venditus.

Post hanc principem editionem Maittarius t. V, part. II, p. 293, commemorat editiones Ven. 1484, et Rom. 1495, sed sine auctore ac teste : unde ejus traditioni parum tribuo. Ego quidem nuspiam vidi earum editionum mentionem eam fieri, cui fides haberi posset. Lipsius porro in præfatione editionis primæ a. 1574, ait, se usum editionis Venetæ a. CIↃCCCCXCIIII factæ exemplo. In quo si nihil vitii habet numerus anni, nec CIↃCCCCXCIIII, est pro CIↃCCCCXCVII eam editionem nemini præter illum visam oportet, qui Taciti editiones commemoravere. Itaque licebit mihi de his editionibus dubitare, dum idoneis mihi documentis persuadeatur, istis locis iisque annis Taciti libros editos esse.

De adserto Lipsii vix dubitare fas esse putat Exterus ; facile fieri posse, ut editio citata alicubi delitescat ; sed æque facile in numeris apud Lipsium error committi potuit.

Mihi post Joh. Spirensis editionem prima visa erat, cum primum editionum varietatem recensebam, *Francisci Puteo-*

lani Venet. 1497, forma majori, curata per *Philipp. Pinci*, sumptibus *Benedicti Fontanæ.*

Titulus hic est : *Cornelii Taciti Historiæ Augustæ.* In fine : *Cornelii Taciti Historiæ Augustæ : nec non de situ, moribus et populis Germaniæ libellus ac de oratoribus dialogus fœliciter expliciunt. Venetiis fideliter impresi ac diligenter emendati per Philippum pinci sumptibus nobilis viri dñi Benedicti fontana. Anno dñi Mccccxcvij. die xxij marcij. Imperante sapientissimo dño Augustino Barbadico prudentissimi ac Invictissimi senatus Venetiarum duce serenissimo.*

Accedit in exemplo, quo utor, *Iulii Agricolæ vita per Cornelium Tacitum ejus generum castissime composita.* Forma eadem, qua supra. In fine : *Venetiis per Philippum pinci : sumptibus dñi Benedicti fontana. Anno dñi Mcccc xcvij. die xxij martii.*

Huic editioni præfatio præposita est Francisci ad Jacobum Antiquarium, secretarium ducalem : in qua se dicit multis vigiliis intentissimoque studio recognovisse Taciti libros, adjuvante *Bernardino Lanterio*, omnium Mediolanensium eruditissimo ; de quo vide Saxium, loco mox laudando, p. 240. Addit, venetos impressores (vitio operarum est *veteri*, in exemplo veneto et ed. Beroaldi : pro quo *Veneti* legitur in editione Taciti, quæ loci, anni, et typographi nota caret : de qua mox) adeo inculcavisse et fœdavisse hoc divinum opus, ut non modo cornelianæ facundiæ majestas inquinaretur, sed vix sensus ullus conjectari posset. Hujus quoque editionis charta et typi satis elegantes sunt, sed superiorem illam Joh. Spirensis non adsequitur. Sed post nactus sum matrem hujus quasi filiæ, exemplum *Mediolani* factum, sine loci et anni nota ; et matrem filia multo pulchriorem et castigatiorem. Quibus libris usus sit Franciscus cum Lanterio in corrigendo textu, non prodidit : unde in suspicionem venit J. Gronovio, forte et aliis, quasi ex ingenio multa mutaverit, etiam licentius quam deberet. Qua suspicione eum magna parte absolvi, postquam librum Guelferbytanum contuli. Etenim in eo maximam partem lectionum inveni, in quibus ingenio indulsisse creditur. Itaque haud dubie libris scriptis usus est, ut ipse profitetur, etsi non usquequaque bonis. Spirensis exemplum ei pro basi fuisse videtur. Cete-

rum egregiam Taciti libris operam navavit, quod eos etiam a vitiis manifestis vel librariorum vel typographorum liberavit. Sed de Franc. Puteolano qui velit cognoscere, adeat Jo. Saxii *Hist. liter. typogr. Mediolan.* præmissam Argelati *Bibl. Script. Mediol.*, t. I, qui et ipse editionem mediolanensem facit eam, quæ sine anni et loci nota extat. Ceterum hæc est, quam Pichena, qui eam e MS. bono ductam judicat, item Ryckius, Venetam appellant, nempe, vel quod primam illam Romæ curatam putabant, vel Venetæ repetitionis modo exemplum habebant: etsi, quæ Lipsius v. c. ad A. XI, 18, e Veneta laudat, in hac non reperiuntur. Sed in talibus facile erratur, similiterque a Lipsio etiam in Romana, quam vocant, erratum est. Ego Puteolani editionem vocavi, ut ab aliis Venetis distingueretur, essetque nomen ejus et Mediolanensibus et Venetis exemplis aptum. Sunt autem hujus editionis exempla perpulchra, etiam supra Venetam Joh. Spirensis.

Extare etiam sciebam alia Venetæ editionis exempla a. 1512 curatæ a Jo. Rivio; quorum tamen nullum mihi ante primam nostram editionem contigerat videre. Nec magnopere desideraram. Etenim Ryckius, qui ejus exemplum habuit, vix bis, ni fallor, aut ter in notis mentionem ejus fecit, nec quicquam ex eo protulit, quod Tacito prodesset: unde eam collegeram e superiori illa totam ductam esse, eaque facile carere posse, qui illam haberet. Sed tamen, occasione oblata, emi exemplum ejus et inspexi. Habet autem præfatiunculam Rivii brevem, et in ea breviorem etiam professionem de opera a se navata. Opus totum, recepta novæ editionis cura, se primum, ait, percurrisse, in eoque tot errata, tot nævos reperisse, ut locis supra mille correxerit. Qui professionis modus et consensus ejus cum textu Puteolani, quem in notis indicavimus, clare indicat, editionis Venetæ proxime superioris, id est a. 1497 exemplum ab eo ita prælis typographicis accommodatum esse, ut operarum vitia tollerentur, quæ præterea vitiosa viderentur, de judicio suo corrigeret.

In quo quam ei interdum infeliciter res successerit, exemplo esse potest correctio notata ad A. XI, 4. Ceterum et hanc intelligit Lipsius interdum, cum Venetam commemorat in editionibus posterioribus, ut colligi potest e nota editionis quintæ ad XI, 18, in fine. Vid. ibi notam nostram.

Hanc excepit editio *Philippi Beroaldi* junioris, nitidissimis chartis typisque, per magistrum Stephanum Guillereti de Lothoringia, Tullensis diœceseos, Romæ 1515, kal. mart. Leonis X pont. max. anno secundo.

Titulus iste: *P. Cornelii Taciti libri quinque noviter inventi, atque cum reliquis ejus operibus, quæ prius inveniebantur Romæ impressi*, etc.

Præfatiunculam Beroaldi, quæ ad editionis rationem pertinet, quia brevis est, liber autem ipse rarissimus, subjecimus, *Philipp. Beroaldus ad lectorem: Quoniam vetus codex, unde hunc ipsum describendum atque invulgandum curavi, pluribus mendis scatet, æquum videtur, lectorem in primo quasi operis limine, consilii mei, quo in toto hoc negotio usus sum, admonere. Namque errores, qui poterant nulla temeritatis nota emendari, consultis primo nonnullis eruditis et acris judicii viris, correxi. At, quæ loca majorem in se corrigendi difficultatem habere videbantur, sicut erant, reliqui, appositis interiori margini stellulis, quæ vitiosum codicem testarentur. Seposuimus vero librum in calce quinti libri, in quo per numerum chartarum stellulam ipsam cum suo numero tanquam ad caussam dicendam in judicium vocemus. Ibi dum lector aut dubitationem, aut opinionem nostram audiet, vel sententiam approbabit meam, vel meliorem ipse afferet.* Verum, etsi ea diligentia se usum ostendit Beroaldus, ad calcem libri quinti, ut illos ipsos quinque libros, jam formis excusos, cum codice vetere contulerit, et quæ operæ variassent, annotarit, tamen post eum Pichena et J. Gronovius non irritum laborem consumpserunt, cum eundem veterem codicem cum editis contulere: e quorum notatis patet, Beroaldum vel per negligentiam, vel scripturæ veteris insciti am, non raro a vera lectione libri ab-

errasse, quod etiam aliis olim viris doctis, et Petrarchæ in describendis Ciceronis epistolis, accidit. Sed illud monendi sunt studiosi harum literarum, ne eundem cum J. Gronovio aliisque errorem errent, nec putent, Beroaldum etiam reliquos Taciti libros Annalium et Historiarum e MS. Florentino, Langobardico illo, edidisse : quod falsissimum esse, me res docuit. Ipsa præfatiuncula et admonitio de mendis typographicis, libro quinto subjecta, docere poterat, Beroaldum quinque illos libros tantum e MS. Corbeiensi edidisse. Nam alter ille codex, incertum est, an tum jam Florentiæ fuerit. Si fuit, quid id ad Beroaldum, qui Romæ erat? Agebatur hoc tantum, ut libri nondum editi vulgarentur. Itaque et exempla Beroaldina reperiuntur, in quibus tantum libri illi primi e codice Corbeiensi insunt. Ceteri igitur additi sunt ex editione Fr. Puteolani. Cujus rei indicium vel hoc est, quod libro XI præposita est Puteolani præfatio. Planissime autem hoc me docuit textus Romani ipsius cum Veneto comparatio. Etenim vidi, locis oppido paucis illum ab hoc discrepare : sicubi discrepet, id aut vitio operarum, aut correctoris sedulitate factum, ut fere accidit in omnibus talibus libris (vide quæ mox de Aldina editione dicentur). Sed Mediolanense exemplum non habuisse, nec operis exprimendum dedisse Beroaldum, parva res indicio est. Nam in præfatione Puteolani, quam repetitam esse dixi in editione Beroaldina, idem error operarum est, *Veteri* pro *Veneti* exprimentium, qui in Veneta ; cum in Mediolanensi *Veneti* sit. Itaque frustra J. Gronovius pluribus locis (vide v. c. ad XV, 64 ; XVI, 1 ; XV, 11, not. 10, ubi mire se expedit) irascitur Beroaldo, aliter, quam in Florentino codice esset, edenti, quæritque, ubi oculos habuerit. Nempe longissime ab illo codice Florentino, sequens unum exemplum suum Venetum. Sed age, exemplis aliquot præter ea, quæ ante indicavimus, positis, rem planam faciamus. A. XIII, 14, init., et H. IV, 21, MS. Flor. *arbitrium* : Ber. priori loco *arbitrium*, altero *arbitrum*, ut Puteolanus. XIII, 21, extr. verbum *mater* abest a Flor.

est apud Ber. ubi J. Gron. *interim vox* mater *non est in vetustissimo Mediceo, undecunque eam arripuerit Beroaldus:* nempe e Puteolano; ut c. 25, *gladiatorum*, pro *gladiatores*, quod est in Flor. c. 31, *extruserat*, pro *extruxerat*, etc. Etiam peccata typographica Veneti libri servata esse in Beroaldina patet v. c. A. XIII, 49, in verbo *insedebat*, pro *incedebat;* XV, 58, in *latatum*, pro *lætatum*. Dissensus a Puteolano exempla sunt XIV, 9, in *produntur;* c. 16, extr. in *eruebantur;* c. 17, in *contentione;* XV, 30, in *postero*, etc. Hujus libri exemplum habui, primum editurus hos libros e bibliotheca ducali Vinariensi, in quam e M. Gudii bibliotheca per Schurtzfleischium illatum est; non multo post emi mihi pulcherrimum e Britannia.

Memoratu dignum est, quod in calce operis gentilitio pontificis scuto subjectum legitur: *Nomine Leonis X Pont. Max. proposita sunt præmia non mediocria his, qui ad eum libros veteres neque hactenus editos attulerint.* In quibusdam editionis hujus exemplis deest *vita Agricolæ*. Consuli de opere hoc merentur Debure dans sa *Bibliogr. instr.* n. 4905. Deltophilus p. 103, et le *Catalogue raisonné de la collection de livres de M. P. Ant. Crevenna*, t. V, p. 158.

Proximam huic editioni facit Maittarius, t. V, part. II, p. 273, *Romanam a.* 1517, publicatam *ex officina Minutiana*, in cujus præfatione agatur de prima editione a. 1515. Sed iste error ita perspicuus est, ut vitium operarum esse videatur. Nam Minutiana officina non Romæ, sed Mediolani fuit; nec id ullo modo ignorare potuit Maittarius. Rectius itaque hanc editionem *Mediolanensem* vocat Fabricius in *Bibliotheca latina*. Mirum autem videri possit, duobus annis post Beroaldi editionem Romanam, aliam institutam esse, quæ illam repeteret, cum edictum Leonis extaret, adjunctum editioni Beroaldinæ, quo ducentorum aureorum pœna proponeretur iis, qui hoc citra decennium ausi essent subjecti ecclesiasticæ jurisdictioni, ceteris, ubique gentium, excommunicatio latæ sententiæ, quam vocat curia romana. Sed Minutianus, sive ignorantia istius edicti, sive fallendi spe, cum audisset, Tacitum pleniorem Romæ edi, per ami-

cos romanos consecutus est, ut sibi omnes exempli romani plagulæ, adhuc pæne madentes a prælo, mitterentur; quas ille statim recudebat, sperans, ita suæ editionis exempla una cum Romanis proditura. Sed ea spes irrita fuit. Nam, re cognita, Leo hominem Romam evocat, rationem redditurum inœpti atque etiam pœnas daturum. Sed deprecantibus iram Leonis ac pœnam ab eo viris gratiosis, cum epistola veniam peccati, quod ab ignorantia edicti, et cupiditate discipulis suis exponendi historiam Augustam, natum esset, suppliciter rogasset, obtinet a. 1516, cum venia, potestatem absolvendi operis, hac lege, ut cum Beroaldo ante decideret. Epistolæ, Minutiani ad Leonem et Leonis ad Minutianum, subjectæ sunt istius editionis exemplis. V. Saxius in *Prolegom. Hist. literario-typogr. Mediolan.*, p. 109. Quem virum doctissimum miror tradere, Beroaldum priores quinque libros tantum edidisse, Minutianum autem etiam reliquum corpus, a Puteolano ante Mediolani editum, addidisse, cum aliud res ipsa doceat. Nempe deceptus est vir doctus exemplo Beroaldino, in quo soli primi libri essent, de quo genere ante monui. Hujus editionis exemplum etsi diligenter quæsitum, invenire mihi nondum licuit: nec profuturum quicquam erat, quando tota editio e Beroaldina fluxit.

Duobus annis post, hoc est 1519, Taciti opera edidit *Basileæ J. Frobenius*, ita eleganter, ut superiores non modo æquaret, sed etiam prope superaret. Sed nihil aliud hic actum est, nisi ut Beroaldina repeteretur, cujus etiam præfatio notulæque adjectæ sunt. Ut tamen aliquid præcipui haberet hæc editio, additus est libellus observationum in Tacitum, ab Andr. Alciato scriptarum. Libellus deinde de moribus German. a Rhenano correctus est, de quo post dicetur. Nonnullis in locis dissentit hæc editio a Beroaldina, sed, id quod clarum est, vitio operarum; ut passim in notis monuimus: v. c. III, 73, ubi edidit *populi contumelia Rom.* pro *contum. pop. Rom.*, v. not. c. 29, ubi edidit *ultro* pro *ultra*, etc. Et ista hujus exempli errata sæpe notas et correctiones pepe-

rere Rhenano, cui hujus editionis exemplum pro basi fuit, sæpe ad omnes editores sequentes propagata sunt, modo conjecturis tentata, modo etiam defensa, ut notæ nostræ docebunt. Hanc editionem *Alciati* vocavi potius, quam Frobenii, ut distingueretur a ceteris, quas Frobenius dedit; caveremusque confusioni diversorum exemplorum Frobenii. J. Gronovius subinde editionem Frobenii laudat, sed intelligit eam, quam nos Rhenani secundam vocamus : de qua mox dicendum.

Sed ante, quam ad ceteras Frobenianas editiones accedamus, interponamus aliquid de editione *Juntina*, *Florentiæ a.* 1527-8 facta : cujus exemplum, post editionem nostram primam, e bibliotheca Schwarziana in nostram venit. Est autem textus Juntinus sumptus e Beroaldina, cujus et præfatio repetita est cum notulis in libros quinque, primum a Beroaldo editos : sed interdum correctus ab *Ant. Franc. Varchiensi.* Nam se dicit edere libros quinque nuper inventos cum reliquis ejus operibus, a Phil. Beroaldo juniore, viro sui sæculi eruditissimo, ante castigatos, mox vero a se iterum cognitos. In quo, clarum est, nihil, præter correctiones vitiorum typographicorum, intelligi posse, aut quæ ingenio factæ essent conjecturisque, ubi ipse aliquid vitii esse putaret. Itaque editionis hujus criticus usus nullus est. Nec forte plus est in editione Florentina altera, quæ anno 1552 adsignatur. Sed ejus nihil nisi indicium dedere, qui eam commemorarunt : nec ejus exemplum mihi unquam sub oculos aut in manus venit. Redeamus ergo in Germaniam et ad Basileenses editiones.

Recognitionis igitur a Rhenano factæ exempla primum prodiere in eadem urbe a. 1533, ex eademque officina Frobeniana, hoc titulo : *P. Cornelii Taciti equitis rom. Annalium ab excessu Augusti sicut ipse vocat, sive Historiæ Augustæ, qui vulgo receptus titulus est, libri sedecim, qui supersunt, partim haud oscitanter perlecti, partim, nempe posteriores, ad exemplar manuscriptum recogniti magna*

fide, nec minore judicio, per Beatum Rhenanum. Nihil hic fingi, docebunt castigationes suis quæque libris additæ. Libellus de Germanorum populis, Dialogus de Oratoribus, denique de vita Julii Agricolæ non solum emaculatius prodeunt, sed et explicatius, adjunctis in hanc rem scholiis. Hæc quoque editio pulchra est, nec multum cedit superiori. Manu scriptum exemplar, quo se usum dicit, intelligit Budense, de quo ante dictum. Editum nullum habuit, quod quidem fateatur, præter prius Basileense : quod sane mirandum in tempore eo, quo facile reperiri primæ editiones poterant. At Basileensis exempli textum ille *vulgatum* vocat, etiam ubi operarum vitio aberrat a Beroaldino, aut Beroaldini peccata et aberrationes ab editione Puteolani servat : quod non uno loco factum animadvertimus atque notavimus. Sic v. c. ad A. XIII, 46, dicit : scripsimus *potentiam ei adjiceret.* Jam sic plane ediderant Puteol. Beroaldus. Sed in Basileensi erat operarum vitio *potentium.* XV, 44, extr. dicit se castigare *absumerentur :* quod tamen est in omnibus præter Basil. superioribus; in qua operæ dedere vitiose *absumeretur.* Add. not. ad H. IV, 14, 73, etc. Contra alia ejus peccata ne animadvertit quidem, velut ea, quæ ante notavimus, et plura alia. Illud in primis nos advertit, quod permultis locis, ubi cum superioribus, hoc est Veneto Puteolani et Beroaldino consentit, corrigit textum plane ut habet ed. princeps; cujus tamen nullam uspiam mentionem facit : velut A. XII, 16, 19 bis; in quo loco nobis fides ejus prope suspecta fuit : XII, 32, extr. ubi pro *Sylvarum* correxit *Silurum,* plane, ut est in editione principe. Sed facile eum absolvit tum nota viri integritas, tum multitudo locorum quæ pariter corrigendi ed. pr. facultatem dabat. Itaque ista eum vel e libro Budensi, vel ingenio petiisse putabimus. Omnino ille sæpe ita corrigit, ut, unde correctio sumpta sit, non dicat. Atque ex iis quasdam a Victorio excogitatas reperi, ut A. III, 18, 58; IV, 73, etc., quas utrum sumpserit a Victorio et sub nomine suo ediderit, an cum Victorio, id quod

potuit accidere, in eadem conjecturæ vestigia incurrerit, non audeam dicere. In Germania usus est editione alia Italica vetere, de qua infra dicemus. In Agricola et Dialogo de Oratoribus solo ingenio usus est. Ceterum addidit initio operis *Thesaurum constructionum et locutionum et vocum Tacito solennium*, citatis etiam ex Livio plerumque testimoniis : quem libellum rectius suis editionibus, exemplo Seb. Gryphii, addidissent Gronovii, quam Salinerii notas, quas ipsi plerumque nugatorias esse judicant. Denique Alciati et Beroaldi notæ et præfationes additæ sunt ex editione superiori. Hanc editionem vocavi *Rhenani primam*. Etenim ea repetita est in eadem urbe et officina a. 1544, sed ita, ut priori illi multum pulchritudine concederet posterior; quam *Rhenani secundam* dixi. Nonnulli viri docti, nominatim Gronovius uterque, primam illam ignoraverunt, eaque de caussa Aldinam editione Rhenani priorem putaverunt (v. J. Fr. Gronov. ad XI, 6), et mutationes textus tribuerunt Aldo, quæ Rhenano debentur. V. Jac. Gronov. ad VI, 21, 23, 43; XIII, 10, etc. An hæc repetitio facta sit sciente Rhenano, nec ne (nam tum adhuc erat in vivis), non audeo dicere. Novæ quidem præfationis additum nihil est. Nec novas notas reperi, nisi forte unam, si recte memini. Ceterum a primæ lectione differt in nonnullis; quæ ego vel operis vel correctoribus tribuerim. Sic A. II, 38, e *transmerei* factum *transumere* : quod correctori debetur : Hist. II, 81, in verbis *introrsus in Pontum* præpositio *in* omissa; quod est vitium operarum, servatum usque ad Ryckium, ut alia, de quibus in notis monuimus.

Rhenanum temeritate sua multa in Tacito correxisse, multo vero plura corrupisse judicat Muretus V. L. 15, 3.

Anno post editionem primam Rhenani, hoc est, 1534 prodiit *Aldina* Venetiis, octonis : quæ est mera illius repetitio, sine ullo auctario, aut mutatione, nisi quæ ab operis, ut fit, nata est; velut A. II, 38; III, 34, etc. Semel observavi conjecturam Rhenani in textum receptam A. IV,

47. Interdum tamen ab ea discedit, sed vitio operarum, ut XII, 12; XIII, 17, etc., quæ in notis indicavimus. Igitur facile Aldina careat, qui Rhenani editionem habet.

Eadem ratio est *Gryphianæ*, quæ Lugduni 1543 octonis prodiit, nisi quod plura operarum peccata admisit. Additæ tamen sunt notæ Ferreti, servatusque Thesaurus Rhenani, quem dixi. Hujus editionis exemplum habeo, quod totum manu elegante ita correctum est, uti prælo paratum fuisse videatur. Cujus ea manus esset, exquirere non potui. Lipsiana quidem editione posterior correctio est. Nam emendationes fere sunt e notis Lipsii, Mureti, aliorumque. In primisque id licet videre in Dialogo de Oratoribus, qui totus ad exemplum Lipsianum correctus est. Ante Pichenæ tamen recognitionem correctionem istam factam esse, patet ex eo, quod nihil emendationum Pichenæ reperitur. Novi, hoc est, quod alibi non jam esset, perparum reperi, quod in notis meis prodere non neglexi. Ceteræ Gryphianæ, quæ commemorantur, quotquot ante Lipsium prodiere, haud dubie tantum priorem illam repetunt: unde eas non magnopere requisivi. Quæ post Lipsianam ἔκδοσιν vulgatæ sunt, velut Antonii Gryphii a. 1576 et 1584 duodenis, e Lipsiano exemplo ductæ sunt. Ceterum, quoties in notis nostris ed. Gryph. commemoratur, prima illa a. 1543 intelligi debet.

Fuit ergo illis temporibus, hoc est inde ab a. 1533 vulgata Taciti lectio exempli a Rhenano proditi, nisi forte *Florentina a.* 1552 octonis, quam commemorat Fabricius, prioris exempli, hoc est Beroaldini, aut Juntini prioris, hoc est a. 1527 retinens fuit; de quo nihil pronunciare in alterutram partem licet, cum mihi nunquam contigerit ejus editionis exemplum videre.

A medio autem XVI sæculo duo eruditissimi viri ad Tacitum corrigendum ingenium doctrinamque contulere, *M. Antonius Muretus* et *Justus Lipsius*. Sed Muretum prævenit Lipsius, ut ipse Muretus testatur Var. Lect. XI, 1, admodum favens ingenio et doctrinæ Lipsii. *Deprehendimus*,

c.

inquit, *ita sæpe incurrisse utrumque nostrum in eadem vestigia, ut, qui rem non nosset, pleraque sumpsisse alterum ab altero suspicaretur. Quam suspicionem a me, si nihil aliud, temporum ratio facile amolitur, neque cadere in Lipsium sinit fides ipsius et probitas, qua ille non minus, quam ingenio, excellit*, etc. Sequuntur deinde quatuor capitibus quædam Mureti conjecturæ, a Lipsianis diversæ. Sed edidit etiam Romæ 1580, librum primum Ann. cum notis suis, aliquoties in Germania recusis. Lipsius autem Tacitum ad MSS. et editiones veteres recognitum, cum erudito commentario edidit primum *Antuerpiæ* 1574 octonis, et post a. 1581 eadem forma, *Lugduni* 1585, forma majori, 1588 et 95 octonis, et sextum *Antuerpiæ* a. 1600 quaternis, et forma majori, cujus exemplum in bibliotheca Dresdæ Principali vidi. Ex hac ductæ sunt ceteræ Antuerpienses, post mortem ejus vulgatæ, quarum habeo eam, quæ 1648 curata est. Eæ habent hoc commodi, quod commentarius subjectus est textui, qui ante ad calcem rejectus fuerat.

Lipsianarum editionum series hæc est: I, in-8., Antw. 1574, ex off. Plantini; II, in-8. ib. 1581; III, in-fol. L. B. 1585, qua Pichena usus est; IV, in-8. ib. 1588; V, in-fol. ib. 1589; *Justus Lipsius quintum recensuit;* VI, in-8. et in-12, 1595, ap. Hier. Commelinum; VII, in-8, Antw. 1598; VIII, in-8., L. B. eod.; IX, in-fol. et in-4. cum Velleio Paterculo Antw. 1600; *Justus Lipsius postremum recensuit;* X, in-fol. Antw. 1607, consultis Pichenæ notis emendatior. Accedit præter commentarios et excursus dispunctio notarum Mirandulani codicis; XI, post Lipsii mortem in-8., L. B. 1619; XII, in-8., Aureliæ Allobr. 1619; XIII, in-12, L. B. 1621; XIV, in-fol. Antw. 1627; XV, in-fol. ib. 1637; XVI, in-fol. 1648; XVII, in-fol. ib. 1667 et 1668.

Omnino meliores Lipsianæ sunt editiones, quæ post Pichenæ ἔκδοσιν prodiere. Nam ex ea in multis profecit, in quibusdam mentem mutavit, ut ipse dicit in præfatione editionis ultimæ. Itaque etiam in notis quædam diversitas est, et v. c. nota ad A. XIV, 13, ad verbum *reperiret*, non est in ed. 1585; nec bene fecere Gronovianæ editionis curatores, cum notas non ex ultimæ recensionis, exemplo sumpsere: quod nos in nostra editione correximus. Nam aliquot notulas,

quæ in sexta essent, desideravimus in ed. pr. J. Fr. Gronovii, unde nostram exprimi curavimus. H. I, 2, in edd. Gron. ad verba *odio et terrore* est duplex nota Lipsii : nos e sexta reposuimus. III, extr. temere omissa est notula etiam in sexta Lips. quam nos e tertia restituimus. Usum esse Lipsium codicibus Vaticanis et Farnesiano, ante dictum, item excerptis e cod. Agricolæ. Consuluit et editiones veteres, sed non omnes ab initio. Nam in editionis primæ præfatione unam Venetam e sæculo quintodecimo commemorat, quam sibi, ait, pro libro scripto fuisse. In sequentibus paullatim et alias consuluit, ut Romanam quam vocat, id est Spirensis, Venetam alteram Rivii, Beroaldinam, Basileensem Rhenani, et Florentinam Pichenæ. Spirensis exempli excerpta tantum, nec ea accurata habuisse, iis exemplis inductus credo, quibus lectiones profert, quæ in ea non reperiuntur. Aliquot specimina posuisse, non alienum fuerit, eaque ex uno libro Hist. IV, 33, 35, 65 extr., 78 extr., quibus locis videndæ notæ nostræ. Etiam Gruterus ad H. II, 63, ex editione Rom. laudat falso *tenuit* pro *terruit :* sed in hoc facilis aberratio oculorum fuit, non ita in iis, quæ ante posuimus, locis, aliisque pluribus. Vicissim pluribus locis ei lectio editionis primæ ignota fuit. Nam pro conjectura sua interdum adfert, quod est in illa editione. Vide e. c. notas nostras ad A. XV, 23, in voce *Atticæ;* 30, *postero;* 33, *incipere, ausus,* etc. Per vanitatem quidem eum aliena pro suis venditasse, non est vero simile. Cujus editionis textum ante oculos habuerit Lipsius, cum scriberet notas, prælisque accommodarit, nondum potui reperire. Vulgatus tum textus erat Rhenani. Itaque, cum dudum deprehendissem, lectionem, quam ipse *vulgatam* vocat, non semper consentire cum lectione editionis primæ Rhenani, cujus exemplum in manibus erat, putabam, secundæ Rhenani lectiones intelligi. Sed ea comparanda didici, in nonnullis quidem locis ita esse, ut suspicatus eram, sed plures, quas ille vulgatas lectiones vocet, nec ibi, nec in ulla alia superiorum, quas ha-

berem, reperiri. Unde planum est, eum in manibus atque præ oculis habuisse editionem aliquam ignobiliorem, in qua peccata secundæ Rhen. aucta novis essent, quæ ille pro vulgatis lectionibus haberet, de more scilicet vulgari, quo eam quisque vulgatam putat, quam in suo exemplo invenit. Ea quæ sit, nondum potui reperire. Loca quidem ipsa notavi, quorum indicio alii poterunt rem deprehendere, si qui forte illius ipsius editionis exemplum habeant et attendere velint. Gratum mihi quidem fecerit, qui rem deprehensam mihi indicarit. Illud etiam de notis Lipsii criticis monere attinet: Pichenam et alios interdum commemorare Lipsii conjecturas, quæ in notis non reperiuntur. Eæ autem quærendæ sunt in margine exemplorum Lipsianorum. Vide e. g. ad A. XV, 33. Ceterum ita præclare de Tacito meritus est Lipsius, ut merito *sospitator Taciti* dicatur, ejusque commentarius in Tacitum recte a Burmanno, *τῷ πάνυ*, omnibus ceteris ejus libris, quamvis bonis, præferatur, in præf. ad librum *de Vectigalibus pop. rom.* Fabricius in *Biblioth. lat.*, vol. II, p. 754, tradit, in bibliotheca senatus Lipsiensis esse codicem Taciti (ed. Lipsii a. 1585) cum commentariis, ipsa Lipsii manu, deinde a Fr. Hotomanno, Scipione Gentili, Mich. Piccarto, emendatis auctisque. Decepit virum præclarum, qui ei hoc persuasit. In titulo libri est manus Lipsii, donantis id exemplum Hugoni Donello, nuspiam alibi. Gentilis versiculos quosdam in capite scripsit ad Scherbium, cum dono eum Scherbio librum daret. A Piccarto in capite aliquot foliis scripta est chronologia, sive supputatio annorum in Taciti libros, et stemma familiæ Augustæ Lipsianum, quod tum nondum adjectum a Lipsio erat: ab eodem capitum et sectionum minorum numeri in margine adscripti. Interdum et, sed non eadem manu, loca parallela et libri laudati, in quibus de quibusdam sententiis moralibus collectanea essent. Scholia etiam in Agricolam adscripta. Ab hoc tempore lectio vulgata esse cœpit sola Lipsiana.

Cum Lipsius jam aliquoties edidisset Taciti libros a se cor-

rectos, *Curtius Pichena*, Florentinus, edere eosdem emendatius instituit. In ea re codicibus Florentinis usum esse, supra dictum. Habuit præterea editionem Puteolani, cujus lectiones non uno loco restituit. Hic cum vulgatam lectionem memorat, semper Lipsianam ed. 1585 intelligit. Unde sæpe fit, ut vulgatam corrigere se dicat, velut e Florentino, quæ meræ depravationes operarum erant in exemplis Lipsianis, reponatque, quæ dudum in aliis editionibus fuerant. Vide v. c. ad IV, 44, 48. Atque etiam VI, 33, conjecturam Lipsii, quæ nunquam in textum venerat, pro vulgata laudat. Multa ille recepit in textum, quæ Lipsius aliique tantum pro conjecturis posuerant in notis; unde in omnes sequentes editiones propagata jam vulgatæ lectionis auctoritatem obtinent, quam nemo ex ingenio corrigere audeat. Ceterum præclare et hunc de Tacito meritum, convenit, ejusque adeo exempli textus pro accuratissimo et emendatissimo recte habitus est. Gruterus quidem ad Cicer. Verr. V, 7., Pichenam vocat *sospitatorem Taciti, post Lipsium, unico magis unicum*. Florentinæ editionis exemplum non vidi, nec Batavæ, quam parum accurate factam esse monet alicubi J. Gronovius. Usus sum exemplo editionis Francof. 1607, quaternis curatæ, quam Gronovius Batavæ longe præfert.

Pichenæ notæ seorsim prodiere in-8., Hanov. 1608.

Secuta est a. 1638 *Bernecceriana recensio*, edita Argentorati ibique recusa a. 1664 octonis, quæ Pichenæ textum prope totum servavit, pauca de conjectura doctorum virorum, etiam Freinshemii, mutavit, quæ suis locis notavimus. Accessere etiam notæ Freinshemii, in loca intacta interpretibus superioribus, aut secus accepta, dignæ claritate nominis Freinshemiani.

Hujus editionis textus, sed non paucis operarum vitiis admissis, repetitus est in editione, quæ Lugduni Bat. a. 1675 octonis facta, et a. 1685 repetita est, sub nomine *J. Fr. Gronovii*, viri summi: a quo ea editio instituta, sed non absoluta fuerat. Non usus est Gronovius libris scriptis, nec editioni-

bus antiquioribus. Igitur subinde pro conjectura posuit, quæ in editione prima sæpe et aliis, reperiuntur, ut non uno loco a nobis adnotatum est.

Non ita multo post *Theod. Ryckius* ad recognoscendum Tacitum accessit, adjutus codice Agricolæ maxime, excerptis MS. Regii editionibusque Puteolani, Beroaldi, Rivii; ediditque Taciti libros cum notis suis Lugd. Bat. a. 1687, in-12. Exprimi jussit textum Gronovianæ editionis, hoc est Berneccerianum, nisi quod nonnulla e cod. Agr. MS. Flor. cujus excerpta a J. Gronovio acceperat, et ed. Puteol. correxit, quædam etiam, sed oppido pauca, de conjectura.

Accessit post hunc ad recensendum Tacitum *Jac. Gronovius*, instructus excerptis florentinorum librorum, et accuratissima utriusque codicis collatione cum editionis paternæ textu; unde non uno in loco bene textus correctus est. Sed ipse absolvere opus atque edere non potuit, morte præventus. Edidit filius Abrahamus et avitæ editioni patris notas addidit Traj. Bat. a. 1721, in-4. Quantum ille pretii his libris statuerit, supra dictum est. Vellemus, lenius tractasset Ryckium; quem subinde in levi re ita increpat, velut patriæ salutem prodidisset. Credimus tamen, mitius virum excellenter doctum sensisse, quam scripsisse.

Hæ fere sunt editiones, quibus usi sumus in textu Taciti recensendo, cum primum eum laborem suscepimus : ceteræ minus claræ sunt, nec locum obtinent in iis, quibus jus suffragii concedatur, cum de lectione aliqua quæritur. Nam eæ ex harum aliqua ductæ et repetitæ sunt : et, si qua forte in parte discedunt, id aut operis debetur, aut non est tanti, ut propterea earum ratio in hoc censu debeat haberi. Tempus facile docebit, unde quæque derivata sit. Nam, ut ante Lipsium omnes Rhenani editionem expressere, sic postea Lipsium secuti sunt omnes, deinde Pichenam et Berneccerum aut hujus sequaces.

Non tamen prorsus silentio premendi sunt *Janus Gruterus*, qui Taciti opera recognovit in-8., Francof. 1607, ita ut et copioso indice et notis

variorum instruxerit Cornelium, primus quoque ejus libros in capita distinxerit; *Hugo Grotius*, cujus nitida editio prodiit L. B. in-12, notis et emendationibus stipata; *M. Zuerius Boxhornius*, qui pauculis observationibus Tacitum illustravit in-12, Amst. 1643.

Sed exorti sunt duo alii operum Taciti editores francici, qui ad criticam rationem pertinent. Primus *J. Nic. Allemannus* (*Lallemand*) V. C. qui a. 1760, in-12, Taciti opera edidit, usus libro uno scripto Regio, cujus lectiones, in primis cum editione Spirensis consentientes, plerumque in textum e nostra sumptum recepit. Majori conatu et pluribus præsidiis librorum instructus novam editionem molitus est *Gabr. Broterius*, quam a. 1761 Programmate promiserat. Ea anno 1771 absoluta est Parisiis, quatuor magnis formæ mediæ voluminibus. Basin fecit textum recensionis nostræ, ut in programmate professus erat. Usus autem est libris scriptis, qui quidem ab aliis ante se vel omnino non adhibiti fuissent, vel non satis diligenter, Regio (nam Allemannus lectiones ejus, in prioribus libris raro, et quibus locis jam notarat Ryckius, commemorat, ac sæpius l. XIV, ubi tacet Rychius, et interdum utiliter, tum l. XVI), Vaticanis, his recentioribus omnibus e quarto aut quintodecimo sæculo, et Excerptis incerti libri, in margine Beroaldino, scriptis : quorum lectiones in notis criticis exhibet, additis conjecturis interdum suis et judiciis super aliorum lectiones et conjecturas, item aliorum virorum doctorum correctionibus, in marginibus exemplorum Taciti repertis, quibus illi usi erant. Hujus viri doctissimi labor quid huic secundæ nostræ editioni in genere critico profuerit, notæ nostræ indicabunt.

Recudi curavit *Broterius* Tacitum suum octonis Parisiis a. 1776, vol. 7, cum supplementis et notis selectis, quibus accessere *Politica, res Trajani, supplementum dialogi de Oratoribus et fragmentum libri XCI Titi Livii, supplemento et notis illustratum.* Repetita est hæc editio, omissis, quæ ad Tacitum non pertinebant, Amstelodami octonis a. 1780, vol. 5.

Abhinc egregie de Tacito promeriti sunt Professores Bipontini celeberrimi, quibus seriem classicorum auctorum Græcorum Latinorumque probe curatam debemus, *G. Chr. Crollius*, *Frid. Chr. Exterus* et *Joh. Val. Embserus*. Hi id egerunt, ut Biponti 4 vol. a. 1779 octonis darent Cornelium

emendatiorem et critica sua aliorumque opera illustratum. Repetiit a morte collegarum Exterus editionem, et notitiam literariam operi præmissam aptius et dilucidius dispositam exhibuit a. 1792.

Antequam hunc locum de editionibus relinquimus, libet monere studiosos, ut discant, quæ res sit ea, quam *vulgatam sive receptam lectionem* dicant, quam tam sæpe in ore habeant imperiti rei criticæ, cujus tantam reverentiam plerique ita profiteantur, ut reverentiam erga auctoris cujusque libros nulla in re magis ponant, quam in conservandis eorum vitiis omnibus. Vere dixit, qui homines plerumque nescire dixit, quid sibi velint, cum de recepta lectione vulgatoque textu loquantur. Plerumque vulgatam et receptam lectionem homines intelligunt, quam in suo libro habent, hoc est sæpe conjecturam in textum illatam, quod sexcenties in Tacito factum, vitium operarum, correctionem pravam male curiosi correctoris speciminum typographicorum. Itaque, quod mirere, alius aliam vulgatam lectionem et receptam habet. Intelligitur res planissime Taciti exemplo. Rhenanus vulgatam lectionem, ut vidimus, intelligebat, quicquid esset in editione Basileensi 1519, sive recte, sive prave expressum. Post eum intelligebant hoc nomine, quidquid in editione Basileensi Rhenani esset, aut in iis, quæ ex hac fluxissent; Lipsius lectionem ignobilioris et obscuræ editionis, quam prælis typographicis accommodabat, vel maxime ejus mendas; Pichena omnem qualemcunque Lipsianæ editionis 1585; Ryckius editionis Gronovianæ, sive Berneccerianæ. Quæ ergo est vere vulgata et recepta Taciti lectio? Profecto sæpe animadverti, vulgatæ lectionis nomen nihil esse, nisi, quod de Fortuna dixit vetus aliquis, ἀγνοίας εἴδωλον, perfugium certe inscitiæ. Non videndum est in scriptoribus antiquis, quæ vulgata lectio sit (sunt enim sæpe in uno loco plures vulgatæ; atque etiam mendæ vulgantur, ut centies in notis ad Tacitum docui), sed quæ bona sit, e bonis libris et correctis ducta, et linguæ legibus rebusque consentiens maxime. Sed tempus est dicendi de nostra editione, quidque in ea curanda actum sit.

J. G. Grævius existimabat, Taciti libros adhuc valde esse mendosos, mirabaturque Lipsium de locis mendosis tam raro admonuisse in commentario suo : in *ep. ad Heins. t. IV, Collect. Burm.* p. 498. Recte. Neque id librorum modo scriptorum vitio accidit, quorum etiam optimus quisque vitiosus multis locis et interpolatus est, ut supra vidimus, notæque virorum doctorum non uno loco docent, sed etiam editorum, qui, exemplis veteribus non diligenter conquirendis comparandisque, vitia operarum non animadversa propagaverunt. Itaque dedi operam, ut, quoad diligentia conferendarum veterum editionum fieri posset, perficerem, ne ab hac parte aliquid omitteretur, quo emendatior Tacitus reddi posset. Et libris editis quidem usus sum omnibus, qui prodesse poterant, hoc est iis, de quibus ante dictum est, quorum varietatibus, quanta potui diligentia, notandis, consecutus sum, ut non modo multis locis Tacitum vitiis operarum, temere per multas editiones propagatis, liberarem, sed etiam origine cujusque lectionis reperta, quæ melior esset, judicare possem. Vellem equidem, ut mihi licuisset codices scriptos conquirere, iisque excutiendis aliquid ad Tacitum emendandum adjumenti comparare : sed, quoniam boni, qui quidem nondum in consilium ab editore aliquo vocati essent, non suppeditabant, editis contentus esse coactus sum. Usus tamen sum, cum primum edebam, ut supra indicavi, *codice Guelferbytano*. Is etsi recens est, tamen et ad lectiones nonnullas confirmandas, et ad meliores indagandas, subinde profuit. Complectitur solos libros Annalium inde ab undecimo, et Historiarum. Scriptus est in membrana, manu elegante, sed passim correctus a manu secunda : ita tamen, ut plerumque priorem lectionem adsequi liceat. Correctiones sæpissime cum lectionibus editionis primæ consentiunt : sive ex eodem codice, sive ex ipsa illa editione promptæ sunt.

In Germania recensenda usus sum etiam varietate *codicis* chartacei *Turicensis*, a Petro de Numagen, Trevirensi, Ca-

pellano S. Leonhardi prope Thuregum (ita se vocat ipse) sub finem sæc. XV scripti : quem mea caussa, pro singulari sua in me benevolentia, excerpsit J. J. Breitingerus V. C. Præterea mihi Kappius noster obtulerat editionem libelli veterrimam, qua comparanda cum vulgatis cognovi, esse illum ipsum *codicem*, quem ab *Artolpho* medico acceperat Rhenanus. Ejus ope mihi licuit reperire originem lectionum, a Rhenano in illum libellum inductarum, et ipsum libellum non uno in loco correctiorem reddere. Ita autem in multis consentit cum excerptis veteris editionis, ab Abr. Gronovio adjectis Var. Lect. cod. Arund. ut ab initio eandem putarem. Sed deinde ita reperi differre, ut illum librum ab hoc diversum judicarem.

Præter codices manu exaratos, quorum mentio hic facta, Paullus Daniel Longolius, cujus commentarios in Tacitum amplos et eruditos excerptos dedit Joh. Kappius in Taciti libello a. 1788 Lipsiæ forma octava edito, usus est duobus MSS. chartaceis, quorum alterum *Hummelianum*, ab ipso Hummelio in *der neuen Bibliothek von seltenen Buchern* 1 *B. p.* 212 descriptum, nec multum supra typographiæ natales adscendentem, cum editione Rhagiana in-4. Lipsiæ 1509 contulit; alterum ipsius *Longolii*, post incunabula typographiæ scriptum, et a fine capitis octavi ad caput 43 procedentem.

Quam hic editionem veterrimam Kappii dicit noster, in recensenda Taciti Germania, Rhenani exemplo, codicem dicit, minus adcurate. Ista autem *Kappianus* liber idemne fuerit cum eo, quem ab Hieron. *Artolpho* acceperat Beatus, disquirendum. Scilicet duæ sunt Germaniæ Taciti editiones veteres, diei Consulisque, typographi etiam et loci nota destitutæ, quæ in bibliotheca Argentoratensi publica extant. Harum altera formæ majoris, quæ ex prælo Frid. Creusneri Norimbergæ prodiit, charactere gothico, cujus singulæ paginæ lineas 33 (non 35 ut apud Panzerum legitur) offerunt, in fronte sic habet : *Cai. Cornelij. Taciti. Equitis. Ro. Germania. incipit.* in fine folio 11, *Laus Deo clementissimo.* Alterius, quæ mediam formam obtinet, character Johannem Gensberg Romanum typographum prodit. In fronte prorsus eadem epigraphe, quæ in priore, sed in fine folio 16 legitur : *Deo gratias.* Meminit Panzerus t. IV *Annal. typogr.* p. 162 tertiæ editionis veteris, subjunctæ *Mirabilibu: Romæ.* Verum bene viro doctissimo suboluit, non ad ipsam *Mirabilium* editionem spectare, sed cum iis esse compactam. Romanæ saltem istorum editioni a. 1515, quæ mihi est ad manus, nil aliud est adjectum. Ista ergo, quæ pro tertia venditatur, Germaniæ editio vetus, a Romana fortassis non differt. Est hoc eo magis verisimile, quod et *Mirabilia* Romæ sunt impressa, et quidem eadem

forma cum Taciti Germania. Duæ, quas dixi, editiones in multis conspirant. Est tamen et ubi discrepent. Sic Norimbergensis usum diphthongi habet, qua caret Romana. Hæc quoque spatium reliquit vacuum, ubi ista c. 3. Græcam vocem corruptam, sed Latinis literis exhibet *Acriníprion*, prorsus ut liber Kappii, ex quo patet, hunc non alium esse ac Norimbergensem : eumdem vero esse Kappianum cum codice Artolphi quo usus Rhenanus, omni caret dubio. Igitur eo Rhenanus et Ernestius peccavere, quod contra morem consuetum codicem dixere, quæ editio est typis expressa. Ita scilicet Johannes Kappius aliquoties, ut ad cap. 11 et 19 codices Kappii et Longolii, item MS. Kappii et Longolii, citat, quum editionem veterem a Kappio oblatam Ernestio et MS. sive codicem Longolii nominasse deberet. Rem sic sese habere, et codicem falso sic dictum Kappii esse revera istam editionem Norimbergensem, ex notatis nostris abunde patebit. Cf. saltem c. 13 et 20. Patebit ex iisdem, hanc ipsam esse quoque eandem cum ψευδοcodice Artolphi. Obstare tamen loca quædam videntur, in quibus Rhenanus codici Artolphi contraria adscribit iis, quæ in ista editione comparent. Verum hic noscendum, Rhenanum in notandis variantibus locis editionis antiquæ admodum supine esse versatum, quod ex his ejus verbis ad caput 15 constat. « Pro *ac viritim* ex priori collatione reperi scriptum in margine voluminis mei, sed literis pene fugientibus exolescentibusque, *ac virium* sive *ec virium*. » Docent hæc, Rhenanum a. 1533 non amplius ad manum habuisse editionem istam veterem, quam cum eo communicarat a. 1519 Artolphus, sed ex hac margini exemplaris sui adlitas antehac notulas, et quidem negligenter adeo adspersas, consuluisse a. 1533, ut fugientes literas ipse non nisi difficulter dignosceret, cujus rei specimina videsis ad cap. 1, in voce *Abnobæ*; c. 11, in *tum*; cap. 26, in *sepiant*; c. 40, in *Reudigni*. Contra editio Romana vetus differt ab ea, quam codicem Artolphi salutat Rhenanus, etsi frequenter etiam cum Norimbergensi conspiret. Dissensus exempla dabunt c. 2, *ac nunc.... tunc*; c. 3, lacuna relicta; c. 5, *perinde*; c. 10, *consoletur*; c. 11, *auspicatissimum*; c. 15, *ac viritim*; c. 19, *vocatur*; c. 20, *noscas*; c. 21, *utiliter*; c. 31, *raro*; c. 40, *Reudigni*; c. 44, *hinc vel illinc*; c. 45, *cadentis*; c. 46, *huc*, etc.

Sitne codex ille, ex quo Groslotius c. 22 dedit *gens non astuta aut callida*, manu exaratus, an editio quædam vetus, hariolari mihi non licuit. Editiones veteres, quas inspexi, constanter *nec* offerunt. Aliud quid ex vetere codice suo profert idem ad c. 34, quod cum nostris minus convenit.

Meminit porro Gebauerus in vestigiis Juris germanici, p. 920 editionis Viennensis a. 1514, excusæ forma quarta, quam et Ernestius et Bipontini editores ignorant. Error sine dubio hic hæret; Conradi Celtis editio intelligenda videtur, quæ Vindobonæ a. 1515 prodiit, memorata Panzero, t. IX, v. 24.

Jam Is. Vossius ad Melam, l. III, c. 3, veterem adlegat Taciti librum, qui cap. 45 lectionis varietatem offert, in nullo nobis cognito deprehen-

sam. Forsan idem est cum Groslotii codice, aut Fulvii Ursini, de quo videsis notata ad vitam Agricolæ, c. 19.

Habui etiam editionem Poggii Flor. subjectam versioni latinæ Diodori a. 1476, Venetiis, per Andream Jacobi Katharensem curatam, quam bibliotheca nostra Paullina suppeditavit. Ejus lectiones ab initio libri indicavi, hoc consilio, ut appareret, eam plane cum editione Joh. Spirensis, cujus etiam vitia omnia servat, consentire : omnes per totum deinceps libellum enotare supersedi. Editionem Bononiensem a. 1472 laudatam Pichenæ ad c. 2, nunquam vidi, estque fortasse in eo nomine error memoriæ, Bononiam pro Mediolano suggerentis. Nam a Minutiano eo, de quo supra dixi, hunc libellum etiam separatim editum constat, ut ab Rhenano, eodem, quo cetera edidit primum, a. 1519, in-8.

Constat nunc, editionem Bononiensem a. 1472 esse ipsam, primam scilicet, a Poggio Florentino emissam cum Diodoro Siculo. V. Maittaire, p. 319; Panzer, t. I, p. 205; Debure, *Bibliogr. instr.*, n. 4766.

Venit etiam in manus exemplum tale, a Jo. Rhagio Æsticampiano, viro clarissimo, proditum in hac urbe a. 1509, in-4. ex priori aliqua editione.

In libro de Oratoribus non eam diligentiam adhibui in notandis lectionibus veterum editionum. Nam nec tanti putabam in isto libello, cui ego nunquam tantum pretii statuissem, quantum vulgo solet; et tanta est multitudo varietatis, nullum magnopere usum habituræ, ut nemini me gratum facturum putarem.

Ad Dialogum de Oratoribus tres Vaticanos codices contulit Broterius, qui Lipsii diligentiam fugerant. Is enim Germaniam, Agricolam et Dialogum laudatum a Vaticanis afuisse scribit. Dialogum hunc nuperus auctoris nostri interpres Dureau de Lamalle Tacito bene vindicavit. Inter alia argumento etiam a dicendi formis Cornelio suetis, quales *famam alicui circumdare*, *inserere fortunæ*, *famæ*, etc.

Sed præter libros scriptos editosque, adhibui etiam in consilium viros doctos, qui vel ex instituto in Tacito corrigendo laborarunt, vel obiter in libris suis loca corrupta emendare tentarunt; cujus generis multa notata e lectionibus meis ha-

bebam. In illis etiam fuere Groslotii *conjecturæ ad Dousam* a. 1581 missæ, quas *Syllogæ suæ epistolarum* inseruit Burmannus, t. I, p. 348, et Heinsii *observationes ad libros tres priores Annalium*, quas Dorvillius, a Burmanno Secundo, V. Cl. acceptas, *Observationum Miscell. vol. IX* inseruit. Sed nunc Heinsianas notas universas huic secundæ editioni nostræ addidimus, acceptas ab eodem Burmanno, per Fr. Oudendorpium jam tum, cum editio prima fiebat, sed serius, quam ut tum addi possent. In iis usus est uno libro scripto Agricolæ, cujus lectiones longe plures, quam Ryckius, attulit. Sæpissime conjecturis, interdum audacius, quam in poetis solebat; in quibus metri vincula conjectandi lubidinem facilius cohibent, quam in prosaicis scriptoribus. Facile intelligitur, ultimam curam defuisse, quæ limaret scripta, et fluctuationem in conjectando tolleret; quæ est interdum tanta, ut nobis quidem etiam molesta fuerit. Ceterum multum inest ingenii atque doctrinæ. E bibliotheca ducali Vinariensi acceperam etiam, beneficio Bartholomæi, viri venerandi, qui in aula Vinariensi, pari cum doctrinæ et sanctitatis laude, sacra faciebat, exemplum editionis Parisinæ, a Morello 1612 duodenis, ad Lipsiani textus exemplar, factæ, quod olim Heinsii fuit, passimque notatum erat ejus manu. Sed chartæ ita diffuderant transmiserantque atramentum, ut raro scripturam assequi liceret. Quæ quidem assecutus eram, vidi esse aut scholia, aut conjecturas de lectione, vel ante apud alios jam repertas, vel incognitas ante mihi. Eas notare cœperam, cum spes adferebatur de notis Heinsianis e Batavis. Itaque tum nolui diutius oculis meis vim facere.

In Lipsii notis loca auctorum ab eo excitata studiose contuli et lectorum in gratiam adcuratius indicavi, subinde etiam errata quædam emendavi. Idem in Heinsianis præstiti, quas ex Ryckii animadversionibus aliquoties auxi. Satis enim nunc constat, apud hunc sub amici nomine Nic. Heinsium latere, quod et Ernestio ad 4, 58, et Wopkensio ad 1, 11 visum. Unde præterea Heinsio quoque vindicanda notata ad H. 2, 74, 4. 3, 29, 3. et 34, 2. 4, 14.

Ex eadem bibliotheca mihi submissum erat exemplum Berneccerianæ editionis, quod Schurzfleischii manu in margine notatum diceretur. Sed ibi quoque quam pauca repererim digna relatu, e notis nostris apparebit. Denique acceperam e bibliotheca Cizensi a J. Frid. Leisnero, viro doctissimo et vetere amicitia mihi conjuncto, qui tum ei bibliothecæ præerat, notulas Reinesii, in margine exempli scriptas, quo ille usus fuerat: e quibus nonnullas in notis meis commemoravi. Quæ autem sub Schefferi nomine ad Agricolam attuli, ea sumpta sunt ex ejus observationibus, quæ in *Observ. Misc. Dorvillianis, vol. IX, t. III* reperiuntur. Ceterum et ipse operam dedi, ut examinandis diligenter verbis Taciti omnibus reperirem, ubi vel interpolatus esset, vel corruptus. In quo tamen hac, ut debui, moderatione usus sum, ut nihil mutarem de conjectura in textu, ubi non evidentia esset ea, ut quemvis viderem probare correctionem debere, qui latinitatis universæ, et Cornelianæ indolem accurate cognoverit, et usum rei criticæ habeat.

Ernestinam editionem repetiit J. H. Dotteville ex PP. Oratorii, in editione curata Parisiis, in-8., vol. 7. Prodiit ea tertium a. 1792, adjecta versione Gallica, partim Bletterii Abattis, partim ipsius editoris. Contulit hic denuo codicem Parisinum Bibliothecæ regiæ, itemque alium congregationis suæ, cujus ductu hinc inde quædam mutavit in textu.

Sed hic mihi audaciæ invidia deprecanda est in eo, quod non uno loco me existimare, aut suspicari professus sum, Tacitum interpolatum esse, ut A. XVI, 2, in voce *visoribus*, in Germ. 39 et aliis nonnullis locis. Possim me tueri, sociis istius culpæ commemorandis. Gruterus quidem passim ἐμβλήματα agnoscit, reprehensus eo nomine a Jac. Gronovio ad l. IV Annal.; et Grævius, ut supra dixi, etiam illos antiquissimos codd. Florentinos interpolatos judicabat. Sed non utar ista defensione. Etenim exemplis iis doceri potest, codices Taciti etiam optimos interpolatos esse, de quo nemo hodie dubitet, postquam a Lipsio Pichenaque ea ipsa ἐμβλήματα sunt exempta. V. Lips. ad A. XIV, 8 extr.; et Pich. ad H. III,

20; me ad XVI, 2; H. III, 7, 8. In primis in Tacito interpolationes factæ sunt duabus de caussis. Primo, concisus scriptor cum esset, glossæ sæpius, quam in aliis libris, in margine aut inter versus scriptæ sunt, quæ inscitia librariorum facile in textum venire potuere : sicut non uno loco docuimus, varietatem lectionis, in margine scriptam, in textum migrasse; quod et in aliis scriptoribus antiquis non raro factum. Deinde MSS. in his Guelferbytanus, docent, in margine Taciti scriptas fuisse a dominis sententias similes, versiculos poetarum, capita rerum, et similia. Sic A. XI, 7. ad verba : *sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura*, eadem manu adscriptum est e Ciceronis Tusculanis : *honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Ibid. 31, ubi in textu codicis est *feminæ nebridibus cinctæ*, in margine est glossa : *nebridibus, pellibus cervinis*, a prima manu. XII, 7, ad verba : *cuncta feminæ obediebant*, in margine est a m. pr. *dux femina facti;* quod e Virgilio esse, sciunt omnes. Ibid. ad c. 66 extr. versus Juvenalis : *Instituitque rudes melior Locusta propinquas per famam et populum nigros efferre maritos.* XIII, 17, juxta verba : *antiquas fratrum discordias et insociabile*, scriptum est : *Fratrum quoque gratia rara est :* et, *non capit regnum duos.* L. XV, 33, init. in margine glossa hæc est : *scena locus umbratilis, ubi fiunt demonstrationes.* Mox c. 39, extr. ad verba : *cecinisse trojanum excidium*, in margine hemistichium Juvenalis : *Troica carmina scripsit.* H. I, 10, ad verba : *bellum judaicum Flavius*, ex eodem Juvenali : *cum jam semianimem laceraret Flavius orbem.* Ad c. 21, verba : *nec cunctatione opus*, adscriptum Virgilianum : *rumpe moras.* Ad c. 30, verba : *muliebri ornatu*, in margine iterum e Juvenali : *et pressum in faciem digitis extendere panem.* H. III, 7, ad *Galbæ imagines subversas* additum : *et Galbam auriculis nasoque carentem* ex eodem. Hinc, quam

proclive fuerit, aliquid in textum inseri, quis non videt? cum id etiam in aliis libris antiquis, ut Ciceronis, Livii, factum esse constet.

Interpretes nactus est Tacitus numero permultos, sed non admodum multos valde probandos. Sunt autem duo genera: alterum eorum, qui de emendatione corruptorum, et explicatione obscurorum laborarunt: alterum horum, qui prudentiæ civilis e Tacito discendæ magistros se professi sunt. Hujus generis magna multitudo superiori sæculo extitit. Etenim tempus fuit, quo in magno pretio ista ratio haberetur, atque adolescentes cupide et frequenter ad scholas confluerent, in quibus non tam agebatur hoc, ut Tacitus recte intelligeretur, quam ut civilis prudentia, ut jactabant, e Tacito disceretur: allicientibus stultitiam adolescentum illius rationis præconibus, qui politicas artes induere isti ætati stulte tentarent. Abiit tempus illud. Cœptum est intelligi, quam parum utilis in eo labor susciperetur. Itaque et libri ex eo genere nec requiruntur hodie, nec leguntur. Merito. Etenim hæc ratio Taciti interpretandi, quæ congerendis similibus sententiis exemplisque, et eliciendis quibusdam consectariis, ad mores vitamque humanam pertinentibus, continetur, nec ingenii aliquid requirit, nec quicquam docet, quod non sua sponte cuivis in mentem veniat, ubi verba Taciti recte intellexerit. Verissime Gordonus, Britannus, in *Disput. historicis et politicis super Taciti libris, t. I*, p. 72 : « *De tous les commentateurs politiques de Tacite*, je n'en trouve que bien peu d'estimables : je parle de ceux que j'ai vus, dont la plupart sont au-dessous du médiocre. Ce ne sont que des compilations ennuyeuses de lieux communs, des paraphrases languissantes, où le sens de l'original est noyé dans des explications superflues : les réflexions pleines de feu de Tacite, y sont converties en maximes usées, souvent malheureusement transformées, la plupart frivoles et affectées : ce ne sont encore souvent que des idées communes, à la portée

du moindre paysan, ou d'un enfant; des déclamations bouffies et ennuyeuses, fort travaillées, et où l'on n'apprend rien. Voilà ce que l'on peut dire en gros des commentaires de Boccalini, d'Annibal Scoti, de Forstnerus, de Schildius, et de plusieurs autres. » Idemque mox de Amelotii conatibus recte judicat: et erit, ut opinor, tempus, cum non multo secus de Gordono judicabitur. Namque hoc genus interpretum cum altero illo critico et grammatico ita et pretio et usu et fato comparatur, ut ascetici theologorum libri, compendia et systemata doctrinæ concionesque populares, cum commentariis in libros divinos eruditis Masii, Merceri, Bezæ, Vitringæ, Grotii, aliorumque similium. Utiles libri illi esse possunt imperitis, tironibus; a doctioribus non magnopere leguntur, et cum auctoribus fere moriuntur. Ex altero autem genere longe princeps est Justus Lipsius, quo maxime duce uti debent, qui ad Tacitum legendum accedunt. Huic proximus est Joh. Fr. Gronovius, qui justum quidem commentarium non scripsit, ceterum notis, quamquam paucis, plurimum lucis Tacito adfudit. Itaque horum notas huic editioni addidimus. Magnam etiam laudem merito suo consecuti sunt Pichena, Freinshemius atque Ryckius. Sed eorum notas non capiebat modus libri, qui juventuti destinabatur. Et dedimus operam, ut, quæ illi bona habent, in primis necessaria ad recte intelligendum, e notis nostris, sub eorum tamen nominibus cognosci possent: quod etiam in aliorum observatis fecimus: curavimusque, ut ne quis ceteras, quæ in editionibus Gronoviorum reperiuntur, notas magnopere desiderare posset: in quibus multa sunt hodie vulgata, sæpe etiam inepta, in primis in notis Salinerii, quæ, vix adsequor, quare dignæ habitæ sint, quæ istis editionibus insererentur, cum tam sæpe ipsi Gronovii pro gerris siculis, fabulis, nugis repudient. Vid. ex. c. Joh. Fr. Gron. ad XII, 18. Jac. quidem Gron. ad XIV, 33, plane, *Salineriana semper claudicant et inepta sunt*. Similiterque interdum de notis Vertranii et

Donati judicant : v. ad XIII, 49, 51 ; XV, 74. H. I, 24 extr. de notisque Lupani judicandum erat, quæ subinde falsissimæ sunt, adeoque noxiæ esse non satis peritis possunt, nisi refellantur. Eademque de causa ceteros Taciti interpretes recentiores negleximus, in primis Ludov. Aurelium (d'Orléans), cujus commentarium in Annales Paris., 1622, editum habemus, et Julianum Pichonum, qui in usum Delphini Tacitum edidit : cum hic nullam operæ suæ laudem tulerit, ille etiam ineptiarum et peccatorum sæpe puerilium merito arguatur. Vid. Fabrett. ad. Column. Traj. p. 192, 253, etc. Unde falli patet Fabricium τὸν μακαρίτην, qui in *Bibl. lat.* v. I, p. 475, prolato loco e Colomesio, ubi *novus sed aliquando ineptus cogitator* vocatur, existimat, Colomesium scripsisse *non ineptus*. Accessere nuper duo Francici, Alemannus et Broterius, de quorum editionibus supra memoravimus : uterque usus est superiorum notis ad interpretationem pertinentibus : ceterum sæpe nimis pueriles notas scripsere et explicavere, quæ apud nos quidem nemo de tironibus sibi explicari velit, præsertim ex iis, qui ad Tacitum legendum accedant. Broterius etiam dissertationes, ut vocat, addidit, in quibus plerumque loci communes antiquarii tractantur; super quos commodius erat lectores ad lexica aut antiquitatum scriptores ablegari. A nobis quidem cura habita est, ne quid inexplicatum relinqueremus, in quo hærere possent ii, qui ad Tacitum legendum admitterentur, hoc est, jam aliquantum literis latinis eruditi : qui sane non opus habent talibus notis, quales fere sunt hæ, de quibus diximus, item quæ, ad modum Minellii scriptæ, in hac urbe a. 1714 prodiere. Neque illustrare negleximus, ubi res postularet, quæ ab aliis aut omnino non, aut non satis illustrata videbantur; in quo tamen brevitate usi simus, apta consilio nostro. De *vexillariis*, quorum sæpe mentio fit apud Tacitum, diatriben ad calcem posuimus, item de *SC. quo Vespasiano imperium datum est, et lege Regia*, admonitu J. M. Ges-

neri, V. C. ob raritatem orationis Gronovianæ de lege Regia. Eam, in hac secunda recensione, etiam, per occasionem eorum, quæ interea super hoc monumento scripta sunt, locupletavimus. Adjunximus etiam duo monumenta antiqua Græca e Chishulli *Antiquitatibus asiaticis*, ad illustrandum Taciti locum de Asylis pertinentia.

Monumenti Ancyrani particulas quasdam subjungere constitueram; re probe pensitata totum illud, omissis pauculis, ex quibus nihil extricari potest, dare decrevi et succincte illustrando variorum observatis mea intersperai. Quarum unam ex fragmento græce verso, Pocockii industria servato, vir eximius mihique a multis retro annis amicissimus S. Croix scite emendavit. Laudati quoque viri beneficio dissertationem de re Parthorum publica debet lector, cui hoc eo erit gratius, quo frequentior apud Tacitum gentis ejus mentio incidit.

Novos præterea, et ad usum studiosorum accommodatiores indices fieri curavimus. Nam magnum illum Bernecceriannm nec modus, quem huic editioni statueramus, capiebat, nec res et ratio magnopere desiderabat. Etenim, ut mittam, pluribus locis eum esse vitiosum (v. Præf. ed. Gronov. min.) multa non habere, quæ nos in eo quæsierimus; innumerabilia exhibet, quæ nemo quærat, h. e. vulgaria et ubivis obvia, quorum exempla nemo a Tacito petat. Itaque sic instituimus, ut primo res a verbis sejungeremus, conficereturque *index historicus*, multo auctior iis, qui in editionibus Pichenæ et Ryckii reperiuntur, hac quidem ex parte, qua titulus ejus desideraret: nam sententias morales negleximus: deinde, ut in verborum indicem referretur, quicquid aut non nimis tritum, aut Tacito proprium esset, efficereturque adeo *index latinitatis Cornelianæ*, unde et cognosci ipsa, in unum locum congesta, a studiosis et suppleri lexica et peti formularum dicendi rariorum exempla, possent. Hujus congerendi ac digerendi laborem sibi imponi passus est olim Car. Lud. Bauerus, A. M. disciplinæ nostræ ante alumnus, nunc rector Gymnasii Hirschbergensis in Silesia, præclari vir ingenii, idemque hebraice, græce latineque doctissimus: sed cum nos

ipsi in hac repetita recensione innumerabilibus prope locis locupletiorem fecimus, cum, quicquid non vulgare, insolentius, etc., videretur, inspiceremus, an inesset, nec ne.

In hac nova editione quoque index aliquanto auctior comparet.

Illud quoque non alienum fuerit indicare, textum editionis Gronovianæ minoris a nobis accommodatum prælis fuisse. Etenim id subinde scire refert eorum, qui in recensendis scriptoribus antiquis versantur, ut patet ex iis, quæ de editionibus Taciti, in primisque Lipsiana, diximus. Nemo est ita vel lynceus, vel semper satis attentus, in rebus præsertim tam minutis, qui non interdum aliquid vitii in textu libri, quem tractat, prætereat. Id si nobis quoque accidit, et aliquid inde vitii in hanc nostram editionem, quod operis non debeatur, irrepsit, fontem indicavimus. Ceterum illud confirmare possimus, actum hoc in primis esse, ut textus Taciti quam emendatissime exhiberetur. Itaque nec piguit me ipsum inspicere specimina typographica, et textum quidem totum quam diligentissime perlegere. Qua cura effecimus jam in prima editione, ut oppido pauca ab operis peccata remanserint, quæ in calce operis tum notata, nunc et ipsa sublata sunt. In notis Lipsianis, quas ipsi non correxeramus, plura erant, præsertim in Græcis, parte quidem priori operis : nam, animadversa re, Græca ipsi inspicere cœperamus : sed et hæ nunc emendatiores reperientur.

Non tamen dissimulare licet, quod et Bipontinis aliisque observatum, multis mendis, potissimum in notis contaminatam esse Ernesti editionem secundam, in Græcis præprimis, quæ nunc plurimum correcta. Aliquoties integras lineas omissas deprehendi, ut ad H. IV, 28; V, 10; Germ. c. 7. Immo in nota ad H. II, 4., Freinshemii observatio neglecta sensum turbavit nexu sublato. In numeris frequenter peccatum est, quod ex confusione signorum romanorum et vulgarium ortum. Sic confusa II et 2 ad A. II, 48; XIV, 25, etc. Litera *l*, ubi *lege* signabat, nonnunquam reddita est per *libro*. V. ad A. II, 48; III, 19, etc. Nomina propria male posita, ut ad A. VI, 3, ubi *Suetonius* pro *Sidonio* citatur. Est et ubi Budensis codex perperam adlegatur, ut ad A. XVI, 9, item ubi Rhenanus, ut ad

H. III, 22, ut alia mittam. Unde norit Ernestius, in Budensi A. XIV, 53, legi *me ipse*, non capio; Rhenanus saltem non indicaverat.

Multa adhuc restant, de quibus dici, de more præfationes talibus libris scribentium, possit: de Tacito ipso, ejusque libris, qua materiam, qua formam. Sed his pleni jam sunt eruditorum libri.

De ordine tamen, quo scripta Taciti ab ipso sunt elaborata, non erit superfluum addere pauca. Scripsit nondum quinquagenarius *vitam Agricolæ*, soceri sui, vivo adhuc Nerva circa a. C. 97; librum *de moribus Germanorum*, consule II Trajano, anno sequente; *Historias* ab excessu Neronis ad mortem Domitiani, divo Nerva et imperante Trajano, e quibus quatuor libri priores et quintus mutilus extant; demum *Annales* ab excessu Augusti ad Neronis usque mortem. Eorum extant libri sex primi et quintus quidem mutilus, dein post quatuor librorum lacunam reliqui, quorum ultimus quoque in fine truncatus. Ordinem operum ab editoribus esse inversum res ipsa docet. Addi solet ex more *dialogus de Oratoribus*, quem alii Quinctiliano, codices manuscripti Tacito, tribuunt, qua de re vid. Ernestium in Fabricii *Bibl. lat.*, t. II, p. 325 seq.

Atque etiam temerarium sit fortasse, judicium suum de Tacito interponere, cujus etiam dicendi genus is, quem supra commemoravi, Gordonus, magnus Taciti admirator (admirantur autem maxime et Livio aliisque, ut Plinium Ciceroni, longe præferunt omnes, qui sibi valde acuti videntur), is igitur ita defendit, ut omnes a reprehendendo deterruisse videatur. *Nemo*, inquit, *Tacitum intelligit, nisi qui rempublicam gerat.* A perpaucis ergo, bone Tacite, intelligeris. *Tacitum esse*, francicus quidam scriptor ait, *oportet, qui Tacitum intelligere, qui de Tacito judicare velit.* Quam modeste! Etenim ipse intelligebat haud dubie. Non dicam, quam sit in promptu cuique, pari modestia respondere: Livium, Ciceronem esse oportet, etc. Illud æquum est, quod dicam. Ego omnibus concedam, ut Tacitum Livio, Plinium Ciceroni, præferant, et utriusque genus dicendi in primis admirentur et pulcherrimum dicant. Ipsi contra mihi concedant, Plinio et Tacito potius, quam ipsis credere: Plinio, cum se Ciceroni simillimum esse vo-

luisse, id consequi per ingenium non potuisse, fatetur (I, 5, 12; IV, 8, 5); Tacito, cum Livium eloquentiæ præclarum in primis (A. IV, 34) et eloquentissimum (Agr. 10) vocat. Dixerint magni rhetores (sic Gordonus, part. I, *Diss.* I, c. 5, probante auctore *Bibl. britann.*, t. I, p. 37) res a Tacito scriptas non pati Livii copiam? Feram facile. Sed ipsi pari facilitate ferant, me de Tacito credere, quod ipse de Seneca dixit: *Fuit illi viro ingenium amœnum et temporis illius auribus accommodatum.* Nam illud magni Baconis Verulamii (*de Augm. Scient.*, l. VI extr. p. m. 182) ad injuriam faciundam dictum existiment, de stylo Plinii et Taciti. *Mediocribus ingeniis gratus esse solet.* — Imitatorem Sallustii vulgo Tacitum vocant. Si de verbis intelligunt; non minus sæpe Virgilium et Livium imitatur, ut in notis passim indicavi, ubi quidem locus ipse cujusque statim occurrebat; haud paullo sæpius indicaturus, si non laborem quærendi, cum numeros librorum capitumque non tenebam, fugissem.

Sed satis diu lectores tenui. Itaque finem faciam, sed lectoribus peritis harum rerum rogandis, ut, si qua in re a nobis erratum repererint, quod non uno loco ne factum sit veremur, aut ignoscere nobis, aut in viam nos reducere velint: sed ita, ut nos in aliis fecimus, hoc est, secundum Ennianum illud: *Erranti comiter monstrat viam.* Scripsi Lipsiæ, mense maio a. C. CIↃIↃCCLXXII.

Equidem in curanda hac editione, præter varia doctorum virorum observata, Joh. Frid. Hilleri, Eloq. P. P. Wittebergensis, *racemationes* inde ab a. 1777, occasione programmatum, quibus ad Orationes academicas et alia sollennia invitabat, emissas, in usum traxi.

Khunius, cujus animadversiones quasdam nostris insertas videbis, nostras est vir celeberrimus olim universitatis orator et historiarum professor, qui istas aliasque exemplo, quo usus erat, Taciti ad marginem adleverat. Nonnullas quoque debeo interpreti gallo paulo ante memorato.

Quam sint egregia, quibus celeb. Thomas Wopkensius illustraverit Tacitum, ex iis indicare licuit, quæ Cl. Wolfius in notis ad primos Annalium protulit. Cujus Obs. in Actis societatis trajectinæ ab Henrico

Joanne Arntzenio publici juris factas, ne qua re defraudetur criticæ artis studiosus, dare visum, et meis inserere observationibus.

Sequitur index editionum Taciti, quæ Ernestio fuere ad manus.

1. *Jo. Spirensis.* in-fol.
2. *Franc. Puteolani* Mediolan. in-fol.
3. *Jo. Rivii* Venet. a. 1512. in-fol.
4. *Phil. Beroaldi* Rom. a. 1515. in-fol.
5. Basileensis prima cum Obs. Alciati a. 1519. in-fol.
6. Basileensis secunda, *Rhenani* prima a. 1519. in-fol.
7. Basileensis tertia, *Rhenani* secunda a. 1544. in-fol.
8. Florentina *Juntæ* 1527. in-8.
9. *Aldina* Venet. 1534. in-8.
10. Seb. *Gryphii* Lugd. 1542. in-8.
11. *Lipsii* prima Antuerp. 1574. in-8.
12. *Lipsii* sec. ibid. 1581.
13. *Lipsii* quinta ibid. 1598.
14. *Lipsii* sexta ibid. 1600.
15. *Pichenæ* Francof. 1607. in-4.
16. *Bernecceri* Arg. 1638. in-8.
17. *Theodori Ryckii* Traj. 1687. in-12.
18. *Haufii* Lips. 1714. in 8. cum V. L. MS. Guelf.
19. *Gronovii* 1721. in-4.
20. *J. N. Lallemand* Paris. 1760. in-12. 3 voll.
21. *Gabr. Brotier.* Paris. 1771. in-4. 4 voll.
22. Taciti Germania per *Æsticampianum.* Lips. 1509. in-4.
23. *Ejusdem* ed. sec. ap. Schumannum cum Comm.
24. *Ejusdem* ed. Bas. cum Comm. 1519.

Equidem usus sum sequentibus:

1. *Franc. Puteolani*, Veneta 1497. in-fol.
2. *Andr. Alciati*, Bas. 1519. in-fol. verius Rhenani I.
3. *Rhenani* secunda, verius III. Bas. 1544. in-fol.
4. *Lipsii* prima, Antw. 1574. in-8.
5. *Seb. Gryphii*, Lugd. 1576. in-12.
6. *Aldi Manutii* c. obs. *Paschalii.* Par. 1581. in-fol.
7. *Curtii Pichenæ*, Francof. 1607. in-4.
8. *Jani Gruteri* c. n. var. Francof. 1607. in-8.
9. *Car. Auberti* c. comm. var. Par. 1608. in-f.
10. *Lipsii* XII c. comment. Aur. Allobr. 1619. in-8.
11. *Ejusdem* XIV c. comment. Antw. 1627. in-f.
12, 13. *Matthiæ Berneggeri* utraque, Arg. 1638 et 1664. in-8.

14. *M. Zuerii Boxhornii*, Amst. 1643. in-12.

Tum 15 seq. *Gronoviorum*, *Ernesti*, *Lallemandi*, *Broterii* et *Bipontinorum*. Item *J. H. Dotteville*, Par. 1792, 7 vol. in-8. Item *Dureau de Lamalle*. Par. 5 vol. in-8.

In recensenda Germania adfuere mihi editiones veteres romana et norimbergensis. In Agricolæ vita editio Puteolani. Venet. per Phil. Pinci. 1497. in-fol.

C. CORNELII TACITI

VITA,

PER

JUSTUM LIPSIUM

CONSCRIPTA.

Caius Cornelius Tacitus, cui vulgo P. prænomen faciunt, non illa patricia Cornelia gente, sed alia minus illustri natus est, extremis, ut opinio mea fert, Tib. Claudii imp. temporibus. Pater avusque honores gesserint et ad remp. accesserint, necne, ut re vetusta et incerta, nihil adfirmem : propius a vero abest, ipsum primum jus imaginis et honores in familiam non nimis illustrem intulisse. Initium dignitatis illi sub Vespasiano fuit : a quo, Plinio auctore, procurator datus Galliæ Belgicæ rationes principis administravit : quæ dignitas equestri ordini diu peculiaris fuit. Reversus, a Tito, ut opinor, quæsturam accepit : certe dignitatem suam, quam Vespasianus inchoaverat, auctam et adjutam esse a Tito, ipse in Historiis profitetur : nec aliud suspicari est, quam quæsturam, aut si forte ædilitatem, quia prætura XIV. demum consulatu Domitiani auctus est. In quo erroris manifestus est eruditus

vir, qui Domitianio IX. et Verginio Rufo II. coss. prætorem Tacitum constituit. Nam Tacitus quidem ipse in Annali XI. diserte ait se XV virum S. F. ac tum prætorem ludis sæcularibus Domitiani cum cura adfuisse. Atqui ludos sæculares a Domitiano editos A. U. C. DCCCXLI. id est, quinquennio ipso posterius, quam Vertranio placuit, ex monumentis antiquis liquidæ veritatis est. Extant numi non pauci cum his notis, IMP. CÆS. FLAV. DOMITIANVS. AVG. GERM. PONT. MAX. TR. POTEST. VIII. COS. XIV. LVD. SÆC. FEC. Ad consulatum deinde satis longo intervallo imperante Nerva pervenit A. U. C. DCCCL. suffectus in locum demortui T. Verginii Rufi, illius, qui delatum a germanicis legionibus imperium constanter spreverat. Quem et defunctum pro rostris Tacitus laudavit. Exsulasse eum sub Domitiano quidam tradiderunt; magis tamen, ut opinor, pro more vulgi, qui magnis viris insignes casus adfingere amat, quam quod ejus rei certus auctor sit. Ego legendo non aliud comperio, quam abfuisse eum aliquot annis ab urbe, idque eo ipso tempore, quo Julius Agricola socer ejus mortem obierit coss. Pompeio Conlega, et Cor. Prisco, non tam exsilii necessitate, ut arbitror, quam tædio temporum et cupidine otii. Nam, quod iidem, ut omni ex parte tam anxia diligentia constet, decennium in exsilio egisse scribunt, ac demum exorato Domitiano restitutum; latine ut loquar, inanis fabula est. Ac credo eos homines, cum hoc scriberent, indormiisse bello Trojano, et illinc decennia sua sumpsisse. Constat enim apud vigilantes et sobrios, Domitianum a ludis suis sæcularibus, quibus certe Tacitus prætor Romæ adfuit, VII. duntaxat annos vixisse, octavo conspiratione

suorum occisum. Hæc fere in rep. In privata ejus vita ista sunt. Uxorem duxit A. U. C. DCCCXXX. Vespasiano IIX. et C. Julio Agricola coss. Agricolæ filiam, idque illi ad extremam ætatem concors et tranquillum matrimonium fuit. Liberos haud dubie reliquit, et ex iis, nisi conjectura fallor, longo intervallo nepotem M. Claudium Tacitum, qui postea imp. appellatus est (sic enim eum imperatorem numi appellant, non ut vulgus, P. Annium Tacitum), qui, ut Fl. Vopiscus refert, parentem suum appellare hunc Tacitum solebat. Historiæ scribendæ senex demum vacavit, cum reliquum ætatis in foro et caussis orandis egisset. Ex Plinii epistolis, et Tacitum in principibus oratoribus fuisse, et orationes aliquot edidisse, intelligimus. Æquales habuit, Fabium Quinctilianum, utrumque Plinium, Julium Florum, Secundum, Maternum, M. Aprum, Eprium Marcellum, Vipsanium Messallam. Scripsit primum omnium, uti post docebo, Historiarum libros ab excessu Neronis ad imperium Nervæ. Deinde Annales ab Augusti excessu ad finem Neronis; quorum omnium quanta jactura et quibus locis facta sit, in tempore memorabo. Nominantur et ejus Facetiarum libri a Fulgentio, cum hoc fragmento, *Cæsi itaque morum eclogio in filiis relicto.* Mortis ejus tempus non exprimo: natalem tamen annum propemodum inveni. Odoratus sum ex Plinii Nepotis epistola, quæ libro VII. Nam ait diserte, propemodum ætate æqualem se Tacito. At Plinius incendio Vesuvini montis, quo avunculus periit, agebat, ut ipse ait, duoetvicesimum annum. Natus ergo Plinius (nam incendium illud secundo anno Titi) non dubie anno urbis conditæ DCCCXVI,

Memmio Regulo et Verginio Rufo coss. At Tacitus paullo major natu, quod eadem illa epistola testatum reliquit Plinius. Ergo natus extremo imperio Claudii, vel potius, initio Neronis : vixitque, opinor, vel ad imperium Hadriani. Historiam quidem exorsus est scribere post mortem Nervæ. Clarum, quoniam principio 1 Histor. vocat Divum Nervam : qui honos non habetur, nisi principi mortuo.

VETERUM SCRIPTORUM DE TACITO TESTIMONIA, VEL EJUSDEM FRAGMENTA.

Plin., lib. VII, *Nat. Hist.*, cap. XVI (XVII).

Ipsi non pridem vidimus eadem omnia in filio Corn. Taciti equitis r. Galliæ Belgicæ rationes procurantis.

Plinius Nepos, lib. II, epist. I.

Laudatus est Verginius a consule Corn. Tacito. Nam hic felicitati ejus supremus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.

Eodem libro, epistol. XI.

Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, et quod eximium orationi ejus inest, σεμνῶς.

Libro IV, epist. XV.

Idem Cornelium Tacitum, scis quem virum, arcta familiaritate complexus est.

Libro VI, epist. XVI.

Petis ut avunculi mei exitum tibi scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago : nam video morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam.

Libro VII, epist. XX ad Tacitum.

Erit rarum et insigne, duos homines, ætate propemodum æquales, non nullius in literis nominis, alterum alterius studia fovisse. Equidem adolescentulus, cum jam tua fama gloriaque floreret, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo, et esse et haberi concupiscebam.

Libro IX, epist. XIV.

Nec ipse tibi plaudis ; et ego nihil magis ex fide, quam de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri nescio : nos certe mere-

mur, ut sit aliqua : non dico ingenio (id enim superbum) sed studio, sed labore et reverentia posterum.

Orosius de Domit. loquens.

Nam, quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fusco Duce prœlia, quantæque Rom. clades, longo contextu evolverem, nisi Corn. Tacitus, qui hanc historiam diligentissime contexuit, de reticendo interfectorum numero, et Sallustium Crispum, et alios auctores, quamplurimos sanxisse, et seipsum idem potissimum elegisse, dixisset.

Idem.

Dein, ut verbis Corn. Taciti utar, sene Augusto Janus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novæ gentes sæpe ex usu et aliquando cum damno quæruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.

Flavius Vopiscus in Probo.

Et mihi quidem in animo fuit, non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, etc.

Idem in Tacito.

Corn. Tacitum scriptorem historiæ Augustæ quod parentem suum eumdem diceret, in omnibus bibliothecis collocari jussit.

Sidonius Epist., lib. IV ad Polemium.

Caius Tacitus e majoribus unus tuis Ulpianorum temporum consularis, sub verbis cujusdam Germanici ducis in historia sua rettulit, etc.

Idem, in *Panegyrico ad Anthemium.*

Quam Crispus brevitate placet, quo pondere Varro,
Quo genio Plautus, quo flumine Quinctilianus :
Qua pompa Tacitus nunquam sine laude loquendus.

Idem in *Epigram.*

Et te qui brevitate Crispe polles,
Et qui pro ingenio fluente nulli,
Corneli Tacite, es tacendus ori.

Illa Quinctiliani lib. X, 1, 103 [1], fortasse ad Tacitum referantur.

Superest adhuc et exornat ætatis suæ gloriam vir sæculorum memoria dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immerito, ut libertas, quamquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abunde spiritum, et audaces sententias deprehendas etiam in iis, quæ manent.

[1] Ambigo ideo, quia hæc vivo Domitiano Fabius scripsisse videtur. Atqui noster tunc, ut opinor, nil vulgaverat. Lips.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER PRIMUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Rei romanæ status ante Augustum. — II. Ejus artes et via ad imperium. — III. Varii ab Augusto destinati successores. — IV. Status rerum et affectus civium sub Augusto. Judicia de successoribus. — V. Morbus Augusti, et mors ce-

COMMENTARIUS.

Cai Cornelii Taciti. Id verum huic scriptori prænomen adserui. Sidonius epist. 4, 14, ad Polemium : *Caius Tacitus e majoribus unus tuis, Ulpianorum temporum consularis.* Et ad Leonem, 4, 22 : *Namque et, antiquitus cum Caius Cornelius Tacitus Caio Plinio Secundo paria suasisset.* Sed et epigraphe Farnesiani libri, *C. Cornelii Taciti Romanas historias scribentis ex his qui reperiuntur liber primus.* Publium prænomen, quod in libris tritis, a casu aut a vulgo est. Mihi autem in ipso aditu testari placet, *Odi profanum vulgus et arceo.* Lips.

Annalium. Bene Rhenanus, qui hanc inscriptionem adserit, etiam contra libros, in quibus plerisque est, *Actorum diurnalium*, vel, ut in Veneto, *Actionum diurnalium.* Qui tamen titulus non accepto referendus alicui imperito. Unde enim illi in mentem fuissent Acta, vel Diurna? sed cuipiam antiquioris ævi, qui Taciti Annales non ineptissime comparavit cum Actis urbis. Quem tamen refellit ipse Tacitus, lib. 13, 31; 4, 32; 71, init. Etiam Jornandes in rebus Goth. 1, 2. Cornelium hunc citat *Annalium scriptorem.* Lips. August. Mascardus in Arte sua historica differentiam *Annalium* et *Historiarum* e Tacito discendam scribit : Annales admittere, quicquid patitur historia, sed id tradere con-

lata. Accitus ad successionem Tiberius. —VI. Cædes Postumi Agrippæ. —VII. Roma prona in servitutem. Juratum in verba novi principis. Ejus callida tergiversatio. — VIII. Augusti testamentum et honores eximii in funere. — IX. De Augusto judicia in utramque partem. — X. Judicia sequiora. — XI. Tiberius imperium subdole renuit, urgente senatu. Rationarium imperii. — XII. Asinio iratus Tiberius. — XIII. Mox Arruntio, Haterio et Scauro. — XIV. Senatus adulatio in Liviam, a Tiberio temperata. — XV. Ratio comitiorum. Ludi Augustales. — XVI. Seditio Pannonicarum legionum, VIII, IX, XV. Concitor Percennius. — XVII. Hujus seditiosæ conciones. — XVIII. Furit miles, quem moderari conatur Blæsus. — XIX. Legatio ad principem. — XX. Recrudescit seditio. — XXI. Blæsus frustra obnititur. — XXII. Vibuleni fallaci facinore pæne oppressus. — XXIII. Tribuni mil. pulsi. Lucillius cæsus. —XXIV. Drusus seditioni sedandæ missus a

cisius ac brevius; dein habere aliquid proprium, nempe res minus graves quam frons historiæ postulat : sed postea fatetur, utroque scripto Taciti diligenter inspecto se caussam edere non posse, quamobrem alterum potius *Annalium*, alterum *Historiarum* nomen præferat. Nec certe dissimilis hac parte sibi Tacitus : nam quod singuli Annales absolvunt complures annos, tot historiæ vix unum exhauriunt, ubertas materiæ facit, non index librorum. Quod si plures historiarum libri exstarent, appareret, non minus in his quam in Annalibus, stylum annis, ut loquuntur, et consulibus accommodasse Tacitum. At quod discrimen rejicit ac pro nullo putat Mascardus, id solum secutus est auctor noster. Sic enim tradunt Servius ad Æneida 1, 373; et e Verrio Flacco Gellius 5, 18 : visum quibusdam antiquis, *Annales* temporum esse illorum, quos scriptoris haud vidit ætas; *Historiam* eorum, quibus interfuerit. Et, ut hujus rei obscura esset ratio, quam multa sunt, quorum significationes ab origine non diversas usus secreverit, ut certa essent cuique rei vocabula? Sed et præbet rationem evidentem, si non *Annalium*, at *Historiæ* vox dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, quod est noscere visendo vel inspicere. Plutarchus, βουλόμενος ἱστορῆσαι τὴν πόλιν. Sic κατ' ἱστορίαν ἰέναι, κατ' ἱστορίαν πλανᾶσθαι, lustrandi vel visendi gratia. Palæphatus, c. 1 : καὶ γέγραφα ταῦτα, οὐχ' οἷα ἦν λεγόμενα, ἀλλ' αὐτὸς ἐπιδὼν καὶ ἱστορήσας· i. e. *quæ ipse adii et comperi vel contemplatus sum.* Jam cum scribit Tacitus dignitatem suam a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam, satis demonstrat, quæ tradit in Annalibus, ea præcessisse suam ætatem, duntaxat illam, quæ rebus intenta esse, et maturum de illis judicium facere posset. GRON.

Tiberio.—XXV. Drusus literas Tiberii recitat.—XXVI. Militum postulata differt. Clamor. — XXVII. Hinc tumultus acrior. Lentuli periculum. — XXVIII. Lunæ defectio seditiosos terret, nec deest occasioni Drusus. — XXIX. Miles ponit ferociam. — XXX. Capita tumultus cæsa. Legiones hibernis suis redditæ. — XXXI. Gravior oritur seditio legionum octo germanicarum. — XXXII. Sævitia in centuriones. Chæreæ facinus. — XXXIII. Germanicus Cæsar ad legiones e Gallia properat : — XXXIV. quas ad fidem cohortatur. — XXXV. Eæ querelas promunt : pars imperium offerunt acriter abnuenti. — XXXVI. Remedia quæsita. — XXXVII. Oblata missio et pecunia : sic paullum oppressa seditio.— XXXVIII. Vexillarii turbant : quos fortiter coercet Mennius. — XXXIX. Denuo legg. I et XX turbant. Cæsari vim, Planco mortem intentant. — XL. Germanicus, filio et uxore dimissis, — XLI. militi pœnitentiam injicit, — XLII, XLIII. tum eum facunda oratione alloquitur. — XLIV. Mutati pœnas in se ultro poscunt : noxios ipsi puniunt. Centuriones novi suffecti. — XLV. In turbidos adhuc vis paratur. — XLVI. Trepidæ urbis rumores. — XLVII. Tiberius iter simulat. — XLVIII. Germanici minæ. — XLIX. Miles suos turbatores ipse cædit. — L. Furorem expiaturi, in hostem eunt. Marsi oppressi. — LI. Tanfanæ templum dirutum. Insidiæ in reditu irritæ. — LII. Tiberius maligne laudat Germanicum. — LIII. Juliæ mors et mores. Gracchus cæsus. — LIV. Sodales Augustales instituuntur. Histrioniæ turbæ.

LV. Proximo anno in Cattos excursus. Arminius. Segestes. — LVI. Catti improviso oppressi. Mattium incensum. — LVII. Segestem obsessum liberat Germanicus. Uxor Arminii capta. — LVIII. Segestis oratio. Segestes cum suis benigne habitus. — LIX. Arminius in eum et Romanos invehitur. — LX. Cherusci aliique populi rebellant. Bructeri fusi. — LXI. Monumenta cladis Varianæ. — LXII. Reliquiæ illius cladis tumulatæ, improbante Tiberio. — LXIII. Pugna cum Arminio. — LXIV. Cæcinam loco iniquo aggreditur Arminius intrepidum. — LXV. Milites consternati. Cæcinæ somnium infaustum. Cæsi pæne Romani. — LXVI. Panicus ter-

ror ut repressus. — LXVII. Consilium Cæcinæ de recessu. — LXVIII. Felix eruptio. Germanorum clades. — LXIX. Agrippinæ viriles curæ Tiberium offendunt. — LXX. Legiones æstu maris cum periculo revectæ. — LXXI. Segimerus in deditionem acceptus. Exercitus damna suppleta. — LXXII. Tiberii ficta modestia. Lex majestatis revocata, — LXXIII. et in minimis quibusdam exercita. Delationum pestis ingruit. — LXXIV. Marcellus majestatis postulatus. In eum ira Tiberii incautior. — LXXV. Tiberii liberalitas. — LXXVI. Tiberis inundatio. Achaia et Macedonia levatæ. Drusi munus. — LXXVII. Theatri licentia coercita. — LXXVIII. Templum Augusti. Centesima. — LXXIX. An aquæ Tiberi subducendæ. — LXXX. Tiberius cur præsides raro mutarit. — LXXXI. Comitiorum confusa ratio.

Hæc fere biennio gesta,

Sext. Pompeio et Sext. Appuleio, coss.

Nerone Claudio Druso Cæsare et C. Norbano, coss.

Nerone Cl. Dr. Ryckius rescripsit *C. Julio Druso Cæsare*, lateque in hanc sententiam disputat. Legitimum id nomen Drusi fuisse, inducto patre in familiam Cæsarum, non ambigitur. Sed legitimam illam rationem tum secuti in appellando non videntur. Nam ex ea nec pater *Tiberius* vocari debebat: similiterque mutanda foret inscriptio Vitæ tiberianæ apud Suetonium. Ann. 1, 4, quidem habemus *Tiberium Neronem*. Et hinc fortasse judicari potest de iis, quæ Perizonius de *Silio Nerva* consule a. U. 781 scripsit. V. ad 4, 68. Edn.

I. URBEM Romam a principio reges habuere. Libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinnæ, non Sullæ longa dominatio; et Pompeii Crassique potentia cito in Cæsarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere: qui cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine *principis* sub impe-

Reges habuere. Ryckius consulto initium factum putat ab hexametro, quod tali initio etiam usus esset Sallustius in Jug. c. 5, hemistichio Livius. Quæ ratio mihi levis videtur. Versus alios Taciti collectos, tum aliorum scriptorum prosaicorum indicatos vide ap. Fabric. in Bibl. lat., vol. 2, p. 389 et seq. ERN. Idem censet Fosterus in libro anglico de Accentu et Quant., p. 155, nec subtilius auctor libelli de Rhythmo Græcorum (Oxon., 1789, in-8), p. 55. Sane puerilis ista æmulatio esset. Contra quis tam surdus est scriptor, cui versus inscienti obrepat in ipso operis ingressu? Neque ita obrepunt boni versiculi. In istis, qui ex prosaicis operibus proferuntur magno numero, perpauci sunt suo nomine digni: v. c. ille hoc libro, c. 71. *Quorum.... armis.* Adeo plerique fracti sunt et elumbes; adeo in iis multa concurrunt, quorum quidque per se vitiosum versum facit. Atque ex hoc genere hunc quoque celebrem versum esse, ac multo magis Sallustianum, periti sentient verbo moniti; ceteris explicare longum est. Ex his igitur imperfectis numeris, minime dubito, quin hic tantus masculorum numerorum artifex illud σμικὸν suum de industria quæsierit.

Dictaturæ ad tempus. Quas diuturnas primus Sulla fecit, Cæsar perpetuas. Et hic gradus ad principatum: quo præfatio ista ducit. LIPS.

Ultra biennium. Ita accipio, quasi dicat, haud multo ultra biennium. Nam exacte si putas, revera ultra biennium decemviri imperium tenuere. Livium 3, 38, et Fastos vide. Nec tamen Vertranio adsentior, *ultra triennium* sufficienti. Nam id includat, triennium eos imperasse: quod contra est, et non nisi supra biennium aliquot menses. LIPS. Ita vero se tutari iste queat exemplo 37 annorum c. 9. Verum *septem* menses, quos ex tertio anno delibarunt decemviri, non jus fuit, sed vis, et vis in dies incertior. Ceterum mirabatur P. Scriverius, cur huic uni rei adderetur notatio temporis; hinc progressus est ad utramque controversam vocem relegandam.

Nomine principis. Non ergo tam celebre tunc *imperatoris* nomen, ea quidem notatione. Et Augusto visum istud *principis* minuendæ invidiæ: quia etiam olim *princeps senatus*. Quod exemplum non dubie secutus. Noster infra c. 9. *Non regno tamen neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam.* Ovidius de Augusto ad Romu-

rium accepit. Sed veteris populi rom. prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur. Tiberii Caiique et

lum, Fast. 2, 142. *Tu Domini nomen, principis ille tenet.* Dio, 67, 8, de Tiberio : Πρόκριτός τε τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ὠνομάζετο. Καὶ πολλάκις γε ἔλεγεν, ὅτι δεσπότης μὲν τῶν δούλων, αὐτοκράτωρ δὲ τῶν στρατιωτῶν, τῶν δὲ δὴ λοιπῶν πρόκριτός εἰμι : nec temere aliter Tacitus appellat. Inde principatus et principium etiam pro imperio. Sueton., Calig. 31. *Augusti principium, clade Variana; Tiberii, ruina spectaculorum memorabile factum.* Ita opt. liber, et puto sincere. Tertullianus quidem receptam eam significationem fuisse ostendit, adversus Hermog., c. 19, p. 275. D. Rigalt. *In græco,* inquit, *principii vocabulum, quod est ἀρχὴ, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum. Unde et ἄρχοντες dicuntur principes. Ergo secundum hanc quoque significationem, principium pro potestate et principatu sumetur.* Sed et Glossæ græcæ distincte, Ἀρχὴ· τὸ προοίμιον, *exordium*, et deinde, Ἀρχὴ· *imperium, magisterium, præsidatus, principium.* Lips. Adde dicta Burmanno ad illum Suetonii locum. Sed tamen *principatum* ibi verum est. V. Oudendorp. ad Suet., l. c. De nomine *principis* tirones inspiciant etiam locum Suetonii Calig. 22 Ern.

**Sub imperium.* Frustra d'Orléans *sub imperii vim.* Burm. ad Anthol. 1, 103, 8.

Veteris reip. Ita Vertranio placitum, trajectis notis, quæ vulgo, *p. r.* Lips. At Mediceus verbo integro, ut nulla suspicio sit trajectionis literarum, *populi rom.* ut notavit Pichena, qui etiam modum loquendi *vetus populus* bene adserit. Ern. Adscripte 11, 24. Plura et alieniora afferunt alii. Tu antequam correctionem spernas, quære similius exemplum *veteris populi r.* et conf. ad 4, 32. — * Confert hoc initium cum initio historiarum Vinc. Contarenus in variis lection., c. 20

Deterrerentur. Detererentur, ita recte, non *deterrerentur.* Vid. Hist. 2, 76. Hor. pari metaphora *culpa deterit ingeni.* Lips. Si rem bene putes, versatur hic μορμὼ non levis. Sed non *deterret* tantum, qui gravem metum incutit, verum etiam qui studium alicujus qualicumque vel religione vel ratione tardat, et alia cogitatis suadet. Sic Cicero et optimi quique veterum, hinc *adhortari* vel *cohortari*, inde *deterrere* et *avocare*, ponentes. Itaque *deterrerentur*, nihil est aliud quam, scribendi animum dimitterent, historiæ condendæ studium abjicerent atque deponerent, alii ob metum, partim ob stomachi fastidium. Cicero ad Att., 13, 28. *De epistola ad Cæsarem, jurato mihi crede, non possum : nec me turpitudo deterret.* Vide reliqua. Gron. *Deterrere* sic dici, vel in levissimo terriculo, inter doctos constabat. Conf. Broukh. ad Tibull., 1, 3, p. 57. Ad alterum autem, ut h. l. aptius, inclinant præter Muretum V. L. 11, 1, plures et elegantissimi translatores, Hispanus, Belga, Galli aliquot. Uter igitur sensus Tacitum,

Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ; postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Inde consilium mihi, pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera; sine ira et studio, quorum caussas procul habeo.

II. Postquam, Bruto et Cassio cæsis, nulla jam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus, exutoque Le-

uter *decora* ingenia magis deceat, hoc unum dubitandum. Nempe generosi spiritus scriptores si adulatione sæculi *deterrentur* a tractando opere *periculosæ aleæ plenissimo*, si id aliorum studiis relinquunt, nihil illi decore suo indignum faciunt: ac si *deteruntur* communi labe, infectique ad scribendum accedunt, vix eos decoro nomine dignos habeas. Jam quum Hist. 1, 1, post actiacam victoriam dicantur magna ingenia *cessisse*, ibi prius illud, non hoc, significari apparet. Nam de ipsius Aug. principatu, et extremis quidem annis, intell. sunt verba *donec g. a. deterr.* Adeo Velleium neutra lectio tangit! Muretus vero audiendus non est, cui v. *deteri* venustatem trahere e contraria notione *gliscendi* videbatur. Denique cogita nobis ineptam juncturam enuntiationum: Exstiterunt ing. decora, donec fierent deteriora! — * Barcl. ad Agr. vult *detinerentur*; Wopkens *detererentur*.

Tiberii Caiique. Fines designat, intra quos hi libri, qui attingunt quatuor dumtaxat principes. Ut vel hinc liqueat, Historias seorsum scriptas, finemque Annalium fuisse in fine Neronis. Lips.

Florentibus ipsis. Itaque verissima scriptio de principibus, cum jam esse desierunt. Quod Arrianus Procemio in rebus Alexandri pro argumento habet, fideliter eas a Ptolemæo et Aristobulo traditas. Lips.

Falsæ.... compositæ sunt. An *falso*, seu potius *false?* Forma proba et antiqua. Res *falsæ compositæ* non magis placent quam *fallere res gestas* sive *historiam*, id quod prorsus nihili est. *Falso* contra tradere, *falso* memoriæ prodere, usitatum. Sic fuerit etiam, quod commode reddatur *recentibus odiis*. Jam perpendes, an forte ex notatis ad c. 7 vulgatum defendi queat.

Nulla publica arma. Senatus populique, pro re publica et a re publica. Tantum privata nunc arma, et in propriam potentiam. Lips.

Apud Siciliam oppressus. Non mehercules apud Siciliam. In Asia oppressum eum jugulatumque consentiunt scriptores: de urbe tamen ambigitur. Dio, 49, 18, cæsum vult ἐν Μιδαείῳ τῆς Φρυγίας, in Phrygiæ oppido, Midaïo. Florus, 4, 8, et Appianus B. C., 5, 144. Mileti, quæ Cariæ adscripta. Sed noster victum eum saltem intelligit, et copias ejus apud Siciliam oppressas. Ita et Florus de eodem: *In Siculo freto juvenis oppressus est*. Lips. *Oppressus* sive *deletus* est Sext. Pompeius apud Naulochum. Suet. Aug. 16. Cetera Tacito sunt nihil ad rem. Nec tamen quicquam ambigitur. Captus est Midaïi, occisus Mileti. Vid. Wessel.

pido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus nisi Cæsar dux reliquus : posito *triumviri* nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante; cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta et præsentia, quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina po-

ad Simsoni Chron., p. 1540. Reimar. ad Dion., l. c. Hic quoque male suspicax Scriverius satis putabat *pompeianis oppressis*.

Exutoque Lepido, etc. Eleganter, id est, exarmato, et exercitu spoliato. Nam viginti legiones ei ademit. Lips. Sic infra 4, 21, *bonis exutus*. Livius sæpe *castris, agris, fortunis exuere*. De re v. Velleii, 2, 80. Ern.

Triumviri nomine. Tironum in gratiam dicam, hunc solum *triumviratum* proprie dici, ac vere. Nam fuit magistratus cum summo imperio, quem in quinquennium accepere Octavianus, Antonius et Lepidus : ejusque nomine usi sunt, ut patet ex numis et inscriptionibus, sicut aliorum honorum. V. Casaub. ad Suet., c. 27; Pighius Annal., t. III, p. 474. Ceteri triumviratus, qui in vulgaribus libellis historicis traduntur, commentitii sunt. Nam v. c. Cæsar, Pompeius et Crassus tantum privatim potentiæ societatem inter se inierant, neque aut publico aliquo scito accepere, aut nomine triumvirorum usi sunt, etc. Ern.

Tribunicio jure contentum V. de trib. pot. Annal. 3, 56. Ubi v. Lips. Add. Spanhem. de Usu et Pr. Num., t. II, p. 424. Ern. Conf. Bleterii Diss. in Memor. Acad. Inscript. et b. lit. T. XXV.

Ubi militem donis. Respexit huc Victor, cum de eodem Augusto scripsit : *Illectis per dona militibus, atque annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit*. Lips.

Populum annona. Muretus capit de copia et vilitate annonæ. Immo multo magis frumento gratuito; hæc enim illa lenta et perpetua plebis romanæ vincula escaria. Sueton. Aug., 40 seq. Gron.

Opibus et honoribus. Ablativi sunt, uti posthac *pontificatu et cur. ædilitate*. Structura hæc legitima; ne credas Intpp. Hor. carm. 1, 1. Sed ante illud subaudi *tanto magis*, qua de ellipsi ad c. 57 et aliis locis dicetur.

Certamina potentium. Factiones in urbe, et tum bella, quæ miseras provincias affligebant. Lips.

tentium et avaritiam magistratuum; invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

III. Ceterum Augustus, subsidia dominationi, Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adolescentem, pontificatu et curuli ædilitate; M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriæ socium, ge-

Avaritiam. Rapinas et extorsiones præsidum, in populi imperio dissimulatas, aut invicem donatas. Lips.

Vi, ambitu, postremo pecunia. Cicero etiam *pecuniam* solet *vim* vocare, omninoque, quæ in judiciis adhibentur præter leges et caussam, ut in Verr. 2, 31, *si aliqua se vi eripuerit ex hoc judicio*, h. e. metu, gratia, vel largitione: in singulisque locis videndum, quod genus, aut quæ intelligantur. In Quintiana autem, c. 1, conjungit *vim* et *gratiam*, opponitque inopiæ et solitudini. Hoc loco per *vim* intelligo metum, per *ambitum* autem gratiam, sive studium gratiæ ineundæ. Vid. c. 75, seq. Ern. Judicia repetundarum in re publ. corruptissima corrumpebantur sæpe potentia, minis, quin et sicis intentandis, sæpe precibus, modo largitione, occulta primum, tandem aperta: *nunc prece, nunc pretio, nunc vi*, ut poeta ait.

Subsidia dominationi. Sic vocat, item *subsidia aulæ*, eos, qui succedere in imperio possunt, aut destinari successores: propterea, quod facilius et confidentius insurgit populus adversus principem, cujus morte fore se liberum putat, et quem si occiderit, nullum paratum videt ultorem, quam si videat, eo sublato, successorem quempiam ex eadem stirpe fore, ubi, futuri metu, præsentibus acquiescit, ut recte Muretus ad h. l. Adde mox Lipsium ad verba: *quo pluribus munimentis insisteret:* et Tacitum ipsum, c. 8, extr. item Sueton. Galb. 17. Ern. Modo absolutam constructionem notabis et græcam, eximiam brevitate. Non enim proprie ipsos, quos nominat, subsidia dicit, sed, *ut dominatio haberet subsidia in iis elatis.* Conf. c. 27, 30, init., et 49 *piaculum furoris.*

Claudium Marcellum. Magnam illam Romæ et libertatis spem. De cujus laudibus plena manu Seneca ad Marc., c. 2. Lips.

Ignobilem loco. Adeo ut ipsum generis sui nominisque pœniteret. Vide Senecam patr. Controv. 2, 12, extr. Lips.

Bonum militia. Heinsius, in Misc. observ., vol. IX, pag. 282, malebat *militiæ*. Si Cod. addiceret, non repugnarem. Delectatur enim græcismis Tacitus. Sed ablativo fere jungunt etiam alii græcismi amatores, Sallustius, Jug., 13, 49, atque poetæ, ut docet Drakenb. ad Silium, 10, 76, ubi similiter genitivum pro ablativo malebat Heinsius, ut in aliis locis permultis. Ern. — * Wopkens. *etiam militia.*

Geminatis consulatibus. Ideone geminatis, quia bis consul? Cave censeas. Tertium enim fuisse Dio, 48, 49, docet et Fasti: itemque Velleius, 2, 90. *Agrippa*, inquiens, *quem usque in tertium consulatum et mox collegium tribuniciæ potes-*

minatis consulatibus extulit : mox, defuncto Marcello, generum sumpsit : Tiberium Neronem et Claudium Drusum, privignos, imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua ; nam genitos Agrippa, Caium ac Lucium, in familiam Cæsarum induxerat ;

tatis, amicitia principis evexerat. Sed ideo id dixit : quia postremi duo consulatus Agrippæ conjuncti continentesque. Qui sane honos erat : et *raro* cuiquam ea ætate tributus, præter principes re aut destinatione. Lips. Immo nunquam. V. Pagius Appar. ad Crit. Baron., p. 26, b. Ern. *Geminatis*, nativo significatu, de continuatis consulatibus annorum 726 et 727, quos gessit cum Augusto, cui debuerat. Priorem a. 717 debuit liberis suffragiis tribuum, nondum verso statu. Is ergo huc non pertinebat.

Defunto Marcello. Qui Baiis obiit, ut clare testatum reliquit, elegia huic rei propria, poeta Umber. Nec scio cur vir doctus tanto opere pertendat mortuum eum potius in Stabiano. Quid? Propertius, qui vixit id ævi, locum nescivit funestum juveni tam illustri? Scivit, sed dedit hoc, inquit, Liviæ, quæ suspicione laborabat Marcelli interempti. Nec hercle immerito. Num ergo venenum dari Baiis minus potuit, ac in Stabiano? Scilicet soluta omni crimine illa aulica Medea, si Marcellus obiit Baiis. Ego vero, vir maxime, causam nullam video hujus tuæ tam seriæ adsertionis : placetque cum Propertio et vulgatis Servii ad Æn. 6, 862, libris mortuum eum in Baiano. Suspicionem quidem de Livia Dio, 53, 33, hujusmodi inseruit : Αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιουία τοῦ θανάτου Μαρκίλλου εἶχεν, ὅτι τῶν υἱέων αὐτῆς προεστήκει. At Tacitus Pliniusque ea culpa non liberant etiam Augustum, Annal. 2, 41. Plinius 7, 45, inter Augusti infortunia : *Suspecta Marcelli vota, pudenda Agrippæ ablegatio.* Quasi conceperit aliquid cupiveritque contra Augustum, amore pristini status et libertatis. Lips. Vir ille maximus est Jos. Scaliger ad Propert., 3, 18, 7.

Imperatoriis nominibus auxit. Non eo more, quo rei romanæ domini, imperatores dicti : sed quo olim, qui rem publ. militiæ feliciter gessissent. Vulgatus olim honos : non item sub impp. qui rei prospere gestæ laurum et laudem sibi adscribi volebant auspiciisque suis. Turbat in sententia hujus loci vir doctus, et miror. Tu vide Dionem Cass., 54, 33, et 55, 6 ; et Velleium, 2, 125, itemque ea quæ scribo ad 3, 74, extremum. Lips.

Integra etiam tum. Antiquum mendum, nimis diu repetitum, sustuli. *Dum*, quod negationibus jungitur, non erat hujus loci.

In familiam Cæsarum induxerat. Emptos domi a patre per æs et libram. Ita loquebantur, non *per assem*, ut perperam inolevit Suetonii Aug., 64. Quamquam re vera in ea formula æs non aliud notat quam assem. Varro de L. L. 8, p. 148, Bip. *Pro assibus nonnunquam æs dicebant antiqui, a quo dicimus assem tenentes : hoc ab ære æneaque libra.* Ritum hunc (ut omittam notata

nec dum posita puerili prætexta, *principes juventutis* appellari, destinari consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit, L. Cæsa-

aliis) notat explicatque eleganter Clemens Alexandrinus Strom. 5, p. 574: Καὶ τὰ παρὰ Ῥωμαίοις ἐπὶ τῶν διαθηκῶν γενόμενα τάξιν εἴληχε διὰ δικαιοσύνην, ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσσάρια, καρπισμοί τε καὶ αἱ τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις. Τὰ μὴν γὰρ ἵνα δικαίως γένηται, τὰ δὲ εἰς τὸν τῆς τιμῆς μερισμὸν, τὰ δὲ ὅπως ὁ παρατυχὼν, ὡς βάρους τινὸς αὐτῷ ἐπιτιθεμένου, ἑστὼς ἀκούσῃ, καὶ τάξιν μεσίτου λάβῃ. Triplex antiquitatis ritus, interpreti non intellectus. Æs et libra in testamentis, vindiciæ, et antestatio. Nam καρπισμοὺς ad vindicias adsertionemque refero: τὰς τῶν ὤτων ἐπιψαύσεις, aurium tactiones, ad antestationem. Omnia enim hæc ad familiæ mutationem pertinent, quæ per testamentum, de qua Quinctilian. Declam. 308. *Non dixerim testamentum, cui libripens deest et familiæ emptor, et cetera juri necessaria.* Gellius, 4, 27, et jurisconsulti. Lips.

Principes juventutis appellari. Quod sane ridiculum, ut principes juventutis sint, qui etiamnum in pueris. Natus autem Caius anno urbis 734, Sext. Appuleio, P. Silio coss. At Lucius biennio toto minor, ex Dione, 54, 18, in actis ejus anni. Princeps juventutis (πρόκριτον τῆς νεότητος Zonaras hic reddidit) ab Augusto invaluit, ad futurum imperium titulus et omen. Sunt numi cum inscriptione: C. L. Cæsares. Augusti. F. Cos. Des. Princ. Iuvent., adpositæ effigies Caii Luciique, cum clypeis et hastis, quæ tirocinii die equites dederant, honoris Augusti caussa. Dio, 55, 12: Καὶ αἱ πέλται τάτε δόρατα, ἃ παρὰ τῶν ἱππέων εἰς τοὺς ἐφήβους ἐσιόντες χρυσᾶ εἰλήφεσαν, εἰς τὸ βουλευτήριον ἀνετέθη. Observa Dionem aureas hastas dicere, quas lapis Ancyranus (magnæ apud me fidei, ut quem vivus conceperit Augustus ipse) argenteas. Verba sunt, uti ad me missa beneficio viri illustris Augerii Busbequii: EQUITES. AVTEM. ROMANI. VNIVERSI. PRINCIPEM..... HASTIS. ARGENTEIS. DONATVM. APPELLAVERVNT. quam lacunam rite expleveris: *Principem juvent. Caium.* Lips. Hodie, accuratius inspecto monumento a pluribus, lacuna sic expleta est: *Principem juventutis utrumque eorum parmis et hastis;* ut jam monuit ad h. l. Jac. Gron. Adde quos laudat ad h. l. lapidis Ancyr. Fabric. in Augusti frag., p. 223. Ern.

Destinare consules. Et vero perfecerat. Romæ marmor de Caio: QVEM. POPVLVS. COS. CREAVIT. ANNOS. NATVM. XIV. Ait annos natum quatuordecim: et addicit Dionis ratio, 55, 9, qui consulem facit designatum anno urbis 748. Tamen Augustus in jam dicto lapide XV illi annum circumdat, sed nempe, quem ingressus erat, et jam agebat. Verba sunt: *Honoris mei caussa senatus populusque romanus annum quintum et decimum agentis consulis designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium ex eo die, quo deducti in forum.* Lips.

Destinari consules. Designari legendum putat, ut et ante *appellari*, Muretus. De forma verbi, subscribo, nempe *destinari* scripsisse auctorem,

rem, euntem ad hispanienses exercitus, Caium, remeantem Armenia et vulnere invalidum, mors fato propera vel novercæ Liviæ dolus abstulit; Drusoque pridem exstincto, Nero solus e privignis erat: illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciæ potes-

hoc est, designari. Suet. Cæs. 1, *flamen Dialis destinatus*. Vide Obss. 2, 8. Gron. Olim depravato sensu legebatur *destinare*. Verum cum Ryckio Ernest. posuit.

Caium remeantem Armenia. In Lycia mortuum eum voluit Suetonius cum Velleio, ille Aug. 65, hic 2, 102. Etiam Florus, 4, 12, 42, *Massiliæ Lucius morbo solvitur: in Lycia Caius ex vulnere*. Fugerit ergo ratio memoriosum illum senem necesse est, qui in Syria tradidit defunctum. Dico Senecam in Controv. 4, pr. Sed erit fortasse, qui culpam eam in exscriptorem conferet, rescribetque, *Lycia*. Addi velim Suetonii locum Tib., c. 15, *Caio et Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto*. Nec addi solum, sed et corrigi. Nam hoc de triennio, nonne nimis laxum? Apparet e Velleii l. l. *Caius*, inquit, *in urbe Lyciæ morbo obiit, cum ante annum ferme L. Cæsar Massiliæ morbo decessisset*. En, duntaxat intervallum fecit paullo plus anni. Et ipse Suet., l. l., *duodeviginti* modo *menses* interponit. Non ergo ambiges, quin scribend. *intra biennium*: si hunc putamus sensum. Nam in alium me duxit P. Jo. Deckerius e Societate Jesu, qui refert ad *triennium* Tiberiani reditus, et vult utrumque periisse intra tres primos annos, ex quo iste Rhodo reversus. Historia approbat. Lips. Vere. Conf. Intpp. ad hunc Suetonii locum et ad illum Flori, ubi nunc legitur *Syria*.

L. Cæsarem.... Caium.... mors abstulit. Cenotaphium iis positum fuisse autumat Joh. Eb. Rau in confiniis Ubiorum ac Treverorum. Id sæculo superiore detectum describit in Diss. de tumulo honorario C. et L. Cæss. inserta ejus monumenti vetustatis germanicæ, 8. Traj. ad Rh., 1738. Situm erat in loco, cui nomen *Junkerraht*, et in ornamentis offerebat anaglyphum, quod Augustum et nepotes, ut putatur, essedo vectos exhibebat.

Novercæ Liviæ. Nata exitio rei publ. hæc mulier, et suæ domus. Sed bene quod Tacitus nusquam dissimulat fraudem ejus et scelus. Plinius, l. l., cautior, qui suspicionem hanc tangens, cavit sibi obscuritate sermonis: *Incusatæ filiorum mortes, luctusque non tantum orbitate tristes*. Nec enim alio traxeris ea verba, non, me quidem interprete. Lips.

Druso pridem exstincto. Nempe ante annos circiter 12, priusquam Caius moreretur. Quippe Drusus obiit ex lapsu equi, in Germania, anno urbis 745, ex Dione 55, init., et Caius anno 756. Imposuerat mihi Dio olim, in cujus libro hiatus est, et anni aliquot omissi: atque ita narratur mors Caii, quasi biennio post illam Drusi. Sed, ut dixi, defectio et hiatus est, atque anni plures medii desunt: quod in notis ad Velleium observamus. Lips.

Collega imperii. De hoc collegio imperii ejusque initio, etc., late et erudite disputat Pagius in Critic.

tatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur; non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam projiceret, rudem sane bonarum artium et robore cor-

Baron. ad a. C. 11. Sed collegium imperii ille definit tribunicia potestate, et proconsulari imperio. Id per se non improbem. Sed h. l. ubi a *collega imperii* distinguitur diserte *consors tribuniciæ potestatis*, collegam imperii factum Tiberium putem dato *imperatoris* prænomine. Clare in pari caussa Plinius de Trajano in Paneg. 8. *Simul filius, simul Cæsar, mox imperator et consors tribuniciæ pot.* Nam quod ibi idem Pagius proconsulare imperium intelligi disputat, ad a. C. 97, 98, 117, n. XV, nullo modo probare possum. Nam imperium extra urbem, cur præferretur urbano? Proconsulare imperium sumtum ac datum tantum cum in provincias irent: hic perpetuum intelligitur. Nec illa ratio gravis, quod, nisi *imperatoris* nomine procons. imp. intelligeretur, ejus in toto panegyrico nulla mentio esset. Vide inpr. nostrum c. 7. Hoc quidem in loco videtur indicari verbis sequentibus: *omnisque per exercitus ostentatur*. Ceterum verbis *consors trib. pot.* Tacitus addere poterat *iterum*. Nam ante jam tribunicia potestate usus fuerat, vivis Caio et Lucio Cæsaribus. ERN. Satis erat laudare Velleii 2, 121, et Suet. Tib. 21. Quippe ibi narrata, quæ, si Velleium audimus, ad a. U. 765 pertinent, hanc *collegæ* appellationem vel certe vim ejus designant. Nam nomen hoc fortasse illo tempore non fuit in usu publico (Conf. Dio, 56, 28, ad a. 766). Perpetuum imperium proconsulare an unquam Tiberio datum sit, dubito; ea quidem vi, qua id primum Augustus, mox Germanicus accepit. Vid. Dio, 53, 32. Si datum esset ista lege per coss. lata, appellationem hanc etiam adjecisset aliquis eorum scriptorum, quos supra nominavi. Itaque virum summum ad Suet., l. c, errare opinor. Quid autem hic dicat, non satis assequor. *Imperatoris* enim nomen, quod paullo ante memorabatur Tiberio ac Druso simul tributum, nunc iterum inculcari non potuit; neque ei rei nomen *collegæ* conveniebat.

Ostentatur. Modo huic, modo illi exercitui impositus imperator, Germanicis maxime; tanquam non ambiguus successor.

Insulam Planasiam. Atqui Siciliam vocat scholiastes Juvenalis vetus ad 6, 158. *Agrippa*, inquit, *in Sicilia propter morum feritatem ab Augusto relegatus est*. Errat; nam de Planasia adfirmat cum nostro etiam Dio, et ait vicinam Corsicæ esse, libro extr. 55. In qua narratiuncula quod legitur, Καὶ τὴν Ἰουλίαν, ὡς μητρυιὰν, διέβαλλεν: meo judicio τὴν Λιουΐαν faciendum est. Non enim matrem suam Agrippa insectabatur (et illa vero jam relegata aberat), sed Liviam, ut probabile est, Augustæ stirpi numquam æquam. LIPS. Wesseling. in Observ. var. 1, 26, p. 106, apud Dionem h. l. citatum *Juliam* per anticipationem vo-

poris stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. Athercule Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, ascirique per adoptionem a Tiberio jussit; quamquam esset in domo Tiberii filius juvenis; sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos, supererat; abolendæ magis infamiæ, ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ; eadem magistratuum vocabula: juniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset?

IV. Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnes, exuta æqualitate, jussa prin-

1. *Omnis exuta æqualitate jussa principis adspectare. Omnes* præstiterit, ut sit, *omnes* jussa principis adspectabant, H. 2, 38. *Rebus modicis æqualitas facile habebatur.* Senec. Epist. 30. *Quis queri potest, in ea se conditione esse, in qua nemo non est? Prima enim pars æquitatis est æqualitas.* Epist. 31. *Æqualitas ac tenor vitæ per omnia consonans sibi.* De Benef., 2, 29. *Naturam oderunt, quod infra deos sumus, quod non in æquo illis stetimus.*

cari censet; Reimaro contra potior videtur Lipsii emendatio, idque eo magis, quod Dio *Liviam* ne post mortem quidem Augusti *Juliam* adpellari soleat.

Nullius tamen flagitii. Imitatione Livii, si forte: qui de T. Manlio: *Filium juvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe egit*, 7, 4. Lips.

Quo pluribus munimentis. Vere emendavi. Conf. Muret. Var. lect. 11, 1. Filii enim heredesque passim dicuntur subsidia et firmamenta regni. Tacitus H., 4, 52, *Non legiones, non classes, perinde firma imperii muninenta quam numerum liberorum.* Eurip., Med., 600, φῦναι τυράννους παῖδας, ἄρυμα δόμασι. Sic *subsidia aulæ*, Suetonio, Calig. 12, *adminicula Augusti* Senecæ cons. ad Marc. 4, heredes imperii dicuntur: et vere. Siculus ille momar: (exprimit, quod verum est, a me indignatio) cum sua conjectura, *sed qui pluribus morum vitiis insisteret*, abeat morboniam. Lips. In pr. edit. fuerat *monumentis*, correctum isto modo a pluribus. Conf. Lucret., 4, 1250.

Vocabula. Sed non vis aut potestas. Cæsar in se traxerat. Lips. Intimum arcanum novi status, imago prioris. Ipse paullatim exolevit *priscus mos*, i. e., vetera instituta et ratio rei publ. administrandæ, ma-

cipis aspectare; nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate validus seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta jam senectus ægro et corpore fatigabatur, aderatque finis et spes novæ; pauci bona libertatis incassum disserere : plures bellum pavescere, alii cupere : pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant :. « trucem Agrippam et

gistratuum creandorum, etc., ne forte disciplinam morum cogites. Mox dedi *omnes*. Jam Muretus vulgare vitium mutavit.

Nulla in pr. formidine. Eruditus quidam corr. *nullæ formidines*. Cujusmodi correctionum facilitas sæpe fraudem facit. Dixi supra de hoc genere ablativorum, e quo statim hi sunt in proximis, *vetere superbia, urbem magnifico ornatu*, c. 9. Ubi non difficilius erat, Ciceronem in Tacitum intrudere scribendo *magnifice ornatam*.

Ægro et corpore. Velim trajici, *et ægro corpore*. Lips. Sed a Tacito solere transponi *et*, recte monet Pichena. Sic quoque tamen viris doctis omnia suspecta, et *animo* vellent interponi. Non dubium est, quin τῷ *fatigabatur*, quod iidem observant, referatur ad vocem *senectus :* sed eo sensu, quo apud Juvenalem, 10, 75, *si oppressa foret secura senectus principis*. Nimirum postquam ipse princeps ætatis provectæ, jam et morbis cœpit attentari. Rationem reddit Tacitus, quare hominibus de re publica Augusto permissa pridem securis sollicitudinem attulerit exspectatio successoris : nempe, quod videbant, illum accessisse ad finem mortalitatis, utpote valde senem, nec jam crudo viridique, sed caussario et labanti corpore : ut ille apud Phædrum leo describitur, *Defectus annis et desertus viribus*. Hic nihil prorsus necesse fuit *animi* mentionem facere. Non enim auctori cura, pingere Augustum omnibus partibus, qualis fuerit tali tempore, sed submonere de duobus illis publice notis et in oculos incurrentibus, quæ adverterunt homines, tanquam præsagia instantis mortis. At animus neque vegetus in senio vitæ longum duraturæ, neque infirmior citæ mortis prærogativa est. Gron. Exemi scrupulum virgula, quæ *ægro* præponitur, deleta. Tacito, Suetonio aliisque nihil tritius est postposito *et*, non ad morem illum poetarum, sed ut sit *etiam, adeo*, qua vi illius voculæ nondum utitur ævum Ciceronis. Provectior ætas principis *etiam* morbis conflictabatur. Sic duo membra apte constringuntur in unum. Verbum *erat* in medio subaudire vix latinitas sinit. Rectum et Acidal. vidit. Freinshemii conjecturæ, *animo* allinentis, et exemplo Liv. 38, 29, exemplum ipsius obverti poterat Supplem. Liv., 89, 37. Male conj. Wopkensius, *p. provecta jam senectute æger, et corp. f.*

Imminentis.... differebant. Notabis ingenium plebis, *Cui mos humili læsisse veneno Summa, nec impositos unquam cervice volenti Ferre duces*. Stat., Theb. 1, 171. Lips.

ignominia accensum, non ætatæ, neque rerum experientia, tantæ moli parem: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia; multaque indicia sævitiæ, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice: congestos juveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi, specie secessus, exulem egerit, aliquid quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum. Accedere matrem muliebri impotentia: serviendum feminæ, duo-

Quamquam premantur. Indicia proprie non *premuntur*, sed vitia, h. l. sævitia. Itaque inclinarem in eam partem ut Tacitum scripsisse putarem *prematur*, nisi scirem, hunc scriptorem et in aliis duriorem esse, et ab vulgari consuetudine loquendi sæpe consulto recedere. Et favet vulgatæ alius locus. H. l. 26. Ern. Immo rei ratio ac sermonis proprietas. Vitia animi premere, virtus est; id vero est coercere ea et compescere: at significationes eorum nobis incautis erumpentes premere h. e. occultare et oculis hominum subducere, simulatio est virtutis. Haud abnuerim, figurate etiam alterum dici posse, sensu eodem, sed in alia verborum collocatione. De superbia Claudiorum vel Suetonium vide Tib., c. 2, et Livium passim.

Exulem egerit. Ita *principem agere, et agere se paullo minus quam privatum*, in Suetonio aliisque lego. Et in nostro H. 3, 2. M. Antonio tamen Mureto, var lect. 11, 1, cujus scripta Venus inhabitat pariter cum Musis, legendum videtur, *exul egerit*. Lips.—* Wopkens. contra Muretum adfert, a. 13, 14. H. 1, 30; 2, 83; 4, 2; 21.—Gravius videri potest ulcus subesse, quamvis perquam similis oratio sit 4, 44; sed diversa res. Quid enim aliud est *exulem agere* nisi speciem seu personam exulis induere et gerere? At secedentis specie, non exulis, Rhodi vixit Tiberius. Quid vero *exul agere* nisi verum exilium indicat? Cui rei ecquis auctor? Nullus præter frigidum rumorem, quem, ut minime probabilem, Dio, 55, 9, certioribus illius secessus rationibus subjicit. Verum aliam ac veriorem causam norat Tacitus, c. 53. Ne multa, *exulem* irrepsisse putabam aliquando ex glossa librarii, cui verbum *egerit*, absolute sic toties positum, h. l. novum fuisset. Jam comparato Suet. Tib., c. 13, id me maxime in viam retrahit, quod fama vulgi hic affertur, non sententia scriptoris. Ac forsan ita tueare vulgatum, ut eodem modo dictum sit, quomodo quis Augustum dicat Romæ *egisse dominum specie antiquæ libertatis*. Sic fere etiam Hooftius vertit.

Aliquid pro *aliud quid*, ne quis hæreat, et *aliud* legendum suspicetur. Sic etiam hoc verbo uti Ciceronem et alios demonstratum est a Pearc. ad Cic. de Or., 2, 42; Drakenb. ad Liv., 6, 3; et Oudendorp.

busque insuper adolescentibus, qui rem publicam interim premant, quandoque distrahant. »

V. Hæc atque talia agitantibus, gravescere valetudo Augusti : et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno, Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam : multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis; spemque ex eo, fore ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori

ad Suet. Tib., c. 47. Ern. Hic verò *aliquid* est *aliud quicquam*, propter negationem : quod longe rarissimum.

Interim pr., quandoque d. Dixi corruptum olim locum mutilumque. Redeo in viam admonitu amici, qui explicat : Drusus et Germanicus nunc quidem conjuncti prement rem publicam; at olim orto, fors fuat, dissidio, eandem distrahent per bellum civile, dissipabuntque. Consule Muret. V. L. II, 1. Lips. *Interim* est τίως per aliquod tempus (vivo Tiberio), parum frequens significatio. Non est h. l. *interdum*, ut explicant ad Florum, I, 26, 6. — *Crusius, Prob. crit., p. 29, legit : *qui populum romanum interim prensent* (i. e. Tiberio superstite, prensando captent, et favoris aucupio et patrandis successioni præsidiis misceant), *quandoque distrahant* (Tiberio defuncto, ubi de successione ambigendum fuerit, distrahant in partes).

Scelus uxoris. Hæc est tertia veneficiæ hujus palma, et jure lemniscata. Tangit vero suspicionem illam de ficubus, quæ nota ex Dione, 56, 30. Lips. Inter recentiores sunt, qui fidem denant atroci suspicioni, et ipsum Planasium iter, inscia Livia factum, ad vanos rumores rejiciant. Scilicet veneno grassari si voluisset mulier, id non in 76 annum mariti distulisset. Mihi nec hæc ratiuncula satisfacit ad refellendum, neque vagus rumor ad firmandum.

Maximum uxori Marciæ. Habes eleganter historiam totam in Plutarchi περὶ ἀδολεσχίας, p. 508. A. quem locum, pretium puto, ut convertam pene verbatim. *Fulvius vero Cæsaris Augusti amicus, cum jam senem eum sæpius querentem audiret de solitudine suæ domus : quodque duobus nepotibus fato functis, Postumo, qui solus reliquus, ex calumnia nescio qua exsulante, cogeretur uxoris suæ filium ad successionem imperii vocare, quamquam miserans et consilium captans revocandi ab exsilio nepotis : cum, inquam, hæc audiret Fulvius, enuntiavit suæ uxori, illa Liviæ. Livia autem acerbe cum Cæsare egit, cur, quoniam jampridem id decrevisset, non arcesseret nepotem, sed se odio invidiæque successoris objiceret? Venientem igitur, de more, mane Fulvium, et solitum illud dicentem Ave, Cæsar resalutavit, Vale, inquit, Fulvi. Atque ille id intelligens, domum se illico subduxit, et vocata uxore : Rescivit, inquit,*

Marciæ aperuisse, illam Liviæ : gnarum id Cæsari : neque multo post exstincto Maximo, (dubium an quæsita morte) auditos in funere ejus Marciæ gemitus, semet incusantis, *quod caussa exitii marito fuisset.* Utcunque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis matris literis accitur. Neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an

Cæsar, non siluisse me arcana : ideo mori mihi decrètum est. Uxor autem : Jure, ait, quoniam tamdiu mecum habitans vivensque, nec noveris, nec caveris intemperantiam meæ linguæ. Sed præcedam tamen ego, et accepto gladio, seipsa viro coram interemit. Hæc Plutarchus : nec alibi tam liquide narrata res. Hoc tantum male, quod Φούλκιον ubique vocat, qui Fabius est. Fabius ille Maximus, qui consul fuit anno urbis 742. Item, quod Marciam interfectam vult ante maritum : cum noster clare, vixisse eam dicat, et auditos gemitus ejus in funere mariti. Atque hæc homini vera caussa mortis : ne innocuum poetam oneremus, aut potius ipse se, de Ponto, 4, 6, 11. *Occidis ante preces, caussamque ego, Maxime, mortis, Nec fueram tanti, me reor esse tuæ.* Est enim hic Maximus, quem Naso coluit, et ad quem elegia non una. Sed et uxor Nasonis, propinqua Maximi, seu conjugis ejus Marciæ, ex his versibus ibid. 1, 2, 138. *Ille ego, de vestra cui data nupta domo est. Hanc probat, et primis dilectam semper ab annis Est inter comites Marcia censa suas. Est censa,* pro censuit, sati nove, immo antique. Sic *adfectatus est regnum,* pro adfectavit : *Spectatus est suem,* in Varrone lego, retineoque : *Communicati sunt,* pro communicaverunt, in Livio : *Peragratus est regionem,* in Velleio, et plura. Tangit hanc de Fabio tragœdiam etiam Plinius, l. l. : *Juxta hæc abdicatio Postumi Agrippæ post adoptionem, desiderium post relegationem, inde suspicio in Fabium, arcanorumque proditiones.* Lips. In illo, *censa est,* explicando falli summum virum monuimus observ. 4, 3, extr. Grox. Etiam verbum *peragrari* subtraxit Ruhnken. ad Velleium, 2, 97.

C. Navum id. Pridem emendavi firmavique, *gnarum id Cæsari.* Caii Navi nulla persona est in hoc actu. Sic 6, 46, *gnarum id Cæsari, eoque dubitavit de tradenda re pub.* 1, 51, *quod gnarum duci, incessitque itineri et prælio.* Sed ecce, hanc mihi quasi desponsam conjecturam, est, qui sine ullo divortio velit abducere. Ego vero non dimitto; nec enim soli Atridæ uxores suas amant, ait ille. Lips. Muretum tangit ob V. L. 11, 1. Conf. utriusque epistolas in Mureti Opp., t. 1, p. 537, et require, si potes, urbanitatem illorum temporum. — * Albericus Gentilis in Lect. Virgil., c. 19, p. 177, legit *Liviam id Cæsari.* Kh.

Quæsita morte. Illata, et violenta machinatione Augusti. Lips. Voluntaria, sponte sumta, ut bene Freinsh.

An exanimeni. Prius tradunt Vel-

exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia : lætique interdum nuntii vulgabantur, donec, provisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem, fama eadem tulit.

VI. Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippæ cædes : quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio ægre confecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit : patris jussa simulabat, quibus præscripsisset tribuno, custodiæ apposito, « ne cunctaretur Agrippam morte afficere, quandoque ipse

1. *Acrioribus namque custodiis domum et vias sepserat. Paribus custodiis* satius fore mihi videbatur olim : nam *acres custodias* vix alibi mihi lectas recordor. Nunc præfero *artius* vel *artioribus custodiis*. Sic Livius, 26, 4, *custodias artas* dixit; et ibid., c. 17, *hujus saltus fauces, ut Nero, arte præsepsit*, sic lego. Vide Gronovium. Justinus, 27, 3, *servari eum artissima custodia jubet;* et 38, 9, *Demetrium artioribus custodiis observari jubet*. Ubi MS. *acrioribus*. Et ita Tacitus H. 1, 88. *Sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem, neque arta custodia, neque obscura*. Ann. 3, 28. *Artiora ex eo vincula, inditi custodes*. Sic recte Pichena, non *acriora*, 13, 28, *cohibita artius et ædilium potestas. Intentas custodias* dixit noster H., 4, 28.

leius, 2, 123; Suet. Aug., 98; et Tib. 21. Dio, 56, 31, quamquam hic prudentius dubitat.

Acribus custodiis. Heinsius, in Misc. Obs., vol. IX, p. 282, voluerat statim *paribus*, dein emendabat *artioribus* : quod est frequens hujus verbi epitheton, ut ibi docet, permutaturque cum *acrior* ap. Justinum, 38, 9, atque nostrum, 3, 28, ut videtur viris doctis. Sed, quia tamen *acre* proprie dicitur de diligentia et rebus iis, in quibus diligentia spectatur, sine libris nihil muto. Sic 6, 17, opponuntur *acria initia et incuriosus finis*. Ern. De vulgato nemo ambigat. Apud Liv., 39, 19, est *custodia intentior*, voce plane συνωνύμῳ.

Centurio ægre confecit. A tribuno interfectum Suetonius voluit, c. 22. Sed Dio, 57, 3, pariter ut noster, a centurione. Credo verum esse, ut a centurione occisus sit, at jussu tribuni. Lips. *Ægre*, obnitente prævalido homine, et, quantum nudis manibus poterat, ictus reddente. Annal. 16, 9. Falso Broterius misericordiam centurionis cogitabat. Ceterum *firmatus* a Sallustio cum genit. *animi* constructum erat, teste Arus. Messio libello Elocut. Quam rarus nostro scriptori sit ablativus in hoc genere, index docebit.

Quandoque. Sic cum Jac. Gron. reponere non dubitavi, cum Codex scriptus sic habeat, quod Beroaldus, ut vitiosum, mutavit, sequacibus editoribus posterioribus. Bonæ autem latinitatis esse *quandoque* pro *quandocunque* docuit Gron. ad Liv.,

supremum diem explevisset. » Multa sine dubio sævaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exsilium ejus senatusconsulto sanciretur, perfecerat : ceterum in nullius unquam suorum necem duravit; neque, mortem nepoti pro securitate privigni illatam, credibile erat; propius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi juvenis cædem festinavisse. Nuncianti centurioni, ut mos militiæ, « factum esse, quod imperasset : neque imperasse sese, et rationem facti reddendam apud senatum, » respondit. Quod postquam Sallustius Crispus, particeps secretorum

1. 24, et alii. Ern. Prior sic correxit Muretus, a quo sumptum fortasse, in textu habet Aurelius.

Duravit. Absolutum verbi usum animadverte; uti est 14, 1, aliaque exempla ap. Quinctil. Similiter, c. 7, *dabat famæ*, ubi alias semper additur *aliquid*. Mox præteritum ponitur *erat*, respectu priorum temporum. *Tum hominibus* parum credibile *videbatur*. Sic infra, c. 53, *credebantur*; et 4, 74, apudque Cic. Tusc., 3, 27, *constabat*, pro quo Boherius male corr. *constat*.

Nuncianti. Legitimum verbum in hac re est *renunciare*, idque Tacito reddendum putat Drak. ad Liv., ep. 47, ubi v. exempla. Præcedentis verbi ultima syllaba potuit *re* absorbere. Ern. Legitima et propria non raro optimi scriptores spernunt consulto : id promtiu erat h. l. ob memoratum *morem militiæ*. Ita deinde *Vestæ virgines* vocantur, quæ *Vestales* sunt publico vocabulo, adeo ut Dionysio Halic. opus videretur facere τὰς Ἑστιάδας. Accedit, quod simplicia verba poetarum more præferuntur compositis. Ut, c. 7, *posuit edictum* est *proposuit*, quod ipsum ibi legere volebat Muretus. Suetonium, c. 22, et alios cum centurionibus loqui facile patimur.

Ut mos militiæ. Solennia militiæ verba, factum quod imperasti. Sueton., l. c. *Renuncianti tribuno factum esse quod imperasset.* Et in Claud., 29. *De nece consularis viri renunciante centurione factum esse quod imperasset.* Lips.

Sallustius Crispus. Est ille, cujus vitam mortemque infra memorat, 3, 30, Sallustii, historiarum regis, ex sorore nepos. Nominat eum Seneca inter intimos Augusti, de Clem., 1, 10. *Ignovit abavus tuus victis. Nam si non ignovisset, quibus imperasset? Sallustium et Cocceios et Duillios et totam cohortem interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit.* Sed cedo, quis in Seneca Duillius? Falsus, scribendumque, *Deillios*, sive *Dellios*. Deillius a Seneca patre dicitur, in Suas. 1. med. *Bellissimam tamen rem Deillius dixit, etc.* Græcis tamen est Δίλλιος, Plutarcho Dionique. Item Horatio, inscriptione odes 2, 3; ubi temere interpretes *Gellium* sufficiunt. Plutarchus in Anton.,

(is ad tribunum miserat codicillos), comperit: metuens, ne reus subderetur, juxta periculoso, ficta seu vera promeret, monuit Liviam, « ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur. »

VII. At Romæ ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac fes-

3. *Tanto magis falsi.* Opinabar, *tanto magis fassi*, quo illustriores, eo apertiores ruebant in servitium, dum Tiberii benevolentiam hoc ipso aucuparentur. Sic *famem jejuniis fateri*, H., 5, 4. *Fortuna fateri* aliaque compluria apud nostrum. Quinctil., 8, 3, *ut in his nullus sit ornatus, sed ut pressior et severior, eo minus confessus.* Sed a vulgata ferri potest. Ann. 3, 3, *ne omnium oculis vultum eorum scrutantibus falsi intelligerentur.* H. 2, 17. *ita ceteros terruere, ut adesse omnem Cinnæ exercitum trepidi et falsi nunciarent.*

p. 943, D. eum historias quoque scripsisse ostendit. Πολλοὺς, inquit, καὶ τῶν ἄλλων φίλων οἱ Κλεοπάτρας κόλακες, ἐξέβαλον τὰς παροινίας καὶ βαμολοχίας οὐχ ὑπομένοντας, ὃν Μάρκος ἦν Σίλανος, καὶ Δίλλιος ὁ ἱστορικός. Eadem Dio, 50, 13, et 23. Ad Sallustium autem istum facit, quod Plinius, 34, 2. *Metallum quoddam Sallustianum appellatum*, scribit, *ab amico divi Augusti.* Lips. Conf. Ruhnken. ad Velleium, p. 353.

Miserat codicillos. Ita enim receptum, quo magis cautum militibus esset, cædem mandari per libellum. Scilicet ne imperator auctoritatem posset defugere. Pulchre Herodianus, 3, 11, 8, de Saturnino et Plautiano: Ὁ δὲ Σατουρνῖνος γραμματεῖον ἔπεμψε τοῦ Φόνου Φέρον τὰς ἐντολάς, etc. Ad quem usum duplices adhibitos, alibi lectum. Lips.

Ficta seu vera. Ficta, si a Tiberio crimen amoliretur; ne ipse ejus damnaretur a senatu. Vera, si Tiberium auctorem ederet, ab eo puniendus aut tollendus. Lips. *Periculoso*, ablativus, et omissio prioris partic. *seu*, Græcum et poeticum colorem habent. Notatur illa sæpe ad Horat. Male ergo quidam lenium correctionum amator conj. *Periculo seu ficta seu v. p.* Metuebat, ne reus subderetur *ipse*, quum æque periculosum futurum esset, etc.

Ut non aliter ratio constet. Scitum dictum, nec quidquam mutemus. A mensulariis ductum est, quibus constant rationes cum pares sunt. Plin., Epist. 1, 9, init.; Paneg. 38, 4. Usi et auctores prisci juris, lib. 1; de Obseq. parent., l. penult.; de Re militari. Adde Valentis dictum apud Trebellium Pollionem Trig. tyr. 21. *Non sibi apud deos inferos constare rationem, quod quamvis hostem suum, Pisonem tamen jussisset occidi, virum cujus similem Rom. res publ. non haberet.* Lips.

Falsi. Heinsius conjiciebat *fassi*

tinantes, vultuque composito, ne læti excessu principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus, adulatione miscebant. Sext. Pompeius et Sext. Appuleius coss. primi in verba Tiberii Cæsaris juravere :

4. *Lacrimas, gaudium, questus, adulatione miscebant.* Sic scripti. Sed τὸ *m* geminari debuit ante τὸ *miscebant*. *Adulationem* scilicet reponi oportet, etsi nec male Muretus.

in Obs. Misc. V. IX, p. 283, male. Simulationem assumptam dicit, de qua exquisite *falsus* dicitur, imitatione Sallustii Cat. 10, ubi v. Cortius. ERN.

Lacrimas, gaudium. Acute Muretus V. L., 11, 3, *lacrimas gaudio, questus adulatione miscebant.* Placet rei hominisque caussa. LIPS. Præmissa ratio clare indicat, hic peccatum esse, ablativo in accusativum mutando. Nam quod Salinerius et Pichena sic accipiunt, quasi Tacitus in omnibus adulationem adhibitam dicat, id frigidum est, nec caussæ præmissæ convenit. Ceterum putem etiam legi posse *lacrimis gaudium, questus adulatione miscebant.* Nam ita minus abitur a scriptura librorum, et Tacito solenne est variare modos loquendi, non omnia eodem modo atque ordine exprimere, ut attenti lectores facile observabunt. Heinsius etiam conjiciebat *adulationem*, ut ultima absorpta sit a prima sequentis verbi. Nec hoc male. ERN. Certi aliquid statuere, difficile est. Interim mihi quoque præceteris placet ratio Heinsii, vel Lipsii *adulationes* ob Hist., 3, 74. Certe iners est ablativus pro gerundio. Non demum nunc subjecisset *questus*, si nihil esset quod responderet huic voci. Paullo ante notabilis est ellipsis substantivi vel similis verbi, in Hist., 1, 85, expleta : *ne viderentur.* Pro *tristiores* in Cod. est *tristior.* Id Jac. Gronov. in textum retrahit, propter incredibiles, ut ait, varietates Taciti in constructione. Nec laudator defuit Cortius ad Sallust. Cat., 20. -- * Wopkens. plane reprobat. Recte.

In verba Tib. Cæsar. juravere. Rem, quæ per se satis habet indignitatis, magis turpificat Muretus, dum censet, hoc loquendi genus proprium gladiatorum, qui se addicebant lanistis; quasi ad facienda perpetiendaque omnia, quæ is, cujus in verba juratur, jusserit, obstringi sit. Immo militum est proprium, qui se devovebant imperatori. Liv. 3, 20. Eumenes apud Justin. 14, 4 : *Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis.* Quod hic narratur, initium sumpsit in Divo, de quo Sueton. Cæs., c. 84, *item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius adstrinxerant.* Et mox : *confisum novissimo illo SC. et jurejurando.* Appianus, B. C., 2, 124, ὧν Καίσαρι πάντες ὠμόσαμεν, φύλαξις τοῦ σώματος ἢ τιμωροὶ παθόντι τισὶ γενέσθαι. Iterum, c. 145, καὶ τοὺς ὅρκους, ἃ μὲν φυλάξειν Καίσαρα καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σῶμα παντὶ σθένει πάντας, ἃ εἴ τις ἐπιβουλεύσειεν, ἐξόλεις εἶναι τοὺς οὐκ ὀμόσαντας αὐτῷ. Nec Augusto defuit fœda Sex. Pacuvii adulatio, de qua Dio, 53, 20. His exemplis cessit pudor, et Tiberio jam quasi legitimum ac solenne faciunt. Vis fuit, salutem propugnaturos et

apudque eos Sejus Strabo et C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ : mox senatus, milesque et populus : nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciæ potestatis præscriptione posuit, sub Augusto acceptæ. Verba edicti fuere pauca et sensu permodesto : « de honoribus parentis consulturum : neque abscedere a corpore : idque unum ex publicis

acta rata habituros. A militia etiam translatum ad gladiatores; sed horum sacramentum *uri, vinciri, virgis ferroque necari.* Gron. Jusjurandum Cæsari præstitum ab hoc differre puto : fuit enim extraordinarium. Nec jusjurandum in acta huc pertinet, quod post oblatum Tiberio SCto, sed repudiatum, auctore Tacito, infr. 72; Sueton., Tib., c. 67. In verba Tiberii jurarunt, ut imperatoris. Vis fuit : se dicto audientes fore, imperata facturos. Ita olim milites jurasse auctor Polybius. V. Lips. Mil. R. I, 6. Ern. Confundit etiam Broterius, quum rem discere potuisset ex Mem. Acad. Inscript., t. XIX, edit. in-4.

Apudque eos. Apud coss. emendabat Muret. Eleganter. Copula languet præ more Taciti. Minus bene idem mox pro *vetere* conj. *Vigente* ex vett. librorum nescio quorum scriptura *vintere*.

C. Turranius. Et quidem primus in eo munere, ab Augusto. Nam Augustus acceptam a populo præfecturam, nisi fallor, tenuit dum vixit : aut certo paullo ante mortem substituit sibi Turranium istum. Adsero id ex Cornelii nostri verbis, Anal. II, 31, init., nisi tamen aliter accipis, ut in loco videbo. Turranii etiam mentio Senecæ de Brev. vit., 20, nescio an hujus, quia procurationem illi tribuit, non præfecturam. Nominat et Ovidius in poetarum albo ex P. 4, 16, 29 : et in doctorum, Plinii index. Sed quæras, cum præf. prætorio et annonæ in verba Tiberii jurarint, cur omissus præfectus urbis? cujus auctoritas non minor (major immo illo Annonario), et cui proprius in urbe miles. Credo equidem omissum, quia nemo fuit. Taurus Statilius defunctus erat, cui Piso suffectus post aliquot annos a Tiberio, uti doceo clare, 6, 10. Lips. De præfecto annonæ, V. Burman., de Vectigal. P. R., c. 8, p. 118. Ern.

Neque abscedere a corpore. Non rei publ. corpore, ne inducat te Maurus, sed Augusti. Datum enim honori defuncti Augusti a Tiberio, quod ab eo olim Druso, 3, 5. Sed cur id e publicis muneribus? Visum ita Tiberio loqui, ad honorem Augusti : quasi magistratuum præcipue esset, et eorum, qui rei publ. primi, curare funus sermonis illius et viri supra viros. Lips. Ego vero sic intelligo : neque se discessurum ab hac una re, de funere Augusti; hoc unum, nempe *consulere senatum de ea re*, se de publicis muneribus usur-

muneribus usurpare. » Sed, defuncto Augusto, signum prætoriis cohortibus ut imperator dederat : excubiæ, arma, cetera aulæ : miles in forum, miles in curiam comitabatur. Literas ad exercitus, tamquam adepto principatu, misit : nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur. Caussa præcipua ex formidine, ne Ger-

paturum. Quam interpretationem confirmat illud, quod c. 8, dicit, *nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti.* Vulgaris illa interpretatio Lipsii aliorumque locum habere non posse videtur, quia privata ista pietas esset, non publicum munus : deinde, quia inde non appareret *edicti sensus permodestus,* h. e. quo indicare videretur, se principatum non affectare : denique, quia falsum est, non discessisse a corpore Augusti Tiberium, sensu proprio. Fuit enim Romæ, senatum habuit, et de honoribus Augusto habendis egit, ut e seq. patet. *Suprema* dicuntur de morte, in primis de funere, de quo h. l. accipienda, ut docuit Salmas. ad Solin., p. 16, 31. — * Ibi Salm. explicat *de reliquiis corporis.* Ern. Ne *corpus* ad celebrationem funeris aut sermonem de ea re habendum trahamus, tum usus latinus vetat, tum locus a Lips. laudatus aliusque Curtii, 10, 7, extr., denique tempus instans verbi *abscedere*, quod, ut tempora licenter mutet Tacitus, tamen in isto sensu adhibiturus non fuerat. Illa vero palmaria est observatio Bœcleri, sententiam postremi membri rursus revolvi ad primum, quasi illud de custodia cadaveris interjectum sit. Igitur hoc dicit : relaturum se de sepultura patris, cujus corpori ut assideret, pietatem poscere; hanc convocationem senatus unum esse ex senatoriis sc. tribuniciis muneribus, quo fungi animum induxerit : idque omitti sibi non licere, quoniam ad honorem Aug. pertineat. Quid hac oratione modestius esse potuerat in eo, quem successorem imperii sperabat senatus omnis metuebatve ? Gravis autem significatio est in ista παρενθήκη, eo spectans nimirum, ne quis illum jam nunc aliquid moliri suspicetur ad occupandam rem publ., videantque omnes, nihil nunc ei potius cura venerandi corporis esse, sive custodiendi sive comitandi. Nam edictum hoc fortasse Nola aut ex via Romam misisse putandus est. Nola missi sunt, qui Agrippam necarent ; Nola sunt mandata ad exercitus distributa ; jam Nolæ quodammodo aula fuit. Quippe haud paucos intra dies omnia illa peracta esse arguunt kalendaria vett. Postero statim die, quam corpus in urbem illatum erat, hic senatus agebatur. V. Dio, 56, 31 ; 57, 2 et 3.

Excubiæ, arma. Præcipua hæc signa tunc principis. Conf. H., 4, 11. Lips.

Cetera aulæ. Quæ hæc cetera ? Puto lictores, fasces laureati, et siquid præterea tunc receptum principi distinguendo. Neque enim adhuc illa principatus insignia, ignis, diadema, purpura : quæ reperta sequenti ævo, et ad exemplum regum. Vide Excurs. in litt. *A.* Lips.

Ex formidine. Cunctandi nempe caussa, formido ex Germanico : ne,

manicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium quam expectare mallet. Dabat et famæ, ut vocatus electusque potius a re publica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione irrepsisse. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem. Nam verba, vultus, in crimen detorquens, recondebat.

VIII. Nihil primo senatus die agi passus nisi de supremis Augusti: cujus testamentum, illatum per virgines Vestæ, Tiberium et Liviam heredes habuit. Livia

si ille tantis viribus et gratia imperium vellet, ipse turpiter abjiceretur. Melius ergo censebat non agnoscere, donec nosset ejus mentem. Lips.

Tot legiones. Octo ad Rhenum, in ripa gallica: præcipuum, uno loco, imperii robur. Atque eæ cum suis auxiliis et equitatu, facile ad c. m. militum accedebant. Lips.

Uxorium ambitum. Matris Liviæ, quæ a marito id exambierat. Lips.

Senili adoptione. Quæ facta esset a sene jam delirante, ideoque non satis gloriosa adoptatio. Ern.

Inductam dubitationem. Scribo *indutam*. Est enim *induere* nonnunquam præferre, obtendere, ostentare. Livius, 1, 56, de Bruto: *longe alius ingenio quam cujus simulationem induerat.* Seneca, de Benef., 2, 2, *lætus facit et induit sibi animi sui vultum.* Noster 6, 42; 15, 69. Gron. Immo *inductam* verum est. Sic Cicero, pro Cœl., 11, *oratio inducta* pro adhibita. Nempe *induere* proprie refertur non ad rem, sed ad speciem, aut ad personam, habitum, prætextum, ut in omnibus exemplis a Gron. prolatis; cujusmodi verbum hic non est. *Species dubitantis* indui potest, non *dubitatio*, ut opinor. Vulgatum defendit etiam Ryckius, sed alio modo, qui probari non potest. Ern. Mihi is modus unice probabatur, priusquam ejus auctorem legeram. *Induci* proprium est in opere tectorio, in coloribus et pigmentis; legiturque ita ap. Plinium sæpissime. Hoc vult Ryckius, etsi aliena affundit. Itaque *inducta*, ut fucus, opponuntur sinceris verisque: et quis nescit Persii *tectoria linguæ?* Ad rem. conf. Aurelii Vict. de Cæs., 2.

Virgines Vestæ. More scilicet Romanorum, qui pactiones, fœdera, testamenta, pecunias etiam, deponebant in templis: et sæpissime in isto Vestæ, quod religione primum. Dio, 48, 37, de pace inter triumviros et Sextum inita: Ταῦτά τε οὖν συνθέμενοι, καὶ συγγραψάμενοι, τά τε γραμματεῖα ταῖς ἱερείαις ταῖς ἀειπαρθένοις παρακατέθεντο. Eadem in re Appianus B. C., 5, 73, Καὶ ταῦτα συνεγράψαντο, καὶ ἐσημήναντο καὶ ταῖς ἱεραῖς παρθένοις φυλάσσειν ἔπεμψαν ἐς Ῥώμην. Sed et Julianum testamentum virgini Maximæ traditum,

in familiam Juliam nomenque Augustæ adsumebatur: in spem secundam, nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed jactantia gloriaque ad posteros. Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi cccxxxv, præ-

Sueton., Cæs., c. 83, ait: M. Antonii, depositum apud Vestales, Plutarch., p. 942, E. Et generatim de templis, Ulpian., l. 111, de tabb. exhib. *Si custodiam testamenti ædituus suscepit.* Dixi et pecunias in templis deponi solere: quod verum adeo, ut quidam omnes fortunas in iis haberent, quasi custodia certa. Vid. Herodian., de templo Pacis, quod exstum sub Commodo, 1, 14, 3. Nec mirum, quia milite hæc templa custodiebantur. Tertullianus, de Corona, p. 127, C. ubi non vult christianum militem scribi. Et in Apologetico, p. 29, D. Ideo Juvenalis, 14, 260. Castora vigilem dixit: *Et ad vigilem ponendi Castora numi.* Lips.

Livia in familiam Juliam. Ideo in numis et lapidibus exhinc fere Julia scripta aut sculpta, non Livia: quod item in notis ad Valerium observamus. Sed nomen Augustæ an recepit? Negat ecce Suetonius Claudio, c. 11. Dicit ab avia id recusatum: quæ non alia quam Livia est. Mirum. Liviam enim Augustam faciunt scribuntque alii omnes: et hercle, si, ambitionem feminæ novi, non recusavit. Tacit. 3, 64; 4, 16; 5, 1. Plinius, 15, extr. *Livia Drusilla, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit.* Idem lapides sexcenti testantur et numi. Quid ergo Suetonio, l. c, visum dissentire! Non ipsi quidem, sed librario, qui pervertit. Liquet enim nobis corruptum locum, scribendumque *ab viva recusatum*, vel, *ab ea viva.* Ad matrem Antoniam hæc referuntur, non ad aviam: uti docet vel ἀκολουθία sermonis. Quæ viva donata Augustæ nomine a Caligula (ταύτην τε γὰρ Αὐγούστην οὐθὲ καὶ ἱέρειαν τοῦ Αυγούστου ἀπέδειξε, ait Dio, 59, 3) id sprevit: et mortua nunc per Claudium recepit. Itaque in lapidibus claudiani ævi: ANTONIAI. AVG. DRVSI. sculptum hodieque. Hoc verum; at interpretes in suetoniano loco quam natant? qui licet ad portum se recipiant, me duce. Lips. Emendationem optimam etiam numi firmant. In nostro autem loco *nomen Augustum* sine idonea auctoritate exsculpsit I. Gronov. ex codicis scriptura, *Augustu.* Ita quidem est ap. Lamprid. Severo, c. 1, et ceteros istius classis, non apud priores. Alia ne cumulem, Plinius, Paneg. 84, *cognomen Augustarum*, Suet., l. l. De nomine *Juliæ*, V. Ruhnken. ad Velleium, p. 311.

Sed jactantia gloriaque. Quare *jactantia?* quasi sine affectu scilicet, optimos utilissimosque patriæ legisset. Lips

Civilem modum. i. e. nihil præcipuum novumque in legatis, nihil regium, aut præter civium modum moremque. Nam de Falcidiæ modo accipere (ignoscent viri magni) pravum acumen est. Lips.

Populo et plebi cccxxxv. Video placere viro docto, emendari e Sue-

toriarum cohortium militibus singula numum millia, legionariis ccc, cohortibus civium romanorum cccc numos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus;

tos., 101 : *Populo et plebi* cccc, *tribubus* xxxv, ut intelligamus, ait, præter quadringenties legatum populo, etiam in singulas tribus centena millia relicta esse. Hæreo : et e vulgatis Taciti verbis eruo bonum sane sensum. Conjunctim scilicet extulit noster, quæ magis distincte Tranquillus. Ea tamen ejus mens, ut populo legatum sit quadringenties, tribubus sive plebi xxxv. Ni esset, non junxisset duas eas voces, *populo et plebi*. Sed populus ergo alius a tribubus ? Alius, hac quidem in parte. Populo legavit quadringenties viritim distribuendum, et κατ' ἴτα : tribubus tricies quinquies, id est, corpori tribuum universo : veluti si collegio legem, et collegis singulis seorsum. Discrimen hoc summamque exactam neglexit Dio, 56, 32, qui satis habet dicere legatum populo cccc. Neglexi, vereor, et ego, dum in electis motus hæsitatione aliorum tentavi corrigere in Suetonii verbis, *tribubus* xxxv. Lips. Add. Casaub. ad Suet., l. c, et Muret. V. l. 11, 3. Distributionem alii rectius sic faciunt, ut quod populo legaverat, in ærarium ad publ. usus delatum sit; quod tribubus, vicatim vel viritim pernumeratum.

Legionariis cohortibus civium. Bene additum, ne accipiamus etiam cohortes sociales. Ideo et Dio vertit, τῷ πλοίῳ πολιτικῷ πλήθει πέντε καὶ ἐβδομήκοντα δραχμάς. Itaque ille idem legiones πολιτικὰ στρατόπεδα non semel appellat, quia scripta ex civibus tantum. Fuit tamen, cum in Dione placeret, τῷ ἱππικῷ πλήθει. Male. Sueton., l. c. *Legionariis trecenos numos : quam summam repræsentari jussit; nam et confiscatam semper, repositamque habuerat.* Ubi *confiscatam*, in fiscis adservatam : uti Tertullianus eleganti metaphora, de fuga, p. 698. B. *Felices itaque pauperes, qui animam totam in confiscato habent.* Lips. Si rem, ut erat, edidit Tacitus, scripsit : *legionariis trecenos, cohortibus civium romanorum quingenos numos viritim dedit.* Sic enim Suetonius, sic Dio. Hoc si obtinere nequeam, admisero Freinshemianum, *leg. autem et coh.* ea tamen conditione, ut cohortes civium romanorum solæ sint urbanæ cohortes; non quæ aliæ sub certis legionibus non continebantur; quas ille adjungit. Et fuerit aut error, aut negligentia Taciti, uno ordine habentis urbanos et legionarios; quum tamen urbani non in Augusti modo, sed etiam in Tiberii testamento lautius fuerint tractati. Sed, si verum licet fateri, magis placet prius. Gron. Freinshemianam rationem Ryckius dedit. Jac. Gronovius autem e Cod. mediceo *legionariis aut cohortibus.* Legiones quidem et cohortes sæpe distingui certum est. Ego interea post *autem* interpunxi. Copula *et* potuit a Tacito ipso omitti, ut mox : *ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur. Aut*, quod in MS. esse testatus est Gronovius, vereor, ne Beroaldus recte acceperit pro *autem*. Ern. Valde vereor, ut recte acceperit. Tacitum asyndeton decebat in tali enumera-

ex quis maxime insignes visi : « ut porta triumphali duceretur funus, » Gallus Asinius ; « ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, » L. Arruntius censuere. Addebat Messalla Valerius, « renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii : » interrogatusque a Tiberio, « num se mandante eam sententiam prompsisset? sponte dixisse, » respondit : « neque in iis, quæ ad rem publicam pertinerent, consilio, nisi suo, usurum, vel cum periculo offensionis. » Ea sola species adulandi superarat. Conclamant

tione ; non adversativa *autem*, qua omnino rarius utitur, ne semel quidem in hoc toto libro ; minime error in re notissima et gratæ in vulgus memoriæ. Adde quod *et* omissum post *autem*, nescio quo modo, vehementer displicet, nec illo exemplo bene defenditur ; neque locum habet *aut*, cui particulæ Crollius simplicis copulæ vim tribuit, quibusdam locis male intellectis deceptus. Neque vero Broterii correctio, *leg. atque coh.*, vestigia corruptæ scripturæ cum fide sequitur. His de causis Gronovio majori sine ulla dubitatione assentior, *aut* ex numerali nota ccc, et proximo versu ccc ex cccc depravata esse, atque ad hunc modum quo feci, mutanda. Tantum in re aperta et testata licet circa notas istas toties multo fœdius habitas, præsertim in tanta similitudine elementorum.

Ex quis m. i. visi. Visi sunt hi, qui statim pronuntur. Wopkens. vel expungendum hoc *visi*, vel duplex *ut* nominibus censentium præfigendum putabat.

Porta triumphali. Sueton., 100. *Inter alia complura censuerunt quidam, funus porta triumphali ducendum, præcedente Victoria.* Neque dicit id factum : quod tamen viri docti ex Dione asserunt, me mirante : qui video Dionem nihil tale, immo contra scribere, 56, 31, *funus ejus ab equitibus noctu urbi illatum.* Si noctu, quid refert per quam portam ? Hoc tamen Dio, c. 34, *imaginem ejus e palatio ceream, habitu triumphali, ductam ; itemque alteram in curru triumphali.* Lips. Spectabant viri docti Dionis cap. 42, ubi funus non ducendum porta triumphali, sed ductum, narrat. Perperam Lipsius cogitabat de corpore e Campania in Urbem deferendo.

Porta triumphali. De hac porta videndus Alex. Donatus in Roma vetere, 1, 22, ita tamen, ut homini, quantumvis docto, ne credas, nescio quam religionem inferendi cadaver Augusti per hanc portam Romanis objectam, eaque religione vetitos, mortuum Augustum isthac recipere. Gron.

Renovandum per annos. De eo ritu dico ad 15, 67. Valuit autem hæc sententia, et voluit Tiberium jam principem esse : neque enim alii juratur. Eoque velut offensus, ro-

patres, « corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. » Remisit Cæsar adroganti moderatione; populumque edicto monuit, « ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari

gat, quo auctore dixisset? Lips. Sacramentum *in nomen* non est aliud quam supra dictum *in verba*. Etiam militis sacramentum singulis annis renovari moris erat. Quare qui id transferendum censebat in novum principem, is primus militaris principatus fundamentis jactis libertati funus parabat. Atqui potuit Messalla hanc adulationem sententiæ suæ intexere? Per egressionem puta, de qua vid. 2, 38, eoque spectare videtur verbum *addebat*. Jam ante talia plura immisturi erant senatores: sed *nihil ille agi passus nisi de supremis Aug.* Cogi volebat.

Corpus humeris. Qui honor, nisi fallor, Sullæ habitus primo Romanorum. Appianum lege, 1, 106, Civil. Lips.

Remisit Cæsar. Quid? non ergo elatum corpus humeris senatorum? Est vero. Sueton., 100. — * Id. Dio. At remittendi verbum eo valet, ut non sit factum. Lib. 3, 55. *Remissa ædilibus talis cura*. Lib. 11, 3. *Hortantibus dehinc inediam et levem exitum, remittere beneficium Asiaticus ait*. Scribo ergo, *permisit Cæsar*. Sed eam ipsam permissionem arrogantem esse vult Tacitus, quia per speciem modestiæ, et quasi pugnare cum senatu nollet, habuit amplissimum ordinem inter vespillones. Simile illud, 6, 23, de Asinio Gallo: *Consultusque Cæsar an sepeliri sineret, non erubuit permittere. Add.* De correctione nunc ambigo, quia docuit me vir ille qui omnes, (Cujacium dico, quem nemo satis unquam miratus est, qui cepit) eamdem vim inesse verbo *remittendi*. Exempla apud ipsum in obss. 21, 29. Et sane in Irenæo, 1, 8, etiam legi: *Remittite mortuos sepelire mortuos suos*. Lips. Sic accipio, *remisit* in adversando, et cessit instantibus patribus, superbus specie pudoris et modestiæ, facto eodem verecundus simul et arrogans. De Cujacii observatione, quam laudat ὁ πάνυ, vide quæ diximus obs. 4, 2. Gron. Locis ibi excussis adde Cæs. B. G. 7, 20, med. Quod non simpliciter dissuadebat, aut significabat indecoram rem esse, mera arrogantia erat: modestia videri poterat, quod nec imperabat, nec prohibebat, quum utrumque facere posset. Temperamentum fuit ejusmodi, quo abuti solemus in collegiis, quorum pars sumus, ut, quum nostra ipsorum res agitur, eam rem ad humanitatem collegarum rejiciamus. — * Crusius, Probab. crit., p. 28, intelligit, Cæsarem remisisse molestiam illam rei per se non injustæ, nec alienæ, ut moderatio sit in remittenda molestia, adrogantia in eo, quod rem ipsam non improbaret.

In campo Martis. Primum Sullam in campo Martio, per honorem, sepultum tradit Appian., l. c. Nam alii, etiam illustres viri, extra urbem. At postea Juliæ ibi tumulus, et mox ipsius Julii, nunc Augusti,

vellent. » Die funeris milites velut præsidio stetere, multum irridentibus, qui ipsi viderant, quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii et libertatis inprospere repetitæ, cum occisus dictator Cæsar aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur : nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam heredum in rem publicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura ejus quieta foret.

IX. Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus : « quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitæ supremus : quod Nolæ in domo et cubiculo, in quo pater ejus Octavius, vitam finivisset. Numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Va-

sede destinata : id est, in mausoleo, quod sibi struxit. Lips.

Præsidio stetere. Tanquam metuendum fuisset, ne plebi, quæ nondum vetus servitii, exsequias divi Julii tantis studiis concelebraverat, nunc demum, postquam ad libertatem tot per annos omnium animi occalluissent, mitis domini supremum honorem turbare, seque eadem opera militibus discerpendam objicere liberet. Ita propemodum Muretus. Supervacui apparatus risorem in ipso senatu vide ap. Dion. 57, 2.

* *Improspere repetitæ.* Jac. Gronov. malebat *improspera.* Male. Wopkens.

Provisis h. in rem p. opibus. Quum provisum esset, ne successuris exercitus et reliquæ opes deessent ad opprimendam rem publ.

Quod idem dies. Erit fortasse, qui hic adhæreat; cui adjutorium ego. Triplex enim ratio numerandi imperii augustei. Alii plurimique ab actiaca pugna numerant, cum victo Antonio potens fuit imperii solus. Ea pugna pugnata IV nonas septembres. Quidam a sexto ejus consulatu, cum imperium illi a senatu firmatum, datumque cognomen Augusti : quasi is legitimi principatus primus dies. Id fuit VII idus januar. Atque ea ratio numerandi provinciis fere familiaris. Ita in lapide, qui Narbone : VII. QVOQVE. IDVS. IANVARIAS. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS. TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPPLICENT. Orosius 6, 20, paullum a lapide dissentiens, VIII nominat idus. Longius recedit Censorinus, de D. N. 21, qui rejicit in XVI cal. febr. Ovidius idus dumtaxat nominat Fast. 1, 587 et seq. Sed lapidem ego credo verum dicere. Tertii denique numerabant a primo ejus consulatu : scilicet quia is gradus et aditus ad reliquos honores. Is fuit XIV kal. septembres. Eam rationem sequutus est quicumque ille scriptor de causis corruptæ eloquentiæ, c. 17, qui imperitasse Augustum ait annis 56,

lerium Corvum et C. Marium simul æquaverat : continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas : nomen imperatoris semel atque vicies partum : aliaque honorum multiplicata aut nova. » At apud prudentes vita ejus varie extollebatur, arguebaturve. Hi, « pietate erga parentem et necessitudine rei publicæ, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes. Multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse. Postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum datus sit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rem publicam : mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium : legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa : jus apud cives, modestiam apud socios : urbem ipsam magnifico ornatu ;

fallente numero, nisi ad hanc rationem. Quam ipsam sequuti curiosi isti, qui initium imperii et finem Augusti vitæ in eumdem diem, miraculi causa, conferebant. Satis dixi : tu abi liber et expeditus. Lips. Conf. Monim. Ancyr. in Chishulli Antiq. asiat., p. 172. Norisii Cenot. Pis., p. 102, et ex vett. maxime Dio, 56, 30.

Simul æquaverat. Nam Valerius sextum, Marius septimum consul. At *ter Latio deciesque tulit labentibus annis Augustus fasces*, ut ait Statius Silv., 4, 1, 31. Lips. Valerii illius verum cognomen *Corvum* fuisse, non *Corvinum*, quod h. l. vulgatur, docuerunt Sigonius, Pighius, alii. Quidni ergo Medicei fidem sequamur cum J. Gronov. et Allemando ?

XXXVII *annos tr. p.* Accepit eam Aug. v kal. jul., ut per XXXVI annos et duos ferme menses gesserit. Dio, 53, 32, cum Norisii Cenot. Pis. p. 260 et seq. Mox *nomen imp.* illud dicitur, quod prisco more postponi solebat. Conf. Dio, 52, 41.

Aliaque honorum multiplicata. V. Sueton., Aug., c. 26 *seq.* et 57.

Necessitudine rei publ. Id est, necessitate : quia, ut mox loquitur, *tempora rei publ.* id poscebant, et asperum hoc remedii. Lips.

Dum interfectores. MS. dabat *tunc.* Inde Beroald. conj. *quo*, Rhenanus *ut*, Muret. et Pichena *dum*. Jac. Gronov. *tunc*, *interf. p. ut ulcisc.* Acutius, ut solet.

Mari Oceano. Hoc verum, et docui in Admirandis I, 3, 4. Tamen addendum hic ex Herodiano, de Au-

pauca admodum vi tractata, quo ceteris quies esset. »

X. Dicebatur contra, « pietatem erga parentem et tempora rei publicæ obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium: mox ubi decreto patrum fasces et jus prætoris invaserit, cæsis Hirtio et Pansa (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium, et machinator doli Cæsar abstulerat), utriusque copias occupavisse: extortum invito senatu consulatum, armaque, quæ in Antonium acceperit, contra rem publicam versa:

gusto, 2, 11, 5. Illic distincte pleraque: noster universe, et præcipua dixit. Sed fuere alibi *fossæ*, *castra*, *stipites*: quæ talia *limites* appellat Spartianus in Hadr. 11. *In plurimis*, inquit, *locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis, in modum muralis sepis, funditus jactis atque connexis, barbaros separavit.* Fuit instar valli castrensis, aut potius sudeti. Hic passim limitanei milites, quos Zosimus, 2, 34, narrat a Constantino sublatos, magno rei romanæ malo. Lips.

Dicebatur contra. Uberius hanc partem exsequitur: an quia ipse in ea? non ambibo. Lips. Propterea illum justo acrius carpit Famian. Strada Prolus. 1, 11.

Largitionem. Sic cod. et edit. pr. Vulgo *largitiones*. Id cur tam sedulo repetant editores, præsertim a J. Gron. moniti, non video. Etiam magis miror paullo post ab omnibus servatum *abstulerant*, quum iidem testes et grammaticus usus singularem commendet.

Consulis legiones. D. Junii Bruti, quas in Mutinensi obsidio ad se traxit. Lips. Immo Antonii Quartam et Martiam, quæ donis promissisque corruptæ, M. Antonium consulem deseruerunt, seque cum Octavio conjunxerunt, ut recte Muretus. Gron. Cic., Philipp. 4, 2; Appian. B. C. 3, 93.

Fasces et jus prætoris. Suadente Cicerone, Philipp. V. Ern.

Extortum invito senatu. Muretus in commentario habet *senatui*. Apud Ciceronem id præferendum esset. Historiam narrant Suet., Aug., 26; Dio, 46, 32, seq.; Appian. B. C. 3, 48, seq.

In Antonium. De hoc Julio Antonio, ut supra, c. 5, de Paullo Fabio Maximo vid. Reinesii ep. 21 ad Rupertum.

Acceperit. Muretus malebat *acceperat*: sc. quia mox *fecere*. Tacitus utroque modo utitur: paullo ante *invaserit*. Sed sæpius tamen plusquamperfecto, ut attentus lector facile observabit. Ern.

proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui cepere, laudatas. Sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos (quamquam fas sit, privata odia publicis utilitatibus remittere); sed Pom-

5. *Ne ipsis quidem, qui cœpere, laudatas.* Ita scripti; an *fecere?* Locus luxatus. Forte, qui *reperere.* Ut ipsum Augustum oblique tangat: qui videri volebat invitus, et necessitate adactus, proscriptioni et agrorum divisioni consensisse. *Qui reperere* sunt, qui auctores proscriptionis fuere. Eo verbo sæpius utitur noster Ann. 2, 30. *Callidus et novi juris repertor Tiberius.* C. 83. *Honores, ut quis amore in Germanicum validus, reperti decretique.* Ann. 3, 5. *cuncta a majoribus reperta; aut, quæ posteri invenere, cumulata.* C. 26. *repertaque quædam a Tullo et Anco.* C. 56. *id summi fastigii vocabulum Augustus reperit.* C. 69, *sapienter reperta* et *semper placita.* 4, 11. *Sejanus facinorum omnium* repertor. C. 19. *Proprium Tiberio fuit, scelere nuper reperta priscis verbis obtegere.* C. 30. *delatores publico exitio reperti.* C. 71. *Latinius atque Opsius ceterique ejus flagitii repertores.* 6, 3. *reperisse prorsus, quod D. Augustus non providerit.* 11, 25. *mitem et recens repertam rationem adhibuit.* 12, 53. *Pallanti, quem repertorem ejus relationis ediderat Cæsar, prætoria insignia censuit.* 13, 31. *ex dignitate populi romani repertum,* quod male solicitat Muretus. Proprie tamen proscriptionis auctor Sulla. De quo Seneca, de Benef., 16. *proscriptionem commentus est;* et Velleius, 2, 28. *Primus ille, et utinam ultimus, proscriptionis exemplum invenit.* Vides *invenire* dici Velleio, quod *reperire* Tacito dicatur. *Cepere* est ex mutilatione vocis. Ut ita Ann. 2, 36. *auretur* pro *augeretur* in codice Mediceo. 4, 51. *sponte incorum* pro *incolarum* in eodem codice. 65. *tavisset* pro *dactavisset.* Vid. et 5, 4. laudavit vero proscriptionem a patre repertam Sullæ filius Faustus. Valer. Max., 3, 1, 3.

Qui fecere. Muretus legi volebat *cepere*: idque probat Ryckius. Bene, ut opinor. Heinsius in Misc. Obs. v, IX, p. 283, *cœpere* esse in scriptis ait, et emendat *fecere* vel *reperere.* Sed unus modo scriptus exstat, et is habet *fecere*, teste Pichena. Agnoscit tamen Sullam proprie esse proscriptionum auctorem et repertorem. Ego non ignoro, etiam Augustum simulasse, se invitum proscribere: sed si hoc voluisset Tacitus dicere, dixisset, ut opinor, brevius: *nec ipsis laudatas.* Longe gravissima sententia est, si nec illi probarunt divisiones agrorum, ad quos fructus ex iis pervenit. Ern. Verissimæ sunt hæ duæ rationes, emendatio autem felicissima; cui futilia quædam nuper opposita sunt. Speciosius iste abuti potuisset loco H. 1, 6, ut dictum videretur de mensoribus ex partibus triumvirorum. Sed cui placere hic potest harum operarum mentio? Immo quod in hoc genere largitionum. Cic., de Off., 2, 22, 79, accidere ait, ut eas ne sperata quidem gratia sequatur, in illa agrorum divisione evenisse, clare testatur Suet. Aug., c. 13. Hæc maxime auctoritas fecit, ut *cepere* dederim in textu.

Privata.... remittere. Vid. Cic., post reditum in senatu, c. 8. Idem, de provinciis consularibus, c. 18. Livius, 9, 38. Gron.

Sed Pompeium.... Lepidum. Sic Livio restituimus, 24, 14. *Libertatis auctorem eis non se fore solum,*

peium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiæ deceptos : post, Antonium tarentino brundisinoque fœdere et nuptiis sororis illectum, subdolæ adfinitatis pœnas morte exsolvisse. Pacem sine dubio posthæc, verum cruentam : lollianas, varianasque clades ; interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Julos. » Nec domes-

sed consulem M. Marcellum, sed universos patres. Gron. Alia exempla ad h. l. attulit Vertranius. Sic, c. 22, *cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero*, c. 59. extr. bis *ne*. c. 62, pr. *ut*, etc. Add. Gron. et Drak. ad Liv. 3, 11. Ern. Seneca de Benef. 1, 1, med. *Sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis, et vix exeuntibus verbis.* Memini me talia etiam quater repetita legisse.

Tarentino.... fœdere. Τεταρολογία est. Nam brundisinum fœdus aliquot annis prius tarentino. Utrumque autem a loco, ubi ictum. Brundisinum, quod Cæsar cum Antonio coiit, Perusia capta : cum morte opportuna Fulviæ sublatum esset non dubium bellum, a. U. 714. Octavia tunc Antonio data, et provinciæ Orientis. At tarentinum triennio posterius est : cum iterum simultate exorta, Ὁ μὲν Ἀντώνιος (verba Appiani sunt civilium 5, 93.) ἐξ Ἀθηνῶν ἐς Τάραντα διέπλει ναυσὶ τριακοσίαις· sub prudentia Octaviæ, adnitente item Agrippa et Mæcenate, iterum compositæ res. Antonius Cæsari centum naves ad bellum siculum, ipse illi duas legiones ad bellum parthicum attribuit. Adi, si libido est. Plut. Antonio, p. 931. F. Dion. 48, 54 Lips.

Nuptiis sororis illectum. Octaviæ ex Ancharia. de quo instabili conjugio mire fœdatus Senecæ patris locus Suasoria prima. V. Excurs. in *B.* Lips.

Lollianas. Non impleo paginas istis, quæ alibi exposita et prompta. In hac lolliana clade Julium Obsequentem emendo de Prodig. 131. *Insidiis Romanorum Germani circumventi, sub M. Lollio legato, graviter vexati.* Nam contra scribo, *insidiis Germanorum Romani circumventi.* Vide præterea Suetou. Aug., c. 23; Dion. 54, 20; Eusebium Chronicis Olymp. cxc. Lips. Conf. Velleium, 2, 97, et ibi Ruhnken.

Varianasque clades. Clades ea nota ; sed Senecæ de illa locus non sine labe, etiam in emendatis nuper libris. Epist. 47. *Mariana clade quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit : alium ex illis pastorem, alium custodem casulæ fecit.* Cladene Mariana ? ubi ista, aut quando ? Nam C. ille Marius victor, ubique, si memini, et fecit servos, non dedit. Quod de ea accipias, quam Germanis intulit : nugæ. An Germani senatorium per militiam auspicantur gradum ? Certissime rescribendum *variana.* Hanc enim nostram intelligit : et opportuno recentique exemplo admonet, posse e summa fortuna labi ad imam. Lips.

Varrones. Fuit Licinius Varro Murena : de cujus insidiis, præter

ticis abstinebatur. « Abducta Neroni uxor : et consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu rite nuberet : Q. Tedii et Vedii Pollionis luxus :

alios, Strabo, 14, p. 670. Lips.

Egnatios. M. Egnatius Rufus ædilis; de quo Dio, 53, 24; Suet., c. 19. *Mox M. Egnatii, exin Plautii Rufi.* Ita ibi scrib. non *Genutii.* Vide Senecam de Clem. 1, 9. Lips.

Julos. Dicere videtur jussu Augusti occisum Julum : idque et Dio prodidit, 55, 10. At Velleius sua manu cecidisse eum dat intellegi, 2, 100. Quid tum? nihil hæc pugnant. Præcessit scilicet jussus Augusti : quem ille exsecutus sua manu. Julum autem Antonium intellegit, triumviri filium, ad quem Horatii Oda 4, 2. Cognomen ei Africanus : quod male adhæsit Fabio, cum quo consul fuit, apud Suetonium in Claud., c. 2. Paullo enim Fabio cognomen Maximi fuit : et sunt duæ ex ordine horatianæ Odæ, libri quarti prima et secunda, ad hos non dubie consules, perque eam occasionem conjunctim scriptæ. De eo Julo Seneca in de Brev. vitæ, c. 5. *Filia et tot nobiles juvenes, adulterio velut sacramento adacti, infractam ætatem territabant. Postquam* (melius, *postque*) *iterum timenda cum Antonio mulier.* Apparet enim hunc Julum arcanum aliquod scelus (cui proximus ab adulterio gradus est) cum Julia in Augustum concepisse : uti olim cum Cleopatra ejus pater. Lips. Contra particulam hujus notæ, quæ pertinet ad consulatum Juli et Paulli Fabii, et cognomen Africani disputant Reinesius et Rupertus in Epistolis. Ern. — * Item Reinesius in V. L. 1, 17 et Intpp. ad Horat.

Qui Tedii.... luxus. Non extrico, quis hic Tedius. Utrumne *Atedius* scribendum? ut sit ille, qui Ciceroni ad Att, 12, 4 et seq. dictus inter Cæsaris amicos. An Sex. Tedium Afrum capimus, qui consul designatus se præcipitavit, apud Sueton. Aug., c. 27? Leviter placet. Magis est, ut geminata ab hæsitante librario vox sit, scribamusque : *Qui Vedii Pollionis luxus.* In Seneca sane simile mendum succreverat, de Ira, 3, 40. *Divus Augustus cum cœnaret apud Vedium Pollionem*, ita restituit Pincianus, cum antea, *Atedium*, legeretur. Pincianus, selectus mihi censor, et verbis modicus, re judicioque ingens. Mentio hujus Vedii luxuriæque ejus apud multos, Dionem 54, 23; Plinium, 9, 23; Tertullianum de Pallio, c. 5, p. 138. *B.* Hic est ille Pollio, qui testamento Cæsari Pausilypum legavit, et e cujus diruta domo facta Romæ porticus, quæ Livia dicta. Lips. *Atidius* præfectus Verris nominatur Ciceroni, 3, 32; et in.... *Atidius Geminus* pictor. Ad Atticum, 12, epist. 4 et 24, ex Cæsarianis appellatur *Aledius*, qui forsan hic *Atedius*, ut suspicatur et Lipsius. Alioqui posses cogitare *Q. Asellii* ex Acrone ad illud Hor. sat. 2, 7. *Tutoque ciconia nido, Donec vos auctor docuit prætorius : Asellius quidam prætor fuit, qui usum ciconiarum condendarum primus reperit.* Gron. In Cod. erat *nuberetque Tedii.* Hinc Beroald. conj. *qui*; cui pronomini, hucusque per editt. vulgato, nullus hic locus

postremo Livia, gravis in rem publicam mater, gravis domui Cæsarum noverca. Nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. Ne Tiberium quidem caritate aut rei publicæ cura successorem adscitum : sed quoniam adrogantiam sævitiamque ejus introspexerit, com-

est, quo id cunque torseris. Illud certum puto, in eo latere nomen *Quinti*, primum propositum a Rhenano; idque nunc reductum nemo doctus reprehendet. De nomine altero et, quam occulit, persona nihil compertum habeo. Non lubet, nobiles popinones omnes simili nomine exagitare ex lustris suis, hoc ipso Tedio (seu Atedio) nihilo notiores. Si tamen nominis similitudo sufficeret, ex proximo caperem Augusti coheredem, *Q. Pedium*, cui nemo adhuc manum injecit. Sed nuperus quidam editor (Crollius. V. com. Acad. Palat. vol. 6 hist. p. 23. Cf. Gœtt. Anz. 1790, nº. 34 *), admirans in notis domesticæ turpitudinis omissa adulteria, post longissimæ disputationis tædium nos mactat conjectura, quam adeo in ordinem recepit, *nuptæque tædia*. Haud vidi magis : id videt, opinor, quisque, malæ linguæ vulgi unum exemplum luxuriæ satisfacere non potuisse.

Gravior domui Cæs. Sic rescripsit Pichena, quem editores deinceps secuti sunt : sicque conjecerat Groslotius ad Dousam, (Burm. Syll. Epp. viris ill. script. t. 1, 48 *), ut concinnius et Tacito dignius, sed tamen nihil mutari volebat. In MS. est *gravius*, unde Beroaldus ediderat *gravis*. Jac. Gron. *gravis* servandum censet. Sic 6, 26, *grave conscientiæ*, *grave famæ suæ*. Caussam affert, quod illud, rei publ. obtrudere fraudibus suis filium sævissimum, pejus sit; certum præterea, cum hoc dubium sit. Sed in criminando rumores pro certis rebus sumuntur : et in perdendis privignis major sævitia. Ern. Loquuntur prudentes, quibus publica res antiquior. Recte igitur notant Allem. et Croll., gradationem ab h. l. alienam esse. Illa ejusdem vocabuli repetitio vel sine ulla majore emphasi fieri solet. Ut c. 7, *miles in forum, miles in curiam*. Velleius, 2, 125, *daturos senatui, daturos principi leges*.

Templis et effigie numinum. Magna et insana ambitio : quam exemplo Herculis et Liberi patris excusare tamen videtur, 4, 38, noster. Sed Augustus adhuc vivus, et hominem fungens, in provinciis esse colique voluit pro deo; in provinciis, non in Italia, aut Romæ. Sueton., 52, de urbe ait : Dio etiam de Italia, 51, 20. Quod Tacitus scribit effigie numinum : valet in eam mentem, ut signa adposita Augusti statuis sint : quæ solent deorum : puta, radius, hasta, fulmen. Lucan. 7, 458. *Fulminibus manes, radiisque ornabit et astris*. Itaque numi etiam hodie, in quibus Augusti caput radiatum. At de flaminibus et sacerdotibus Augusti, plena omnia monimenta, et putidum sit referre. Vide plusoula in Excurs. C. Lips.

paratione deterrima sibi gloriam quæsivisse. » Etenim Augustus, paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem e patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret.

6. *Quædam de habitu cultuque et institutis ejus jecerat.* De cultu Tiberii insolentiore quidquam sibi lectum homines eruditissimi negant, et recte. Legendum enim, *de habitu vultuque ejus.* Habitum pro vestitu accepit librarius imperitus, cui *cultum* rectius quam *vultum* adjungi credidit. Ut Ann., 2, 59. *Tiberius cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto;* et alibi sæpe. Atqui *habitus* corporis æque animorum obvius apud scriptores: plerumque etiam cum *ore* aut *vultu* conjungitur. Noster Ann., 16, 22. *Habitum vultumque ejus sectantur, rigidi et tristes.* H. 1, 17. *nihil in vultu habituque mutatum.* 2, 52, *vultum habitumque trahere in deterius.* De quo nos ad Claudiani Epith. Honorii 73. plura. Utrumque conjungit noster Ann. 12, 18. *cultu vultuque ad præsentem fortunam comparato.* Unice conjecturam nostram confirmat Suetonius Tiber., 68. *Incedebat cervice rigida et obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus.* Tum, ne dubitare possis. *Quæ omnia ingrata et arrogantiæ plena animadvertit Augustus, et excusare tentavit sæpe apud senatum et populum.* Vides, arrogantiam vultus in Tiberio excusari apud senatum ab Augusto, nihil illic de *cultu.* Noster Ann., 2, 29. *Manum ad Tiberium tendens, immoto ejus vultu excipitur.* De Pompeio Lucan., 8, 665. *Nihil ultima mortis Ex habitu vultuque viri mutasse fatentur.* Senec. de Benefic., 2, 19. *quid vultum habitumque oris pervertit.* Epist. 52, *insanum vultus habitusque demonstrat.* Valer. Max. 5, 10. Ext. 1. *vultu pristinum habitum retinente.* De oris habitu, vide locum a nobis restitutum Ann. 6, 20. et de hoc ipso Tiberio noster, 4, 57. *Erant, qui crederent, in senectute quoque corporis habitum pudori fuisse.*

Comparatione deterrima. Sive placet, *teterrima.* De re Suetonius Tib., c. 21. *Augustum ambitione tractum, ut tali successore, desiderabilior ipse quandoque fieret.* Lips. Verum arbitror *deterrima.* Non placet *deterrimi* sine fulcro substantivi, multoque minus *teterrima.* Illud dicitur, ut *honorifica comparatio,* quæ in honorem alterius utrius partis cedit; et sic in aliis, etiam ἀντιπεριστάσεως, permutantur attributa. Sic Germ. c. 5, terra nostra est *improcera* ob *improcera corpora* pecudum. De re, ne Augustus monstrum habeatur, vid. Ann. 4, 57; Dio 57, 3, 12; Suet. Tib., c. 23; Calig. c. 4, ipsamque rem perpende et fortunam domus principalis.

Habitu cultuque.... ejus. Ad habitum spectant hæc Sueton. Tib., c. 68. *Incedebat cervice rigida et obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus,* etc. Addit pro Tacito etiam: *Quæ omnia ingrata, et arrogantiæ plena, animadvertit Augustus, et excusare tentavit sæpe apud senatum et populum.* Atque hæc ad *habitum:* in *cultu* ejus quid notabile aut arrogans, haud nunc memini legere. Lips. Recte. Itaque verissime Heinsius in Observ. Misc. v, IX, p. 284, emendat *vultuque,* quod unicuique in mentem venire debuit.

XI. Ceterum sepultura more perfecta, templum et cœlestes religiones decernuntur. Versæ inde ad Tiberium preces. Et ille varie disserebat: de magnitudine imperii, sua modestia; « solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem; se, in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus. Proinde in civitate, tot illustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia rei publicæ sociatis laboribus exsecuturos. » Plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu na-

rat e loco Suetonii. Cervix rigida et obstipa est habitus superbior. Atque etiam Tacitus hæc duo alibi jungit: Ann. 16, 22. H. 1, 17; 2, 52, ut ibi jam notavit Heinsius, quem vide. Itaque in tanta evidentia non dubitavi rescribere *vultuque*. Adde infr., c. 33. Ern. Assenserunt Allem. et Brot. Rectius scripturam Cod. nunc reductam defendit Croll. fecitque jam Lipsius docto, ut sæpe alias, silentio. *Habitus* in primis oris et vultus est, jungiturque modo *vestitus*, modo *cultus*: cujus pars est *vestitus*. Vide Suet. Aug., c. 44, et hunc ipsum Ann. 2, 59. In tali homine cultum habitui similem fuisse, vel tacente Suetonio facile intelligitur.

Templum et cœlestes. Templum in Palatio ipso, ex decreto senatus. Dio, 56, 46. Καὶ αὐτῷ (Αὐγούστῳ) ἴν τε τῇ Ῥώμῃ ἡρῶον ψηφισθὲν μὲν ὑπὸ τῆς γερουσίας, οἰκοδομηθὲν δὲ ὑπό τε τῆς Λιουίας καὶ ὑπὸ τοῦ Τιβερίου ἐποιήθη, καὶ ἄλλοθι πολλαχόθι. Liviæ tamen soli id opus attribuit (præter Dionis et Suet., c. 47, mentem) Plinius; 12, 19. Huc respicientem credo Senecam scribere, Cons. ad Polyb., 35, extremo. Puto enim id templum in Palatii vestibulo fuisse, etsi referre fortean possis ad templum Apollinis Palatini. Ceterum ἀποθέωσιν hanc Augusti, quam Tacitus commemorat, carmine singularis libri complexus videtur Ovidius, ut ipse quidem indicat, De Ponto, 4, 6, 17, et alibi. Lips. Quæ hic *cœlestes religiones*, in Kalendario amiternino vocantur *cœlestes honores*, qui Augusto decreti dicuntur a. d. XIII kal. octobr. Nam dissentio a Fogginio, qui illarum rerum discrimen ex Dione trahit Fast. Prænest., p. 130.

Preces. Ut onus cuncta regendi sibi imponi patiatur. Post hoc scribendum forsan *At ille*.

Modestia. Id est, moderatione, animo minime ambitioso; atque sic alibi usurpat: Mureto notatum. Lips. Quod tamen h. l. non satis convenit, ubi opponitur magnitudini. Sensus requirit *mediocritate*: quo sensu fortasse *modestia* h. l. dictum. Sic *modestia hiemis*, 12, 43. Ern. Ipse Muretus accurate expl. tenuitatem virium V. L., 11. 4. Conf. Dio 57, 2, ubi Tib. ætatem et visus imbecillitatem excusat.

tura, sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero uitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrimas, vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere: cum proferri libellum recitarique jussit. Opes publicæ continebantur: quantum civium sociorumque in armis: quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. Quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus: addideratque consilium coercendi intra

At patres. Confer. Dio 57, pr. Kh.*.

Ad effigiem Augusti. Quæ in ipsa curia. Apparet enim ex illis, quæ de Hortensio, 2, 37. Lips.

Cum proferri libellum. Libellum eumce, quem Sueton. Aug., c. 28, *rationarium imperii* non incommode appellat: scilicet, quia rationes eo publicæ continebantur. Videbatur autem prolatione libelli flexus paullum Tiberius, et imperium acceptura, cum curas susciperet. Vocat idem auctor etiam *Breviarium imperii* cap. ultimo. Ubi nota mihi etiam, indicem hunc rerum Augusti certo illum esse, cujus exemplar Ancyræ positum, et curante nobilissimo Busbequio exscriptum. Nam titulus in ea ipsa tabula iste: *Rerum gestarum divi Augusti, quibus orbem terrarum imperio populi romani subjecit, et impensarum, quas in rem publicam populumque romanum fecit, incisarum in duabus ahenis pilis, quæ sunt Romæ positæ, exemplar subjectum.* Ex quo haud temere collegerim, dixerimque, in Suetonio scribendum, *in æneis pilis*, non *tabulis*. De eadem re loqui utrumque, id quidem clarum est. Lips.

Opes publicæ continebantur. Heinsius, l. c, omissum conjicit *eo*. Credo Tacitum ipsum omisisse studio brevitatis, ut alibi facit in pronominibus. Ern. Exempla collegit Wopkens. ad h. l.

Necessitates ac largitiones. Necessitates vocat onera publica, quæque necessario in milites, in populum, aliasque imperii res eroganda. Livius eadem sententia, 23, 48. Lampridius Alexandro, c. 38. Capitolinus paullo aliter in Gord., c. 32. Tacitus, 2, 27, extr. pro onere vel angore, ex ære alieno: sive et pauperie. Lips. De larg. conf. lap. Gr. p.... vel Chishulli Monim. Ancyr., p. 174.

Addiderat consilium. Quod consilium suum plene extollit Augustus ipse apud Julianum in Menippea de Cæsaribus, p. 326, C. Spanh. Sed qui termini sive limites Rom. imperii sub Augusto? Duos nominat Julianus, Istrum et Euphratem: qui-

terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.

XII. Inter quæ senatu ad infimas obtestationes procumbente, dixit forte Tiberius, « se, ut non toti rei publicæ parem, ita, quæcunque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum. » Tum Asinius Gallus, « Interrogo, inquit, Cæsar, quam partem rei publicæ mandari tibi velis. » Perculsus improvisa interrogatione, paullum reticuit : dein, collecto animo, respondit : « Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet. » Rursum Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) : « non

bus adde Rhenum, et Oceanum, et quæ supra dixi. Lips.

Metu, an per invidiam. Metu, quem pro ipsis habebat, *ne studio plura quærendi, ante parta amitterent.* Atque hanc rationem ab ipso Augusto in libello datam, Dio est auctor, 56, 33. Lips. *Per invidiam,* ne quis successorum proferendo fines augeret gloriam, et latius imperasse diceretur. Ern.

Dixit forte. Excidit hoc ei in calore sermonum, quum reliqua omnia probe meditata domo attulisset. Ne fortuiti speciem artem mimi putes. Suet., c. 24. Illud non fert latinitas.

Quam partem rei p. Explicat Dio 57, 2. Tiberius, inquit, tres fecerat rei publ. partes : prima Romam et Italiam complectebatur : altera, exercitus : tertia, provincias. Uni ex istis parem se aiebat, non omnibus. At bono histrioni detracta propemodum persona est, improvisa interrogatione Galli. Lips.

Perculsus. Legendum puto *percussus,* i. e. perturbatus et velut captus ; de quo *percuti* dicitur non *percelli,* inprimisque in rebus repentinis. Sic Cic., Ep. ad Div., 9, 25, *repente percussus est atrocissimis literis :* ubi male quidam *perculsus.* Sæpe hæc verba confundi notissimum est. Ern. Vix id probavisset Bentleius, ad cujus doctrinam Ernest. in eadem correctione ad Suet. Tib., c. 11, provocat. Nam recollectus animus vocabulum gravius poscit. Atque proprium est *percelli* in terrore et formidine ex inopinis. Adde quod altero illo Tac. ne semel quidem utitur, hoc multis in locis. Quæ res magnum in hoc genere momentum habet. Mecum sentit Wopkens. laudans H. 4, 16 ; 3, 36 ; 2, 25. A. 1, 28 ; 4, 54 ; et alia ; adeoque in Cic. epist. 9, 25, nonnullorum lectionem bene restituit *perculsus.*

Rursum Gallus. Vulgo *rursus.* Scripturam Codicis, auribus gratiorem, habent priscæ editt., ut c. 10, 25, 29. Alibi *adversum.*

Vultu offensionem conjectaverat. Int. e vultu Tiberii, in quo signa

idcirco interrogatum, ait, ut divideret, quæ separari nequirent; sed ut sua confessione argueretur, unum esse rei publicæ corpus, atque unius animo regendum. » Addidit *laudem de Augusto*, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quæque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret, Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.

7. *Unum esse reipublicæ corpus.* Malo *rempublicam, atque unius animo regendam.* Sic Hist., 1, 30. *Si respublica et senatus et populus vana nomina sunt.* 2, 32. *Senatumque et populum, nunquam obscura nomina.*

offensionis non satis dissimulatæ eminebant. Prætermissionis hujus omissæ plura exempla sunt apud nostrum. Ern.

Laudem de Augusto. Liberiorem usum particulæ *de* sæpe notavi in optimis auctoribus latinitatis. Fortasse ergo nihil opus Mureti correct. *Addidit de laudibus Aug.* Et magis in promptu erat *laudem Augusti*; ut natum esset mendum ex male repetita finali syllaba *de*.

Plus quam civilia. Calpurnius Flaccus Declam. 6. *Sceleratis ingeniis et plus quam civilia cupientibus non dominari instar servitutis est.* Lips.

Pollionisque patris ferociam. Sic vocabatur in aula, quod, submittentibus sese, inservientibusque aliis, paullo plus libertatis et juris sui retineret, qui, puero etiam tum privatoque Octavio, magnis legionibus imperitarat, dein adjutor partium, se judicaret commeruisse, ut regni, cujus condendi non leve momentum fuerat, particeps magis quam *famulus ultimus esset*, ut canit Ennius. Nec dubito, quin *ferociam* interpretati sint aulæ interioris ministri, quod Timagenem, cum Augustus desiisset, amare cœpit et contubernalem habuit, postquam ei domo sua ille interdixerat, ut tradit Seneca de Ira, 3, 23, quod Æsernini nepotis sui casum, qui in ludo Trojæ crus fregerat, in curia graviter invidioseque questus est, teste Sueton. c. 43 (omnis enim ea invidia in principem, qui ludum ediderat, redundabat): quod bello Actiaco, cum tota Italia conjuraret pro Cæsare, unus quievit, et se discrimini subtraxit, se prædam victoris fore præfatus, ut est apud Velleium, 2, 86. Hunc ego Velleium Asinii Galli clientem fuisse suspicor, atque ejus gratiæ non modo laudes patris, quas etiam cap. 36 et 62, et 73 et 76 decantat, sed etiam L. Munatii Planci, quæ cap. 63, et 67, et 74, et 76, et 83, et 95 exstant, vituperia dedisse. Nam inter Plancum et Asinium simultates intercessisse discimus ex præfatione Plinii,

XIII. Post quæ L. Arruntius, haud multum discrepans a Galli oratione, perinde offendit: quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira; sed divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat. Quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum suffecturi abnuerent, aut impares vellent, vel iidem possent cuperentque: « M. Le-

ubi narrat non illepide Plancum, *cum diceretur Asinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset,* dixisse, *cum mortuis non nisi larvas luctari:* atque eo dicto sic repercussisse illas orationes, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur. Unde colligere est, quantum fidei sit habendum convivæ apud dominum de inimico illius hæreditario male opinanti. Blandum fuisse aptumque auribus regiæ (nam ut supparasitaretur, fortunæ illius alienum erat) et inventum Augusti cognomen et Seneca in Præf. Quæst. Nat. 4, ostendunt. Virum tamen οὐ τυχόντα et res aliæ gestæ et conditum Lugdunum, oratorem summum epistolæ in decimo Ciceronis Familiarium evincunt. Denique, quo de incepimus, inter Asinium et Munatium hoc interfuisse puto, quod inter Labeonem Antistium et Ateium Capitonem: quæque Asinii *ferocia* dicta est, eandem Labeonis *insaniam* vocatam fuisse. Dio, 1, 57. Ἀσίνιος δὲ Γάλλος παῤῥησίᾳ ἀεί ποτε πατρῴᾳ καὶ ὑπὲρ τὸ συμφέρον αὐτῷ χρήσασθαι. Gron. Ad partem hujus animadversionis pro Velleio suo accurate disputat optimus Ruhnken. 2, 63.

Arruntium divitem. Est is, qui consul anno urbis 732 artes in eo doctrinamque suspicit. Non vane, quoniam ex Plinii Indice, lib. 3 et 5, inter scriptores censitus illustres fuit. Et scripsit, nisi fallor, Geographica. Divitias etiam commemorat: quas Seneca non fuisse ostendit a bona arte, si de eo quidem sensit De Benef., 6, 38. Sed alium ab isto, opinor, intelligit Seneca: qui sub Caio magnus, et qui ante præco. Josephum vide Antiq. 19, 1, sub fin. Lips. Ryckius intelligi potius vult eum, qui a. U. 759 consul fuit, et, auctore Dione 58, 27, a. U. 790 se interfecit ipse: filiumque putat illius fuisse. Verum videtur. Ern. Est etiam. Diligenter id docuit Brummerus de Lege Cinc., p. 84.

Divitem, promptum. Cicero ad Famil. 2, 18. *Tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos.* Lib. 1, 2, 14, in Verrem: *Heraclium hominem esse majorem natu, non promptissimum.* Lib. 4, 17. *C. Cacurii, promptissimi hominis et experientis.* Justinus, 22, 2, extr. *ex plebe quoque locupletissimos et promptissimos interficit.* Agric. 3. *Promptissimus quisque sævitia principis interciderunt.* Gron. Conf. Ruhnken. ad Velleii 2, 75.

M. Lepidum dixerat. Sic restituere ex Ruperti admonitione et demonstratione I. F. Gronovius et Ryckius, cum ita esset etiam in antiquioribus edd. ante Lipsium. Pichena et Freinsh. dederant *Manius Lep.*

pidum dixerat capacem, sed aspernantem; Gallum Asinium avidum, et minorem; L. Arruntium non indignum, et, si casus daretur, ausurum. » De prioribus consentitur : pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere : omnesque, præter Lepidum, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Etiam Q. Haterius et Mamercus Scaurus suspicacem animum perstrinxere : Haterius, cum dixisset, « Quousque patieris, Cæsar, non adesse caput rei publicæ? » Scaurus,

e Lipsii conjectura ad Ann. 3, 35, ubi vide. Ern. Conf. Burm. ad Velleii 2, 114.

Avidum, et minorem. Mureto legenti, *avidum, sed minorem*, Pichena assentitur. Vid. ad 5, 3. Ego *at* rescripserim. Ern. Dedit hoc Brot. Animadvertat hic nobis studiosus eloquentiæ, quanta arte sine ulla affectatione variatæ sint locutiones, *suffecturi abn.* et *impares vellent.*

Si casus daretur. Nempe a fortuna. Quemadmodum H. 1, 65. *Quoties fortuna contra daret.* Puta casum. A Sallustio in Jug. 56, *fortunam illis præclari facinoris casum dare.* Vide ad Livium 30, 30. Noster 11, 9, *casus Mithridati datus est occupandi Armeniam.* Lib. 13, 36, *bene gerendæ rei casum offerri.* Quorsum ergo, *si casus daret, vi ausurum?* Gron. Sic Aurelius, qui passim vapulat a Gronovio, ne nominatus quidem.

Circumventi sunt. Exquisite pro oppressi, ad perniciem redacti. Ern. *Omnes* dicit de tribus illis, quorum mortes enarrat 3, 15; 6, 23, 48, quibus tamen locis accurate lectis mirabere, cur tam affirmate loquatur de omnibus.

Non adesse caput r. p. Sententiam potius in hoc loco expedimus, quam verba. Lectio quam posui, a Ferreto est, qui adseverat, in Mediceo Cod. sic scriptum. Et cur ambigimus? Sententia hercle percommoda est : offensum Tiberium, pro reliqua sua modestia, quod *caput rei publ.* nominaretur, qui tanquam veteri libertate unus vellet esse e multis. Nec absurde legeris e vulgatis, *non esse aput te rei p.?* Lips. Dicit hoc quidem Ferretus, sed aliud Pichena testatur, ibi legi corrupte; *non adesse caput te rei publicæ;* quemadmodum vulgabatur olim, antequam Rhenanus conjiceret, quod nunc habetur. Cui omnino acquiescendum censeo, et illud, *non esse caput te*, juxta miserum ac supervacaneum judico ac Vertranii, *non esse apud te caput.* Æque περίεργος Muretus cum suo, *desse caput rei publ.*, quæ sit vetus scriptura, pro *deesse.* Quid quæso opus? aut quid minus est *non adest*, quam *deest?* Immo nescio quid gravius et suavius in isto. Cicero Bruto, 54. *Intelligens dicendi existimator*, etc. Tiberius dici sibi putavit : Quousque sines rem publ. quasi truncam et absque capite, quod scis esse atque esse

quia dixerat, « spem esse ex eo, non irritas fore senatus preces, quod relationi consulum jure tribuniciæ potestatis non intercessisset. » In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentio tramisit : fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paullatim, non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret. Constat Haterium, cum deprecandi caussa palatium introisset, ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum, quia Tiberius, casu an manibus ejus impeditus, prociderat : neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur.

XIV. Multa patrum et in Augustam adulatio. Alii

debere Cæsarem, neque ex illis, qui nomen hoc ferunt, alium quam temetipsum esse posse, nisi bellum civile volumus existere? Nolebat autem sciri, Cæsarem rei publ. caput esse, quippe *ignota etiam tum Cæsarum potestate*, quam ipse *onerosam servitutem* vocabat, et principem *servire senatui oportere* dicebat. Nolebat suspicari homines, si Cæsar caput rerum foret, spe successionis in imperio id se nomen admisisse. Invitus audiebat per ipsum stare, quo minus rem publ. quæcunque pars, nedum caput, deficeret. Nolebat notescere, alium principem ac rei publ. caput esse non posse, qui *modestiam* loquebatur et malle privatum pati se simulabat, quum jam eo processisset et milite et provinciis occupatis, ut privatus vivere non quiret. Præterea illud, *quousque*, impatientiam quandam et familiaritatem præfert multum rogari et rogando fatigari volentis, nec nisi tardissime exorandum sese præbituri mimum agenti contrariam. Gron. Rhenanus in contextu servavit lectionem Cod. MS. supra indicatam : sed Aldus, qui alias sequitur Rhenanum, dedit, *non adesse apud te rem publicam* : sive data opera, et de conjectura, sive casu. Ern. Quum dicit, *quousque pat.*, rem in unius sitam Tiberii potestate significat. Et *caput rei publ.*, *imperii*, senatus dictus vulgo, ut Hist. 1, 84, et tractatur ita sæpe, nomine saltem, a posterioribus principibus. — Cf. Ferrarii Elect. 1, 10, ubi ostendit male affectum Tib. quod videret simulationem suam detegi, et artes suas perire.

Prociderat. Ceciderat supinus. Suet., 27, ubi rem attingit sine consularis nomine, quum istam *expostulationem singulorum* accuratius narrasset, c. 24.

Ejusque curatissimis. Ita correxi : vulgo, *et usque*. Lips.

parentem, alii *matrem patriæ* appellandam; plerique, ut nomini Cæsaris adscriberetur, *Juliæ filius*, censebant. Ille, « moderandos feminarum honores, dictitans, eademque se temperantia usurum in iis, quæ sibi tribuerentur : » ceterum anxius invidia, et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est; aramque adoptionis et alia hujuscemodi prohibuit. At Germanico Cæsari procon-

Parentem... patriæ. Conjungenda sunt hæc, non, ut plures faciunt, *parens κατ' ἐξοχὴν* sic intell., quasi sola dici meruerit parens, quæ Tiberium peperisset. In proprio et magis genuino nomine *matris* major est affectus caritatis. Cf. Dio 57, 12; Suet., c. 50.

Ne lictorem quidem. Quo tamen vulgo feminæ principes usæ, Vestalium exemplo. Claudii quidem Agrippina, etiam duobus. Tacit., 13, 2. Lips.

Aramque adoptionis. Ludos hic facit vir doctus, equite non plaudente. Damnat lectionem veterem, et multis verbis suadet hanc novam, *æraque adoptionis*, quasi Tiberius, inquit, in æs incidi adoptionem publiceque proponi vetuerit. Mi homo, hodie nihil credo tibi. Nam notus mihi mos romanus, quo receptum, ut propagandæ memoriæ caussa, ara aut templum statueretur virtuti reique, quam cuperent laudatam. Noster 3, 57. Ita apud eundem, cum Tiberius publico judicio ultus esset Germanici mortem : *Cæcina Severus censuit aram Ultioni*, 3, 18. Et ob amicitiam cum Sejano, 4, 74. Patres *aram Clementiæ*, *aram Amicitiæ*, *effigiesque circum Cæsaris et Sejani censuere*. Et 15, 23, post natam ex Poppæa prolem, *supplicationes a senatu decretæ*, *et templum Fecunditati*. Eodem traho Suetonii illud in Calig. 8, præter interpretum mentem : *Addit etiam pro argumento*, *aras ibi ostendi inscriptas*, *ob Agrippinæ puerperium*. Errat idem ille, dum censet, de Tiberii adoptione hic agi : cum Tacitus intellegat de Liviæ. Nam Livia testamento adoptata in familiam Juliam nomenque Augustæ : et novo exemplo, conjux facta filia mariti. Ideo dum Liviæ adulantur, decreta ara Adoptioni. Passim in lapidibus et numis, *divi filia* lego. Ut in marmore hispaniensi :

IVLIÆ. AVG.
DIVI. F. MATRI.
TI. CÆSARIS. AVG. PRINCIPIS. ET. CONSERVATORIS.
ET. DRVSI. GERMANICI.
M. CORNELIVS. PROCVLVS.
PONTIFEX. CÆSARUM.

Numo æreo, S. P. Q. R. DIVÆ. IVLIÆ. AVGVSTI. FIL. carpenti forma tracti a duobus mulis. Lips. Cf. Ruhnken. ad Velleium 2, 75, p. 322.

Proconsulare imperium. Quodne ante habebat ? Nam Dio 56, 25, diserte proconsulare imperium illi tribuit, anno 764, id est, triennio ante. Sed intelligit, credo, proconsulare imperium perpetuum : quod inter titulos principatus. In oratione Alexandri apud Lamprid. 8. *Gra-*

sulare imperium petivit: missique legati, qui deferrent, simul mœstitiam ejus ob excessum Augusti solarentur: quo minus idem pro Druso postularetur, ea caussa, quod designatus consul Drusus præsensque erat. Candidatos prætoræ duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum: et, hortante senatu, ut augeret, jurejurando obstrinxit se, non excessurum.

XV. Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. Neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore: et senatus, largitionibus ac precibus sordidis exsolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. Inter quæ tribuni plebei petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Au-

tias vobis P. C. de Cæsareo nomine, de pontificatu max., de trib. potestate, et proconsulari imperio, quæ omnia novo exemplo uno die in me contulistis. Ab eadem mente Nero 12, 41, curante Agrippina, *proconsulare imperium extra urbem habet, et princeps juventutis appellatur.* Exemplum ab Augusto, cui decretum perpetuum proconsulare imperium Dio tradit 53, 32. Lips.

Candidatos prætoræ duodecim. Prætorum origo, progressus, augmentum, satis ambigue tradita etiam ab iis, quibus hæc una cura fuit. Ego breviter rem expedivi et ad historiæ fidem; quæ vide, si vis, in Excurs. *D.* Lips.

Numerum ab Augusto. Diffuse magis Velleius 2, 124. Lips. Mox malim *jurejur. obstrinxit se, non exc.* Ern.

Tum primum comitia. Comitiorum res, amissa libertate, varie habita: ac vide omnino in Excurs. quæ huc faciunt, litt. *E.* Lips. *Summota e Foro seditio, ambitio Campo*, ait Tiberii adulator Velleius 2, 126. — *Arntzenius fil. in Misc., c. 11, p. 118, putat, non omnem comitiorum rationem ad patres esse translatam, sed tantum jus magg. in comitiis creandorum.

Ambitu desig. Id est, ut nec opus quidem haberent in senatu ambire, sufficeretque sola principis commendatio. Lips.

Ludos, qui de nomine Augusti. Verum est. Nam et in kalend. veteri hodieque legimus, IV eid. octob. AVGVST., id est, augustalia. Eorum ludorum originem reperio, anno 735, cum ex græciensi et sicula peregrinatione redux Augustus passus est

gusti, fastis additi, Augustales vocarentur. Sed decreta pecunia ex ærario, utque per circum triumphali veste

inter alios honores, Τύχῃ τε ἐπαναγάγῃ ζωμὸν ἱδρυθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν ἣν ἀφίξοιτο, ἐν τε ταῖς ἱερομηνίαις ἀριθμεῖσθαι, καὶ Αὐγουστάλια ὀνομάζεσθαι. Dio 54, 10. Ludique eo die ex decreto senatus instituti, octennio posterius, Ælio Tuberone, Paullo Fabio coss. Idem scriptor, c. 34. Τὰ δὲ δὴ Αὐγουστάλια, ἃ καὶ ἐν ἄγοντες, τότε πρῶτον ἐκ δόγματος ἐτελέσθη. At Suidæ v. Αὔγουστος. Augustale etiam locus est, in quo præfecti regionum et cultores Augusti saltabant, idibus octobris. Video hominem alludere velle ad hos ludos, sed ita, ut eum plane non capiam. Αὐγουστεῖον, inquit, ἐκλήθη, διότι τῇ τε τοῦ Ὀκτωβρίου μηνὸς οἱ ῥεγιονάρχαι καὶ σεβαστοφόροι ἐχόρευον ἐν τῷ Αὐγουστείῳ, οἷον ἐν τῷ ὁμοπωλίῳ, εἰς τιμὴν Τιβερίου. Scies tamen et alios ludos fuisse, die natali Augusti, qui pariter celebrantur in Circo, notatos Fastis, IX kal. octob. N. D. AVGVSTI. NATALIS. LVD. CIRC. Quorum mentio est Dioni l. c., in actis anni 743, et Suetonio, nisi fallor, c. 57. *Equites romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.* Quos intellegit et Ovidius de Ponto 4, 9, 115. Sed eos cave cum Augustalibus confundas. Lips. Suidæ locus, quamquam obscurior, ludicra memorat in Tiberii, non Octaviani honorem instituta, ut contra Lips. recte demonstravit Contarenus V. L., c. 3. Edd.

Utque per circum. Tribuni, mortuo Augusto, præfecti his ludis, ait Dio 56, 46, quasi sacri: ut id quoque cedere honori Augusti. Ludi autem ipsi, circenses, id est, curules, et, si forte, venatio. Quod vestem triumphalem petunt tribuni: faciunt ad exemplum consulum et prætorum, quibus in circo ludos præbentibus jus togæ pictæ. Juvenal. 11, 193. Quo versu hæsi aliquando, num pro *prædo* leg. *præda*, quia magna scilicet pecuniæ vis effundenda prætori in aurigas et equos, iisque ipse quasi præda. Conf. idem 10, 37. Nec alius sententiæ illud Cornelii nostri 12, 41, ut dicam in loco. Lips. Justinus, 16, 5, de Clearcho: *Veste purpurea et cothurnis regum tragicorum et aurea corona utebatur.* Conf. Dio 56 extremo: Τά τε Αὐγουστάλια, etc. At vir nobilis apud Tacitum corrigit, *triumphali veste veheretur.* Nimirum eam his verbis sententiam tribuit, quæ requirit ex superioribus intelligi τὸ *petivere*: tanquam sit integrum, *iidem tribuni petivere, ut per circum triumphali veste veherentur*: sic putat duplex eorum desiderium exponi, alterum de veste, alterum de curru, quod quia mox negatum dicatur, concessum illud apparere. Me vero a vetere scriptura tenenda nondum deterret hæc ratio. Neque enim petitionem tribunorum, sed decretum senatus aut responsum ad petitionem ea verba continere censeo: sive illi aperte utrumque postularint, sive jus edendorum ludorum complectebatur hos honores, ut etiamsi nominatim mentio de illis facta non esset, eos fuerint usurpaturi, nisi senatus de altero vetuisset. Suppleo autem, quod compendifecit Tacitus, vel ex præcedentibus, vel ex subsequentibus. Satis enim commode intelliges, quasi dictum

uterentur : curru vehi haud permissum. Mox celebratio annua ad prætorem translata, cui inter cives et peregrinos jurisdictio evenisset.

esset : *decreta pecunia ex ærario simulque decretum, ut per circum triumphali veste uterentur.* Nec minus commode : *utque per circum triumphali veste uterentur, permissum; curru vehi haud permissum.* Quale illud, 13, 56. *Deesse nobis terra, in qua vivamus; in qua moriamur, non potest.* Ubi perinde dissimulatum τὸ *potest*, ut illic τὸ *permissum*. Gron. Durum mihi videtur : *ut per circum triumphali veste uterentur.* Nam si capias *in circo*, dum ludis præsiderent, vix credo *per* sic dici de loco de re transitura, ut cœna, die, ludis, recte dici constat. Intelligere, dum per circum irent, id ipsum quoque displicet. Venit in mentem suspicari, locum mutasse verba, et sic transponenda esse : *per circum curru vehi haud permissum*, sc. ad locum, quo escenderet ad quadrigas mittendas, et inde ad foros publicos. Livius 45, 1. *Quadrigis missis, consul currum conscendit, et cum per circum reveheretur ad foros publicos, etc.* Adde Plinium H. N., 34, 5. Ern. Mira crisis. Dubium esse nequit, *per C.* esse *in circo*, quatenus certus locus circi non significatur. *Bella per Emathios*, etc. Plinii verba nihil efficiunt. Dio l. c. Καὶ γὰρ τῇ ἑσθῆτι τῇ ἱππικῇ ἐν τῇ Ἱπποδρομίᾳ ἐχρήσαντο, οὐ μέντοι καὶ τοῦ ἅρματος ἐπέβησαν. Ceterum prior Gronovii ratio unice vera est : *decretum ut... uterentur.* Apte comparavit Wopkens. Annal. 14, 12; Liv. 40, 44, med.

Curru vehi haud permissum. Ne prorsus æquarentur potestati majori. De curru prætorum in circo Juv. 10, 36; Plin., l. c. De consulum, Plinius alter in Laudatione Trajani c. 92 extr. Scripsique de his uberius peculiari de spectaculis libro, cui Saturnalia index. Lips.

Celebratio annuum. MS. Beroaldus, Rhenanus habent *annum*, quod Aldus correxit *annuum*, secutus conjecturam Beroaldi, volebatque servatum J. Gronov. qui tamen retinuit in contextu *annua*, quod editiones recentiores obtinet. Id venit in textum, ut opinor, sedulitate correctoris vel operarum, cum in *annuum* vitium esse putarent. Si tum primum instituti fuissent ludi augustales, *annua* probarem : nunc friget hoc epitheton. Itaque veterem lectionem restitui. Prætori peregrino anni cujusque cura ludorum mandata. Ern. Ernestium secuti sunt Allem. et Brot. Ferri posset, si legeretur *annuum magistratum cui, etc.* Nunc magistratus nomine addito frigidum et absurdum fit adjectivum; idque sibi ipsius sententiæ vi asciscit *celebratio*. J. Gron. et qui huic paruerunt, errabant in eo, quod ludos illos jam ante hoc decretum senatus statos et quotannis celebratos putabant. Id autem non liquet ex Dione, tum locis duobus illis, tam 55, 6; 56, 29, et 46 seq. Sed ut illud pro certo sumam, quotannis celebratos esse (credibile facit adulatio sæculi), ex uno tamen horum locorum plane apparet, a. U. 743, a senatu rem nondum constitutam vel ordinatam fuisse in singulos annos. Neque, si id factum esset, fieri

XVI. Hic rerum urbanarum status erat, cum pannonicas legiones seditio incessit; nullis novis caussis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, et ex civili bello spem præmiorum ostendebat. Castris æstivis tres simul legiones habebantur, præsidente Junio Blæso: qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis, ob justitium aut gaudium intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermoni-

poterat, ut nunc, quasi nihil actum esset, tribuni pl. operam suam ac sumptus offerrent, aut de modo celebrandi ulla consultatio apud senatum oriretur. Alia quædam, quæ nostræ lectioni firmandæ fuerint, ad cap. 54, disputabo adversus Lipsium, qui hic mecum sentit in notula primæ edit. adscripta. Jam una restat dubitatio, a Freinshemio mota. Putat is, infectum verbum *vocarentur* ex obliqua oratione pendere, ne Augustalia tum demum in Fastos relata nomenque adepta videantur; petitionem ejus generis modum tribunorum egressuram, itaque eos dicere, *ludos qui.... Augustales vocantur.* At grammatica hæc ratio, apud Cic. certissima, multum cautionis habet in Tacito, quod claris exemplis alibi doceo. H. l. certe, si illud voluisset, non tanta ambage, sed simpliciter *Augustales* scripturus fuisset. Neque video, quæ lex aut mos magistratum, qui jus relationis haberet, ab illa re addenda deterrere potuerit. At Dio repugnat, aiunt. Nondum video. At licet repugnet is, qui Augustalium nomine tam parum accurate utitur, ut quemvis prope diem, in Augusti honorem celebratum, ita appellet. Illum aliquid turbare in hac re, jam Fogginius sensit, l. c., p. 133, et antea Reimarus, p. 827.

Ostendebat. Arguta brevitas: *mutatio principatus spem lucri ostendebat ex bello civ.* Mutatio enim illa erat prima caussa turbarum, *quæ occasionem lucri ostentabant.* Postremum hoc verbum Freinsh. in Indice Flori malebat potius quam *ostendebat.* Sane alterum Tacito frequentius est; sed ea una ratio non satis valet. — * Wopkens. stat pro vulg.

Justitium aut gaudium. Justitium, ob mortem Augusti indictum, et publicus dolor et cessatio: gaudium, ob initia Tiberii. Et tunc quoque feriæ in natali imperii. Lips. Acutissime monuit Muretus, sed nulli Intpp. auditus, verba *aut g.* ex priore vocabulo perperam iterato nata, vel adjecta esse ab aliquo, qui, justitium quid esset, parum recte teneret. Fuerunt enim feriæ, gaudentibus juxta et mærentibus indictæ ex more, sicut hodie publici luctus in morte principum. Secutam mox aut conjunctam cum justitio fuisse publicam gratulationem seu lætitiam, nusquam lego; et ineptum videtur *gaudium* de præsidis affectu privato. Ursinus malebat *obviæ stitiam aut g.* Etiam ineptius. Licamne quod sentio? Mihi hoc totum grossam olet.

bus præbere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem adspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein

Dux olim.... operarum. In theatro, sicut in circo, suæ partes et factiones: distracto videlicet favore plebis in hunc histrionem, in illum. Eæ non raro in tumultum exibant, imo pugnam, imo cædem. Dux his factionibus et signifer, levissimus quisque e plebe: cui lingua manusque ad injurias et contumelias promptæ. Ab uno exemplo disce rem totam, apud Suetonium Nerone, c. 26. Operæ autem theatrales Tacito: ut Ciceroni, operæ clodianæ: et in lapide prisco, OPERÆ VETERES A SCENA. Plinio etiam operæ in circo, sed a me correcto, 8, 6. *L. Piso inductos duntaxat* (elephantos intelligit) *in circum, atque ut contemptus eorum increscerent, ab operariis hastas præpilatas habentibus per circum totum actos*, ubi, *ab operis* scribendum esse confirmo. LIPS. Eorum, qui operam suam locabant ad fabulas agendas, interpretatur Muretus. Video, quid virum magnum deceperit. Sic enim Sueton., Aug., c. 43: *Ad scenicas quoque et gladiatorias operas etiam equitibus romanis aliquando usus est.* Conf. c. 45, et Ner. 12. Itaque Salinerius quoque Lipsio cornua obvertens, *ducem theatralium operarum* facit, qui regit gregem histrionum: qualis, qui in Terentii Hecyræ et Heautontimorumeni prologo loquitur, eum sumere sibi suoque gregi comœdias recitandas, quas alii composuerunt: et addiscendo multa, multa recitando, non ineptum ad turbas conciendas evadere. At non de his Tacitus, cui *operæ theatrales* sunt in spectatoribus, qui plaudebant ipsi primi, et fautores plausoresque histrionibus comparabant. Hi sunt, quos Plautus egregie describit in prologo Amphitruonis, v. 65 sqq. Ubi habes omnem operam, quam præstabant hæ operæ. Eodem pertinet infra, v. 82 sqq. Nimirum *operæ theatrales* sunt *fautores delegati.* Nam quod ex Cœlio Rhodig., 5, 8, nescio quod nubilum Plauti monent illustrari, et Cœlius et ipsi tenebris circumfusi sunt. Plinius, Epist. 7, 24. *At hercule clarissimi homines in honorem Quadratillæ* (*pudet me dixisse honorem*) *per adulationis officium in theatrum cursitabant, exsultabant, plaudebant, mirabantur: ac deinde singulos gestus dominæ cum canticis reddebant: qui nunc exiguissima legata theatralis operæ corollarium accipient ab herede, qui non spectabat.* Ubi longe devius a vero doctissimus Augustus Buchnerus. Corrigit se, inquit, quod id, quod Quadratillæ mimi præsente domina faciebant, non honor esset, sed adulatio turpis. Immo, corrigit, quod eos, qui Quadratillæ pantomimis studuerant, id in honorem dominæ fecisse dixerat. Scribendum: (*pudet me dixisse honorem, per adulationis officium*) ut intelligas ad posterius membrum, *immo*, vel *volui dicere.* Nisi simplicius est (*pudet me dixisse honorem; quod est adulationis officium*) *in theatrum.* Gruterus hic aliquid esse scabri vidit. *Cursitabant* (pergit) quasi cupidi eam videndi. Non eam, sed pantomimos ejus. *Exsultabant* (addit)

gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus histrionali studio doctus. Is imperitos animos, et, quænam post Augustum militiæ conditio, ambigentes, impellere paullatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vespe-

quasi exhilarati ejus aspectu. Nequaquam, sed simulantes ita se permoveri ac pertentari artificio saltantium, ut decoris obliti quiescere ac locum tenere segnes non possunt. *Plaudebant*, *mirabantur* (subnectit) ut gratulabundi et qui magnifacerent ipsius dotes. Non ipsius, sed pantomimorum : neque ex animo : sed ut plaudendi principium esset, utque haberent, quod imputarent dominæ. Volebant enim suos in hoc genere laudari. Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ, §. 28. Denique, Sed eo non contenti, ait, *singulos etiam gestus dominæ*, et eos *cum canticis reddebant*, id est, imitabantur et exprimebant, accinentes saltando aliquid, quo dominæ laudes attollerent. Nulla hic sublatio laudum aut imitatio gestuum dominæ : sed cum Numidia præsens in theatro non fuisset, hi clientes ad patronam domum venientes narrabant εὐημερήματα pantomimorum ejus, ut scenam tenuissent, quos plausus meruissent : quin etiam addebant, quæ cantica ab tragœdo pronuntiata quibus gestibus effinxissent, ipsique eos repræsentabant saltando, in quibus placuerant maxime : nulla alia de caussa, quam ut Numidia talibus mancipiis aut libertis gauderet, ipsi cum viva cœnarent, in mortuæ tabulis angusto loco hærerent. Eodem pertinet, quod Suetonius refert de Ner., c. 20. Denique *duces theatralium operarum* sunt, quos idem Suetonius appellat in Tib., c. 37, *capita factionum*. Ad has etiam operas pertinere videntur tesseræ in reliquiis antiquariorum, inscriptæ *SP.* vel *SPECT.* vel *SPECTAVIT*, in quibus laborat Laur. Pignorius. Vult autem conductos quosdam gladiatores olim rude donatos, qui spectarent : et nomina servilia iisdem *Anthus, Faustus, Ingenuus, Olympus, Repentinus, Hermes, Felix, Philodamus, Philargurus* esse illorum, a quibus, cui tessera obtigisset, pecuniam posceret; aut etiam ipsorum rudiariorum, qui spectassent : denique si nihil aliud, statuendum, hujusmodi tesseras in usu fuisse, ut spectatores inde aliquid lucrarentur. Suspicabar tesseras illas fuisse inter fastidia divitum, qui a clientibus suis frequentari spectaculum, sive ab ipsis datum, sive ad illud editori histriones, equos et aurigas, homines ad ferrum præbuissent, quibus plaudendi auctores utique deesse nollent, sua referre putarent : nomina autem esse custodum appositorum ad observandum, qui præsto fuissent, qui non : atque eos, qui officium fecissent, pro testimonio tesseris acceptis a custodibus istis et ad regem suum dispensatoremve ejus allatis cœnulam vel sportulam vel aliud quid præmioli meruisse. Gron.

Histrionali studio. Id est, studio, quod solitus erat præstare histrionibus in comparandis factionibus plausorum. Gron.

4.

ram die, et, dilapsis melioribus, deterrimum quemque congregare.

XVII. Postremo, promptis jam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat : « Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent : ne dimissis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum reten-

Tricena aut quadragena. Atqui vicena, ex lege, debebant tantum : et tunc *veterani* dicebantur. Suidas : Βετεράνος παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. Ἐπὶ εἰκοσαετίαν ἢ οὕτως ἐθούλευον. Quod verum est : sed sub principibus, ut hic dicitur, parum servatum. Lips.

Apud vexillum retentos. Attende, qui historiam principum legis. Apud antiquos simplex et una honesta missio : ab Augusti ævo facta duplex : Exauctoratio et Missio. Tacitus auctor sic distinguendi, infra, c. 36. Exauctorationis ea vis, ut (exempli caussa) legio aliqua sacramento solveretur, signis aquilaque ademptis : non tamen dimitteretur protenus, sed seorsum in exercitu ageret sub uno aliquo vexillo, donec præmia solverentur et agri. Interea immunis a labore, excubiis, vigiliis et munere omni castrensi esset : excepta pugna in hostem. At plenæ missionis effectus, ut statim ab exercitu castrisque domum aut in colonias irent præmiis acceptis. Cui bono hoc inventum? inquies. Bono fisci. Vid. Sueton., Tib., c. 48. Præmia enim, de quibus mox dicam, mortuis non debebantur : sicut nec cum caussa missis, ante stipendia completa. Ideo Caligula (Suetonio narrante, c. 44) *in exercitu recensendo plerisque centurionum maturis jam, et nonnullis ante paucissimos quam consummaturi essent dies, primos pilos ademit, caussatus senium cujusque et imbecillitatem.* Capis ergo nunc, cur hic de tricenis quadragenisque stipendiis querela : et infra totiens mentio retentionis apud vexillum, fons pannonicæ et germanicæ seditionis. Lips. Jac. Gronovius e vestigiis MS. conjicit legendum *tendentes.* Sed Beroaldum verum vidisse puto, cum *retentos* dedit. Est enim verbum proprium in hac re. Cf. c. 36. Mox etiam hoc capite *sub vexillo teneri.* Ens.

Alio vocabulo. Quomodo? veterani enim proprie dicebantur, non legionarii. Ita 3, 21. *Vexillum veteranorum, non plus quingenti.* Conf. H., 2, 11. Nam et prætoriani post 16 annos habebantur sub vexillo. Dicti etiam emeriti. Glossæ priscæ.

tos, alio vocabulo eosdem labores perferre : ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi, per nomen agrorum, uligines paludum vel inculta montium accipiant. Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam : denis in diem assibus animam

emeritus, ἀπολειτουργήσας ἢ ἀποστρατευσάμενος. Iterumque *emeritis, ἴντιμος κατὰ στρατιωτικοὺς νόμους.* Significat *immunes* eos fuisse et operum vacuos. Dicti sæpe item vexillarii : ut mox, *vexillarii discordium legionum* : in Hist. libris, *vexillarii* XIII, XV legionum, etc. De iisdem laboribus, quod addunt, mentiuntur. Lips. Postremum vocabulum huc unice pertinere, contextus arguit.

Ac si quis tot casus. Nonne melius? *si qui tot casus vitæ superaverint.* Lips. Cæsar B. G., 6, 19, *uter eorum vita superarit, ad eum pars utriusque cum fructibus superiorum temporum pervenit.* Virgilius, Æn. 11, 244. *Atque iter emensi casus superavimus omnes.* Gron. *Vita superare* exacte respondet nostro *überleben* (gallice *survivre*). Nec propter seq. plurale *accipiant* opus est Lipsii conjectura, quum *si quis* hanc commutationem libenter ferat. —* Crus., Probab. crit., p. 30, legi jubet : *si quis tot casibus vita superaverit*; vel *si queis tot casibus. v. sup.*

Uligines paludum, vel inculta. Id quidem contra leges militares. Nam in Flacco Siculo lego, p. 17. *Silvas et loca aspera in assignationem non venisse, siquid amari vel incerti soli esset, id assignatione non datum : sed militi veteranoque culturam assignatam.* Querela autem consimilis apud sallustianum Lepidum, frag. Hist., lib. 1. *Egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes ac silvas, contumeliam atque invidiam suam, præmia penes alios, intellegent.* Illudit enim atque imminuit sullanas agrorum divisiones, quod pleraque palustria assignata militibus aut inculta. Lips.

Denis in diem assibus. Gordius, ut multis visum, hic nodus : nec ego tamen Alexander. Solvi enim, non abrupi : et Excurs. nostros adi in *F.* Lips. Alciatus, hunc ostendere locum putavit, denarium decem æris esse. Quod rejicit a primo Ferretus, tanquam nihil dici potuerit alienius : planissimum enim et hinc fieri pluris esse *denarium* quam *denos æris*, Pliniumque et Volusium id confirmare; eoque ipse mirari, cur idem Plinius, 33, 3, *in militari stipendio semper denarium pro decem assibus datum* scribat. Mox et Suetonium ait non congruere cum Tacito : apud eum, c. 25, contendere seditiosos, *ut stipendio prætorianis æquarentur*; petisse igitur binos. Inde ut in concordiam redigat Tacitum et Suetonium, repetit, quod spreverat, denarium esse decem asses, binos petisse militem, et quod dicitur, *ut singulos denarios mererent*, explicat, singulos, vel alios decem asses, præter illos, quibus queruntur *animam et corpus æstimari* : tum, *ut denarius diurnum stipendium foret*, supra denos videlicet ordinarios asses. Vertranius notat pro ea, quæ fuerit veteris disciplinæ

et corpus æstimari. Hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum et vacationes munerum redimi. At hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox aut sterilem pacem sempiterna. Nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur: ut singulos denarios mererent; sextusdecimus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium

observatio, denarii æstimationis auctæ nullum milites commodum sensisse, quamvis in paganorum commercio denarius (in quo vetustiores denos æreos asses constituerant) sexdecim asses valuerit, Vitruvio, Plinio et Mæciano testibus. Lipsius contra Ferretum disputat: ubi quod de denario duodecim assium explosum satis. Reprehendit etiam, quod posuerat Ferretus ex Suetonio, seditiosos æquari voluisse prætorianis: de germanico enim id dici, non de pannonico exercitu: sed ipse deceptus est prava lectione verborum Suetonii, quæ Torrentius correxit. Nec vero necesse est Suetonium et Tacitum idem per omnia dicere: tradidit enim uterque, quod a suis auctoribus accepit. Et forte fuerunt aliqui primo fervore tumultus, qui clamarent æquari omnes opportere; plures ad spem profici putarunt, si dimidio contenti essent, et sic omnium nomine in postulatis ad principem editum. Hoc secutus est Tacitus curatius rem narrans; illud Suetonius verbo periculum ex insolentia militum perstringens. Recte vero Ponzani comes: cum decem asses æreos haberent, exposcebant denarium argenteum, qui tunc sedecim assibus permutabatur. Decem illi asses nostræ pecuniæ sunt quatuor oboli aut stuferi minus duobus chalcis aut deutis: sive malis, tres stuferi et albus vel blanca. Hæc Julii Cæsaris largitio. Antea, et quidem a bello punico secundo, quinque asses merebant diurnos, id est, nostros quindecim chalcos sive æreolos: nisi ipsos sedecim, hoc est, duos stuferos aut obolos, quos tribuit eis Polybius, et deni asses rotunde dicuntur pro denis assibus duobus trientibus. Sed de his vide, quæ diximus pecuniæ vet. 3, 2. Gron.

Hinc vestem, arma. Vides ergo, auctum ab Julio vel ab Augusto stipendio, abrogatam illam Gracchi legem, qua militi e publico vestem dari jussit, sine ulla stipendii detractione. Quod fugerat me admonere in Electis, cap. de stipendio. Ambigas tamen an secuti principes iterum non reduxerint Gracchi hac parte legem. Lampridius certe in Alex., c. 39: *Donavit*, inquit, *et ocreas, et braccas, et calciamenta inter vestimenta militaria.* Et c. 52: *Qui acceptam a provincialibus annonam, qui vestem, qui stipendia vobis attribuit.* Lips.

Vacationes munerum. Scripsi ea de re ad libros Hist. 1, 46. Lips.

Præmium pecuniæ. Quale istud pecuniarium præmium? Pete ab Excurs. nostris in G. Lips.

pecunia solveretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari a se urbanas excubias : sibi tamen apud horridas gentes e contuberniis hostem adspici. »

XVIII. Adstrepebat vulgus, diversis incitamentis :

Quæ binos denarios. Bini denarii decreti a senatu prætorianis, in honorem Augusti : ut scilicet fidelem gererent ejus curam, in salute cujus salus publica nixa. Id accidit in VII ejus consulatu. Si tamen Dionis, 53, 11, verba vera, non binos denarios meriti prætoriani : sed tantum, 20 asses. Nam ait, τοῖς δορυφορήσουσιν εἶτον διπλάσιον τὸν μισθὸν τοῦ τοῖς ἄλλοις στρατιώταις διδομένου ψηφισθῆναι διεφράξαντο. Si, inquam, duplum quod ceteris militibus, datum prætorianis : constat invidiosam oratiouem esse nebulónis Percennii de duobus denariis, et augendæ rei. Quantum enim interest, docui ante. At exemplum hoc stipendii prætorianis augendi, sumptum a militia veteri : apud quos prætoria cohors sesquiplum accipiebat, honoris caussa. Vid. Festum in Prætoria cohors. *Add.* Vir doctus (*Hotomannus*) in re numaria, nuper emendari censuit, *quæ bis denos acciperent.* Nam constat ex Dione, inquit, accepisse eos saltem duplum quam alii milites : nec id plus fecerit, quam vicenos numos. Denarium autem duorum æstimatio amplior. Intellego : vellem et ipse ea, quæ in hanc rem satis scripsi. Quis nostrum exigit ista rigide ad veri lancem ? Binos denarios ? sic nempe, quomodo legionarii unum denarium. Is enim eis definitus, sed solutus nunquam nisi æstimatione infima et prisca. Eadem igitur fide et pretio duos denarios cepere prætoriani. Quos quod diserte tamen exprimit Percennius : quis miretur ? in seditione id facit, et ad animos scilicet vero an falso inflammandos. Lips. Simplicius forsan *acciperent*, quod marginibus allinunt. Sed potest defendi, ut sit, quæ σύνταξιν binorum denariorum consecutæ fuerint : quibus Augusti constitutio binos denarios dederit : quibus senatus in honorem Augusti binos denarios stipendium statuerit. Fuisse autem hoc prætorianorum stipendium, nec per invidiam ultra, quam erat, augeri, probabili conjectura ex testamentis Augusti et Tiberii eruimus primi dicto loco pecuniæ vet. Gron. Adde Schel. ad Polyb. Castr., p. 217, 218, qui Tacitum potius quam Dionem audiendum docet. Ern.

Quæ post sexdecim annos. Lapsus ergo Dio, qui, 54, 25., diserte tradit, Augustum definisse annos prætoriis cohortibus duodecim, aliis sedecim. Nisi tamen id decretum mutatum postea, anno 758. Quod apparet ex eodem Dione, 55, 23., ubi de præmiis militaribus, quem adi. Lips. Ceterum *redderentur* legendum, non *reddantur*, nisi servetur *acceperint*, quod vett. edd. habent. Ern. Propter temporum quidem rationes id non necessarium esse, recte vidit Croll. At *acciperent* sero invectum est ex conj. Faer-

hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint. Depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant : simul congerunt cespi-

ni; et alterum ab J. F. Gr. bene defensum.

Exprobrantes. Vid. infra ad c. 35, init. Ern.

Eo furoris.... agitaverint. Si ex omnibus una legio fit, una tantum aquila, unius legionis signa, unum nomen legionis sumitur; ceteræ aquilæ et signa abjiciuntur, duarum legionum nomina tolluntur : id quod e seqq. intelligitur. Nam æmulatio, qua depulsi sunt a consilio, hæc fuit, quod suam quæque aquilam, sua signa, suum nomen servari vellet. Hoc consilium furorem vocat Tacitus, ut opinor, propterea quod religionem violabat, et quidem pluribus modis : primum in aquilis et signis, quæ sanctitatem habent, ut satis notum est, et religionem, quæ dissolvitur iis sublatis et abjectis; deinde in eo, quod deserunt signa sua, quæ se non deserturos, ad quæ conventuros, nec injussu imperatoris discessuros, juraverunt : tertio, quod legiones dissolvuntur, quæ et ipsæ sanctitatem habent. Ern.

Signa cohortium. An cohortes propria signa habuerint, diversa a signis manipulorum, disputat Lipsius de Milit., 4, 5., putatque signa cohortium esse eadem, quæ manipulorum, aut signa triariorum, sic dicta, propter dignitatem. Schelius autem, p. 299, distinguit signa cohortium et manipulorum, si recte mentem ejus cepi. E verbis solis *signa cohortium* aut *cohortis* nihil intelligi tale potest. Nam etiam *legionis signa* occurrunt, et *centuriones cohortium*, et tamen intelliguntur signa manipulorum, qui sunt in legione, et duces centuriarum, quæ sunt in cohorte. Deinde intelligi possunt *cohortes sociorum*, ut in loco Livii, 27, 13, in quo *signa cohortium* distinguuntur a *signis manipulorum*, ut vidit Dukerus ad illum locum, post Schelium, p. 315, quod tamen ab hoc loco est alienum : in quo intelligenda signa manipulorum, qui in quaque cohorte essent. Ern.

Simul congerunt cespites. Nota morem antiquum. Tribunal imperatorium ecce in castris, etiam illa ætate cespiticium. Plin., Paneg., c. 56. Xiphilinus, 62, 2, de Boodicia, regina Britanniæ : Συνήγαγε δὲ τὸ στράτευμα ἀμφὶ δώδεκα μυριάδας ὄν, καὶ ἀνέβη ἐπὶ βῆμα ἐκ γῆς ἐλώδους ἐς τὸν Ῥωμαϊκὸν τρόπον ποιημένον. Eleganter. *Et ascendit*, inquit, *tribunal e terra palustri more romano confectum.* Statius in Silvis, 5, 2, 144. *Hic suetus dare jura parens, hoc cespite turmas Adfari* Ammian., 23, 5. Lucanus, 5, 316. Plutarchus in Pompeio, p. 641. A. Βήματος δὲ οὐκ ὄντος, οὐδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φθάσαντος, ὃ ποιοῦσιν αὐτοὶ, τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας

tes, exstruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans : « Mea potius cæde imbuite manus ; leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis. Aut incolumis fidem legionum retinebo, aut jugulatus pœnitentiam adcelerabo. »

XIX. Adgerebatur nihilominus cespes, jamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi in-

καμβάνοντες, καὶ καθ' ἁλλήλων συντιθέντες, etc. Claudianus de Bello Gild., 424 sqq. Lips. Schel. ad Hygin., p. 142, putat non intelligi *tribunal* duci destinatum : nullum enim dum ducem seditiosorum fuisse : sed aggerem, in quo signa et aquilæ ponerentur : nam etiam apud Hyginum est tribunal, in quo tormenta ponuntur. Dicam de hoc verbi hujus sensu, quod ipse de *manipulo*. v. ad c. 65. Lipsium verum vidisse puto. Satis distinguitur collocatio signorum et exstructio tribunalis. Ern.

Quo magis conspic. s. f. Sensus est : ut videre quisque posset, ubi essent, qui ferre injurias non possent, meliores conditiones poscerent, ubi conveniendum, quo eundum esset ei, qui se iis aggregare vellet. Ern.

Properantibus Blæsius advenit. Si fuisset in unico libro *operantibus*, non huic istud præferrem. Sueton., Claud., c. 20. Noster inf., c. 64. *Miscetur operantium bellantiumque clamor.* Cf. Veget., de Re mil., 2, 22. Gron. *Properantibus* efficacius est. Non modo *operabantur*, sed etiam acriter laborabant, ut celerius perficeretur opus, item, studio incensi. Sic *properare* dicitur : ut *properare cibum* apud Virgilium, opinor. Noster, 2, 6, *naves properatæ*. Ibid. 31. *mortem properare*, et c. 80. *tela ad subitum usum properata*. Et sic optimi quique. Vide Broukhus. ad Tibull., 4, 1, 205. Ern. — * Sic et Wopkens.

Clamitans, Mea potius cæde. Mirum videri possit, et quid caussæ, cur ob tribunal cespiticium adeo inclamet Blæsus ? Nam subjungit : *Leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore desciscitis.* Capitale ergo adeo facinus illud ? capitale prorsus. Nam tribunalis exstructio ascensioque, signum proprium imperatoris : quod allocuturus milites conscenderet. Simile apud Vopiscum in Probo, c. 10. Sed et allocutio ipsa soli imperatori servata postea. Ammian., de Juliano nondum principe, 16, 12. *Et cum alloqui pariter omnes nec longitudo spatiorum extenta*, etc. Lips.

Pœnitentiam adcel. *Pœnam* conj. Cujac. Vulgatum ἀθικώτερον, et ad misericordiam permovendam accommodatius.

* *Jamque pectori usque.* Jac. Gronov., improbante Wopkensio, vult *pectoribusque adcreverat*, vel *pectori et usque adcrev.*, quia in MS. *pectori ejusque.*

Pervicacia victi. Ipsius Blæsi, et si qui alii fortiter obsisterent. Lips.

cœptum omisere. Blæsus multa dicendi arte, « Non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda, ait : neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos a divo Augusto tam nova petivisse : et parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint; cur contra morem obsequii, contra fas disciplinæ, vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent. » Adclamavere, « ut filius Blæsi tribunus legatione ea fungeretur, peteretque militibus missionem ab sedecim annis. Cetera mandaturos, ubi prima provenissent. » Profecto juvene, modicum otium : sed superbire miles, quod filius legati, orator publicæ caussæ, satis ostenderet, necessitate expressa, quæ per modestiam non obtinuissent.

XX. Interea manipuli, ante cœptam seditionem Nauportum missi ob itinera et pontes et alios usus,

Desideria mil. Proprium hac ætate in tali re verbum : pro quo Cicero *postulata* dixit. Sic etiam Suetonius, Aug., 17, 53, etc., quæ loca jam attulit Pichena. *Postulata* vocat et ipse, c. 25, ext. Ern.

Incipientes principis curas. Acidalius conj. *incipientis.* Satis placent *incipientes curæ.* Sic Ovidio de Art. am., 2, 648., *incipiens omnia sentit amor.* Et Met., 12, 395., *Barba erat incipiens.* Noster H., 1, 31., *incipiens adhuc et nondum adulta seditio.* Gron. Mox rescripsi *meditarentur* pro *meditentur,* quod repudiat præcedens *tenderent* et seq. Ern. Reduxi antiquum *meditentur,* — * quod bene edidit Rhenanus : — rationem attuli in præpos. Comment. Difficilius est dicere, *incipientis* præstet an *incipientes,* in quo nulla est auctoritas librorum. Exemplis Gronovii contraria, si probe memini, plura sunt ap. Quinctil. et alios hujus ætatis. Ut Plin., Panegyr., c. 57., *principes incipientes et desinentes.*

Ubi prima provenissent. Eleganter pro *successissent.* Sic etiam H. 2, 16. *inani auxilio, etiam si provenissent.* Cf. Ovid. Trist. I, 1, 39. Plin. H. N. 18, 3. Adde Interpp. ad Sueton. Vesp. c. 5. Ern. — * Et Cæsar. B. G., 7, 29.

Ob itinera. Expeditionem ergo meditabantur, eoque hæc præcurabant : neque alio fine simul in æstivis erant. Lips.

postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt; direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones irrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur: præcipua in Aufidienum Rufum, præfectum castrorum, ira, quem dereptum vehiculo sarcinis gravant, agunt-

8. *Quem dereptum vehiculo.* Sic bene vetusti codices apud Valer. Flacc., 2, 159., *nostrosque toros virgata tenebit, Et plaustro derepta nurus.*

Vexilla convellunt. Freinshemius putat esse, discerpunt, frangunt. Videtur abreptus ab eo, qui exponit, fixa solo evellunt et detrahunt, abduntque non visenda militibus: quasi vexillorum reverentia militi turbanti esset pro conscientiæ flagello. Sed quod non absurdum concedit esse, e solo evellere, hoc solum verum est. Nam detrahere vexilla et solo affigere solebant, qui prorsus aut ab imperio, aut ab imperatore desciscerent, nec sibi receptam ad pœnitentiam reliquum facerent. Hi vero nec deficiebant, nec sacramenti religione solvi volebant: sed conditionem suam meliorem facere conabantur. Cogitandum eos Nauporti, quo missi erant, aliquamdiu tranquillos, et in officio, operique intentos fuisse, stantibus et fixis vexillis: quum tumultu castrorum comperto abjecerunt opus, injussuque et ingratiis ducum sustulerunt vexilla, et festinarunt, ne communi causæ deessent. Quod vero ait, se nescire, quorsum ad diripiendos vicos signa prætulerint: equidem non prætulerunt signa vicorum diripiendi ergo, sed proficiscendi. Sed tamen, quemadmodum paullo ante operabantur subrectis vexillis, ut apparerent militari eos munere fungi, et milites esse, non viles manus undique contractarum aut oblocantium semet operarum; sic inter movendum, ad secundam rabiem versis, stetisse vexilla, etsi non narretur, credibile satis est, et moris securitatisque causa (non enim sine custodibus facile relinquebantur) et ut ostenderent, se milites esse, fraudatos justis, et indigne habitos, atque ob id iratos, et pignora capientes; non latrones et prædones meros. Vide quæ ad Liv., 3, 54, diximus. Gron.

Nauporto. Meminit et Velleius 2, 110. Strabo 7, p. 314., collocat in Tauriscis, situ ab Aquileia stadiis 350, sed vocat Ναύπορτον, corrupte, ut opinor. Lips.

Præfectum castrorum. Munus fuit, nescio an antiquum. Mentionem quidem ejus ante principes nondum inveni: postea sæpius. Vide Excurs. *H.* Lips.

Quem dereptum vehiculo. Sic e MS. pro *direptum* Pichena; recte. Sic emendabat etiam Heinsius, quem v. l. c. p. 285, et ad Ovid. Met. 3, 52. Mox in *ferret* est dilogia, et intelligitur proprie, relatum ad *onera*, tropice ad *itinera*. Ern.

Vehiculo. Honestiores ergo militum etiam tunc in vehiculo aut equo. Lips.

que primo in agmine, per ludibrium rogitantes : « an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret? » Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat.

9. *Vetus operis ac laboris.* Ita Lipsius et Pichena e scriptis, qui constanter cum priscis editionibus *intus* habent, non *vetus*. Alii alia reposuerant, quæ apud Pichenam vide. Quid si tamen *intentus?* aliud nempe, *operis ac laboris intentus* : aliud, *intentus operi ac labori. Intentus operi*, qui diligenter laborat ipse : *intentus operis*, severus exactor alieni laboris, et qui intendit laborem militis, ut verbo utar, quod nostro est perquam familiare. *Intendere* et *remittere* contraria apud nostrum : nec vacat indices compilare. De Corbulone A. 11, 18., *Originem tamen e severitate ducis trahere ; intentumque et magnis delictis inexorabilem scias, cui tantum asperitatis etiam adversus levia credebatur.* Videantur, quæ præcedunt, nam miro conjecturam nostram illustrant : nec abludunt ista Plinii in Paneg. 19., *Sic imperatorem commilitonemque commiscueras, ut studium laboremque omnium et tanquam exactor intenderes, et tanquam particeps sociusque relaxares.* Senec. de Ira, 1, 1., *pertinax et intentus.* Rursus noster Ann., 6, 50., *Jam Tiberium corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat : Idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate.* 12, 38., *quasi debellatum foret, minus intenta apud nos militia fuit.* c. 42., habes *intentiorem disciplinam militar.* n. 15, 62., *Lacrimas eorum, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat.* Ita Sulpicius Quirinus *impiger militiæ* dicitur Ann., 3, 48. *Intus* vero pro *intentus* fuit scriptum, quomodo et exaratum offendes apud Festum in *rabula.* Sic *inhostum* pro *inhonestum* Hist. 2, 31., et Hist. 2, 16., *tanta* pro *tentata* Gronovius censebat scriptum fuisse. *Vetus operis* posset etiam defendi, ut sit dictum, quale illud Plinii in Paneg. 16., *innutritus bellicis laudibus Trajanus ;* et quia Tacito familiaris ille genitivi usus. Ita *vetus stipendii* Pichena corrigente Ann. 2, 66; *Modicus voluptatum*, ib., 73; *modicus severitatis*, 6, 30; *modicus pecuniæ*, 3, 72; *formidolosus hostium*, pro *metuens hostium*, 1, 62; *ferox scelerum*, 4, 12; *securus potentiæ*, 3, 28; *anxius potentiæ*, 4, 12; *occultus odii*, 4, 7; *T. Livius eloquentiæ ac fidei præclarus*, 4, 34; *recens prætura*, sic corrigo, 4, 52. Ut etiam *recens doloris et iræ*, 1, 41; *stipendii recentes*, 15, 59., ut legendum puto ; *erectus et fidens animi*, 4, 59; male a Pichena tentatum *silvæ frequens fecundusque mons*, 4, 67; *noxius conjurationis*, 5, 11; *iræ properus*, 11, 26; *penates vacui principis*, 6, 51; *trepidus admirationis et metus*, 6, 21; *Æquus absentium*, 6, 36., pro *absentibus*; *Insolens contumeliarum*, 6, 34; *indomita animi*, ut corrigo, 1, 33; *retinens conditoris Seleuci civitas*, 6, 42; *providus futurorum*, 6, 46.

Invictus operis. Medicea scriptura, *intus operis.* Verum censeo *vetus operis.* In Tacito H. 4, 20. *vetus militiæ*, et in Silio ipsa hæc verba, 4, 532., *gnaros belli, veteresque laborum.* Lips. Recte recepit Pichena, Gronovius, Ryckius. Probat etiam Scheffer. in Anecd. Obs. Misc. VIII, p. 408. Ceteræ conjecturæ, ut — * *intentus operi* quod placet Boxhornio, — *intentus operis*, pro exactore operis, quod placebat Heinsio, l. c., *tri-*

XXI. Horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumjecta populabantur. Blæsus paucos, maxime præda onustos, ad terrorem ceterorum, affici verberibus, claudi carcere jubet. Nam etiam tum legato a centurionibus et optimo quoque manipularium parcebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cujus manipularis erat, cohortem, legionem, « eadem omnibus imminere, » clamitantes; simul probra in legatum cumulant, cœlum ac deos obtestantur; nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam,

10. *Quo minus invidiam, misericordiam, metum et iras permoverent. Quo minus invidia, misericordia, metu et ira permoverent.* Ni fallor; nempe commilitones permoverent.

tus Gronovii, aliæque aliorum minus placent. Lib. 2, cap. 66, est *vetus stipendiis* sive *stipendii*, ut Pichena vult: contra 4, 52, *recens prætura*, sive ut Heins. vult, *prætoræ*. Aldus dedit *immitis*, quod Mureto placebat. Ern. Etiam Wopkensio merito placet Lipsii correctio, quæ unice vera.

Claudi carcere. In castris stativis ergo carcer: et cum exercitus moveret, eosdem catena trahebant, more militari, ut alibi dicam. Juvenal. 6, 560. Lips.

A centurionibus. Hoc parum congruere videtur cum reliqua narratione. Centurionum sævitiam primum querebatur seditiosa turba, c. 17, ut prope semper assolebat: mox iidem contumeliis et verberibus afficiuntur: tum unus eorum occiditur; et, ne in hunc aut paucos sævitam putemus, *ceteros* omnes (non *alios*) latebræ texere, c. 23. Etiam, c. 28, centurionum pauci dicuntur vulgo grati fuisse; nec usquam indicium est, quando officium facere desierint. Quid igitur? num leg. *ac centurionibus ab o. q. manipularium?* Satis facilem emendationem vides; an æque necessaria sit, tute videris. Ne ipse quidem ego id puto: verum, nescio quo pacto, magis mihi satisfacio in accusanda quam in defendenda vulgata lectione.

Cujus manipularis erat. Melius foret sic: *m. centuriam quisque, modo cohortem, cujus manipularis erat.* Nam manipuli sunt cohortium, non centuriarum. Sed nihil muto. Etenim, etiam qui in centuriis sunt, manipulares, quia quæque centuria manipuli certi est, et a centuria milites non dicuntur, ut nec a cohortibus. Ern.

Quo minus invidiam, etc. Heinsius ablativos malebat, intellecto *commilitones*: quibus sane aptius verbum *permovere*. Invidia movetur, non permovetur. V. H. 4, 27., ubi *permovere* est pro *movere*. Ceterum latinitas postulat scribi *per-*

metum et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et, carcere effracto, solvunt vincula, desertoresque ac rerum capitalium damnatos sibi jam miscent.

XXII. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces: et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blæsi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos, et, quid pararet, intentos: « Vos quidem, inquit, his innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem, missum ad vos a germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris?

moveant. Ern. Hæc vana sunt. *Permoveri* affectus non minus quam homo dicitur, nisi quod illud efficacius est verbo simplici. — * Sic et Wopkens. ep. 3, 23; 16, 32. —Quem locum Ernest. in animo habuerit, non reperio; sed plures attulit Croll. Is autem corrigi vult *quo omnes invidia.... ira perm.* ex mala comparatione loci, 15, 37. Alius vir doctus, *quo militibus invidiam*, etc.

Sibi jam miscent. Suspectum est viris doctis τὸ *jam*: unde Faernus et Pichena malebant *sibi immiscent.* Me quidem particula illa non offendit, quæ habet h. l. vim augendi, ut alibi. Sensus est: non modo sui furoris socios e carcere eximunt, sed eos adeo ipsos liberatos sibi miscent, qui criminum caussa in carcere fuerant. Ern.

De commodis communibus. Pannonico et germanico exercitui.

Per gladiatores suos. Refer ad solitum sæculi ejus morem, quo præsides, præfecti provinciarum, familias gladiatorum alebant, ad spectacula exhibenda. Non enim inter milites lecti, ne erres. Lips. Add. Dion. Vossium ad Cæs. B. C. 1, 75., ubi etiam paullo ante legendum censet *reddet*, non necessaria conjectura. Ern. Nec bona. Elegantius est tempus instans in tali commotione.

Ubi cadaver abjeceris. Ingratus labor est Alb. Gentilis, lib. 2, de nuptiis ex JC reliquiis, quod Velleio 2, 54., impegerat Titius, *ubique ire* defendentis. Quis ignorat illam ætatem multa sibi permisisse, quæ neque Velleius neque æqualium ejus quisquam dicendi studiosus ausi? Addit e Livio corruptum *accitusque ibi.* Non melioribus utitur auctoribus in assertione Titius: quæ a melioribus petit, aut corrupta, aut aliena sunt. Ut cum e Gellio, *ubi transiret*, pro *ut transiliret*; ex Panegyrico, *ut ubique possint ire, festinant*; ubi exstat, *ut ubique prosint, ire festinant.* Sic e Virgil.

ne hostes quidem sepultura invident. Cum osculis, cum lacrimis dolorem meum implevero, me quoque truci-

11. *Ne hostes quidem sepulturæ invident.* *Sepultura* scripti constanter. Cur moverunt? est enim latine, si quid aliud dictum, *invidere sepultura mortuis.* Ne dubitare possis, audi Lucanum, 7, 798., *Invidet igne rogi miseris.* Plin. in Epistolis passim, ubi veterrimus codex Mediceus huic loquendi modo suffragatur. Quinctil., 9, 3., dicit Ciceronem solere dicere *invideo hanc rem*, non *huic rei.* Sed forte legendum *hac re*: vide de hoc loco disputantem Voss. de constructione, c. 34. Noster Ann. 15, 63., *Tu mortis decus mavis: non invidebo exemplo*, hoc est non invidebo tibi meo exemplo. De Mor. Germ., c. 31., *nam ne spectaculo quidem prælii invidere;* subauditur *nobis.*

Æn. 5, 344. *Gratior et pulchro veniens in corpore virtus*, quasi voluerit ille *virtus veniens in corpus*, et non *virtus in pulchro corpore οὖσα*, vel, si sit, *gratior veniens*, accidens, apparens. Tum Propertii, 3, 7, 37, *arcem sedisse* vel *sidisse in cineres* (si tamen sic scripsit) quis non videt esse combustam et collapsam ruisse in cineres? At Barthius *Ubi* pro *Quo* damnasse Caprum grammaticum, ita loqui tamen hic Tacitum, cui se quam toti gregi Caprorum credere malle festive ait Advers. 33, 5. Quicquid conentur, cum latine loquimur, sicubi τὸ *Quo* requiritur, illic τῷ *Ubi* locus non est: et recte quidem dicimus *quo abjeceris*; sed pro eo non dixit Tacitus *ubi abjeceris*, verum more illo suo prægnantes sensus breviter efferendi pro eo, quod est, ubi non humaveris aut condideris, sed jacens, sub dio relinqueris: vel, ubi non tenui terræ injecta contectum, sed sic abjectum relinqui jusseris feris lacerandum. *Ubi abjeceris*, ubi sine justis posueris; ubi feceris, ut fœde jaceat. Hyginus fab. 165, *cantans se in aqua adspexit, et vidit se merito irrisam, unde tibias ibi abjecit.* Gron. Recte ista habent. Simplicius erit ac facilius: ubi significatio *in loco* et *in locum* concurrunt, ut h. l., *ubi* et *quo* poni possunt; non, cum sola est significatio *in locum*: sed ibi necessario *quo* dicitur. V. Clark. ad Hom.. Iliad. ά, 593. Ceterum in MS. est *abegeris*, quod non displicet J. Gronovio. Ern. Plura et aptissima exempla particulæ affert Wopkens., ut Suet. Ner. c. 48; Galb. c. 20.

Sepulturam invident. Cum exstet in calamo exarato codice *sepultura*, revocandum esse censet Gruterus; ei enim casui jungi posse, pluribus alio loco ostendisse. Nimis vellem, de pluribus hic aliquid prælibasset: neque enim, quis hoc verbo sic usus sit, memini. At *sepulturam*, an *sepulturæ* scribas, ciccum non interduim: nam utrumque auctores habet optimos. Quia et cum *invidere alicui* dicitur semper intelligi accusativum censeo, rei, quæ invidetur: et cum *invidere aliquid*, dativum personæ, cui invidetur. Cicero cum in Attio notat Tusc. 3, 9. *Quis florem liberûm invidit meûm*, non improbat *invidere aliquid alicui*, sed *invidere aliquem* pro *alicui*. Neque id veteribus placuisse video: et vereor, ne in Attio præcesserit membrum orationis, in quo esset τὸ *mihi*, in his repetendum. Scio Scioppium aliter sentire in Paradoxis, sed nihil me movet. Horatii, *ego cur acquirere pauca Si possum, invideor*, non ul-

dari jube; dum interfectos, nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant. »

XXIII. Incendebat hæc fletu, et pectus atque os manibus verberans: mox disjectis, quorum per humeros sustinebatur, præceps et singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiæque concivit, ut pars militum gladiatores, qui e servitio Blæsi erant, pars ceteram ejusdem familiam vincirent, alii ad quærendum corpus effunderentur. Ac ni propere, neque corpus ullum reperiri, et servos, adhibitis cruciatibus, abnuere cædem, neque illi fuisse unquam fratrem, per-

tra producendum est. Ovidii in Epistola Laodamiæ (Her. 13, 137), *Troadas invideo*, corruptum est pro *Troasin invideo*, ut animadvertit Salmasius, et merito secutus est Heinsius noster. Apud Quinctilianum, 9, 3, init. liber optimus: *ut huic rei invidere; non, ut omnes veteres et Cicero præcipue, hanc rem.* Qui tamen errat: nam *invidere alicui* Plautus, Varro, Lucretius, Cicero ipse dixerunt. Quod autem cornicatur Scioppius, cum legimus, *invidit commodis eorum*, supplendum esse *invidia* vel *invidere* nominis vim habens, nihil agit. Potius *proventum* aut *continuationem*. Sic *ne hostes quidem sepulturam invident*, puta *mortuis: sepulturæ*, cogita τὸ γίνεσθαι vel *fieri*. *Invidit operi*, nempe *incrementa* vel *successum*. *Non invidebo exemplo*, τὸ *existere*: non prohibebo, ne fiat. Gron. Revocavi *sepulturam*, lectionem scripti et editorum ante Pichenam, qui primus sine libris induxit *sepulturæ*, sine necessitate: quod etiam improbat Heinsius, l. c, qui præfert cum Grutero *sepultura*: idque exemplis firmare tendit. Ablativum verbo *invidere* jungi ab hujus ætatis scriptoribus, certum est: nec dubitare debebat Gronov. Vid. Burm. ad Quinctil. l. c. et Gesn. ibid. qui in hujus loci lectione Gruteri sententiam probat. Ern. Primus Beroald. intulit *sepulturam*. In Cod. plures testantur ablativum fuisse, quem repetii de Gesneri et Allemandi sententia. Vid. Cort. ad Plin. Epp. 1, 10, extr. et si obloquitur Schwarz. ad Paneg. c. 86.

Hi sepeliant. Muretus et Lipsius sic ad marginem. Nam est in MS. et vulgatis *ii*. Recte *hi* receperunt Pichena et qui post eum edidere. Nimis sæpe in scriptis hæc duo pronomina permutantur, ut etiam ad Suet. notavimus. Ern. Loquens digito ostendit commilitones. Perperam alii conj. *mei*.

Incendebat hæc. His vim addebat. Crollius conj. *intendebat*. Sane *incendi* proprie dicuntur homines, non res. Sed hujus generis translationum alibi permulta exempla videbimus. Similiter infra c. 69. *Accendebat hæc*.

Neque illi fuisse fratrem. Num

notuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen ac præfectum castrorum extrusere : sarcinæ fugientium direptæ : et centurio Lucillius interficitur, cui, militaribus facetiis, vocabulum *Cedo alteram* indiderant; quia, fracta vite in tergo militis, alteram clara voce ac rursus aliam poscebat. Ceteros latebræ texere, uno retento Clemente Julio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promptum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones octava et quintadecuma ferrum parabant : dum centurionem, cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, quintadecumani tuentur : ni miles nonanus preces et, adversum aspernantis, minas interjecisset.

XXIV. Hæc audita quamquam abstrusum et tristissima quæque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum filium cum primoribus civitatis duabusque prætoriis cohortibus mitteret, nullis satis certis manda-

Vibulenus voluit imitari artem Volsci apud Dionys. Halic. 10, 7? Scilicet longe minor similitudo in scriptis, præsertim poetarum, sæpe doctis videtur sufficere, ut alterum alteri ante oculos versarum putent.

Cui militaribus facetiis. Moris hujus militaris exemplum item in Aureliani vita, c. 6. *Huic signum exercitus apposuerat, manu ad ferrum.* De vite autem centurionum, protrita jam res et conculcata. Lips.

Cognomento Sirpicum. Caussa hujus cognomenti me fugit. An forte Sirpicus, a sirpando? quod est ligare, nodoque constringere, prisca quidem voce. Unde Sirpi, ænigmata sive nodi. Quiane verberavit obsoleto illo verbo militum aures? an quia asperior in constringendis militibus duriorque? Lips. Probabiliter alii putant, scirpis illum usum esse pro vite. — *. Sic Aurelius. Potuit esse et cognomen paternum judice Freinshemio, ut ap. Hor. Ep. I, 13.

Minas interjecisset. Hoc loco posset aliquis abuti ad defendendam vulgarem lectionem apud Sueton. Dom. c. 17. *dolum interjecit,* pro *adhibuit,* quo sensu id dici posse, ad illum locum, in Excursu negavimus. Sed et hic sunt primo, duæ partes, inter quas interponuntur minæ, quod est interjicere : deinde adhibentur ad impediendum, non ad perficiendum. Ern.

Tristissima..... occultantem. Et merito. Conf. Liv. 5, 1; et 23, 5. Cæsar 7, 28. Gron.

tis; ex re consulturum : et cohortes delecto milite supra solitum firmatæ. Additur magna pars prætoriani equitis et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant : simul prætorii præfectus, Ælius Sejanus, collega Straboni, patri suo, datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector juveni, et ceteris periculorum præmiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium, obviæ fuere legiones, non lætæ, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed illuvie deformi, et vultu, quamquam mœstitiam imitarentur, contumaciæ propiores.

XXV. Postquam vallum introiit, portas stationibus firmant : globos armatorum certis castrorum locis opperiri jubent : ceteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus, silentium manu poscens. Illi, quotiens oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere; rursum, viso Cæsare, trepidare : murmur incertum : atrox clamor, et repente quies : di-

12. *Ceteris periculorum præmiorumque ostentator.* Sejanus præsentia sua ostentabat et pericula, quæ obierat plurima pro Tiberio, et præmia, quæ illi accepta referebat, ad maximos honores provectus. Quare nihil remedii huic loco adhibendum, quum sanus sit.

Qui tum custodes imperatori. Recepit ergo iterum germanos custodes Tiberius, destitutos post cladem varianam ab Augusto. Suetonius, Aug. c. 49. De custodibus istis alibi abunde. Lips.

Ostentator. Periculorum, pœnarum, pervicacibus; præmiorum, ad meliorem sensum redituris. Non quasi ipse utriusque fortunæ exemplar, ut volunt nonnulli. — * Bene se habet locus. V. sup. Heinsius.

Neque insignibus fulgentes. De cultu et incultu insignium notanda quædam observo, et promo in Excurs. lit. I. Lips.

Illi quotiens oculos. Is quidem mos et affectus vulgi, in turba sua audacis. Lucanus pariter in seditione, 5, 259., *quippe ipsa metus exsolverat audax Turba suos : quidquid multis peccatur, inultum est.* Et Velleius, 2, 81., *Subita deinde exercitus seditio, qui plerumque contemplatus frequentiam suam a disciplina desciscit.* Lips.

Atrox clamor, et repente quies. Video expulsam priscam vocem, *repens quies*. Porro huic sententiæ Si-

versis animorum motibus, pavebant terrebantque. Tandem, interrupto tumultu, literas patris recitat, in quis perscriptum erat : « Præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset : ubi primum a luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum : misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent : cetera senatui servanda, quem neque gratiæ neque severitatis expertem haberi par esset. »

XXVI. Responsum est a concione, « mandata Clementi centurioni, quæ perferret. » Is orditur « de missione a sedecim annis : de præmiis finitæ militiæ : ut denarius diurnum stipendium foret : ne veterani sub vexillo haberentur. » Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur : « Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at hercule verbera et necem cunctis permitti. Tiberium

lissimum illud plane geminum est, 10, 396., *Clamor sæpe repens, et sæpe silentia fixis In tellurem oculis.* Clamor autem, cum terrerent, ut sequitur; quies, cum timerent. Lips. Mihi adverbium magis placet, ob ipsam variationem.

Mandata.... perferret. Perferret reposuit e MS. Pichena. At Aurelius, Barda mea mens, ait, si excusæ lectioni patrocinarer : vultque *proferret et proferendis :* neque hic tantum, verum et apud Plinium, 18, 3. *Victor, vela corpus, inquit, ut proferam senatus populique romani mandata.* Et in Plinio quidem jam sic ediderunt, sed tamen notant, in optimo Chifletii esse *perferam* Nec dubito, quin rectius. Neque enim perlata sunt, priusquam audita et pronuntiata : et pronuntiando traduntur, quod quid aliud, quam *perferuntur?* Similiter apud Juvenalem, 6, 391. *dictataque verba Pertulit,* genere loquendi satyram ad modum decenti, in precibus præsertim parum probatis a sacerdote præeunte *ad deos scilicet secundum consuetudinem,* ut habet vet. Schol. Non ergo *protulit.* Gron. C. 23. *perferendis mandatis idoneus.* c. 57. *perfert mandata.* Et tamen Broterius ineptum suum *proferre* defendit.

Denarius diurnum stipendium. Vide dicta ad c. 17. Ern.

* *Nulla*, i. e. *sine ulla.* Wopk.

At hercule. Forma asseverandi, quæ sermonem in sensum diversum

olim nomine Augusti desideria legionum frustrari solitum : easdem artes Drusum retulisse. Nunquamne ad se nisi filios familiarum venturos? novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum rejiciat. Eundem ergo senatum consulendum, quotiens supplicia aut prœlia indicantur, an præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?

XXVII. Postremo deserunt tribunal : ut quis prætorianorum militum amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentantes, caussam discordiæ et initium armorum : maxime infensi Cn. Lentulo, quod is, ante alios

ita traducit, ut alias *sane*, sed majore cum vi. An quisquam eorum, qui nunc supersunt principes scriptores, ita loquatur, non facile dixerim. Conf. tamen auctorem Epist. 2 ad Cæs. de ord. re publ. c. 4.

Nunquamne nisi ad se. Verior lectio e verborum trajectu : *nunquamne ad se nisi filios f.* Lips. Ea posthac recepta est vulgo. Fortasse sine caussa, si *nunquam nisi* ad totam enuntiationem pertinet, ut interdum *nunquam non.*

Occurreret. Mur. et Acidal. corr. *occurrerat.* Sed in hoc verbo non semper observatur illa temporis ἀκρίβεια.

Manus.... discordiæ. Ecquando manus dedere caussam discordiæ et armorum, ait ille? Certe, si, cui sunt intentatæ, is strenue repulit eas, aut ultro, quod ira dictat, occupavit. Eam enim, qui rixam quærunt, ut suam occasionem rapiunt, et quasi essent provocati, nihil non sibi licere in auctores injuriæ interpretantur. Dein tumultu cœpto advolant et aggregantur utrimque socii, et a manibus ad ferrum ac cædes transitur. Apage *annos.* Gron. Sane durus est locus. Quid si Tacitus dedit? *manus intentantes, maxime Lentulo.* Videtur in margine elogium, *caussa discordiæ et initium armorum*, scriptum fuisse, ut alibi, dein venisse in textum explendi caussa. Infra c. 32, est quidem simile quid : *ea vetustissima materia* etc.; sed ibi alia structura est. Ern. Exemplum hujus structuræ erat, c. 2. *subsidia dom.*, et eo modo intellexit, opinor, Gronovius. Jam quæris, cujusnam discordiæ mentio fiat, quum discordiam dudum sæviisse viderimus. Nimirum totius hujus seditionis tres quasi actus seu gradus distinguuntur, inde a. c. 17, tum a 20, tum a verbis istis. Narraturus nunc est discordiam prætorianos inter ac pannonicos milites, iras horum novas et arma expedita in cohortem Drusi. Hujus extremi et atrocissimi actus præcipua *caussa*, i. e. occasio et materia (incentivum) fuit *intentatio* illa *manuum.*

Ante alios. H. e. aliis præstans ætate et gloria bellica. v. Ind. v. *ante.* Hominis laudes sunt, 4, 44.

ætate et gloria belli, firmare Drusum credebatur, et illa militiæ flagitia primus adspernari. Nec multo post, digredientem cum Cæsare, ac, provisu periculi, hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes, « quo pergeret? ad imperatorem an ad patres? ut illic quoque commodis legionum adversaretur? » Simul ingruunt, saxa jaciunt. Jamque lapidis ictu cruentus, et exitii certus, adcursu multitudinis, quæ cum Druso advenerat, protectus est.

XXVIII. Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente cœlo visa languescere. Id miles, rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, « prospereque cessura, quæ pergerent, si fulgor et cla-

13. *Ac suis laboribus.* Opinor, *hanc suis laboribus defectionem sideris adsimulans.* Tum mox, *prospereque cessura quo pergerent*, non *quæ*. Cessura prospere ea, ad quæ pergerent patranda. Aliter Gronovius. *Pergere iter* sæpe apud nostrum.

Luna clariore pæne cœlo. Quid hoc, *clariore pæne cœlo?* cassa palearum, si examinas. A Beroaldo ea lectio est, quam sperne: et substitue, *luna claro repente cœlo.* Facit sententia, et prisca scriptura, *clamore pena cœlo.* Claro autem cœlo is lunæ languor: et ideo sequitur, *postquam ortæ nubes offecere visui.* Lips. Salinerius volebat *clariore plena cœlo*, et *clariore* positive accipiebat, et sic quoque Chifletius in epist. ad Lips. T. I. Collect. Burm. p. 727. Nerius in Annal. 1, 4. *clarore plena cœlo:* et clarorem accipit de lumine solis, quod luna recipit. Sordes istæ sunt. Verum vidit Lipsius. *Clarore* tamen etiam J. Gronovio placet. Edn. — * Emendationem Lips. probat et Wopkens.

Ac suis laboribus. Molestum hic esse τὸ *ac*, sensit Freinshemius, qui abesse mallet. Succurrere alio modo voluit Heinsius, l. c., emendans *hanc:* quod durum est. Melius Freinshemius judicavit. Edn. Commodissime conj. Wopkens. *accipiebat, suis lab.* Eclipsis hæc, apud Chronologos celebris, incidit in V. kal. oct. initio hor. 3, 18′ 32″, fine h. 7, 6′ 32″, certa testis incipientis principatus tiberiani.

Prospereque.... pergerent. Frequens hoc verbum Tacito: sed nusquam, opinor, vel ipsi vel alii *pergere aliquid* est insistere instituto, agere quod in manibus habeas. Ut commodissime accipiamus, integrum foret, *prospere cessura itinera, quæ pergerent.* Sed quis hac in re sic loquitur? Prorsus censeo Tacitum scripsisse, *quæ urgerent*, i. e. quæ

ritudo deæ redderetur. » Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere : prout splendidior obscuriorve, lætari aut mærere ; et postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsæ semel mentes, « sibi æternum laborem portendi, sua facinora aversari deos, » lamentantur. Utendum inclinatione ea Cæsar, et, quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria jubet. Accitur centurio Clemens, et si alii bonis artibus grati in vulgus : ii vigiliis, stationibus,

laborarent, quibus instarent. Horat. Sat. 2, 7., *vitiis gaudet constanter et urget Propositum.* Et lib. 2, od. 18. *Marisque Baiis obstrepentis urges Summovere litora.* Noster, 12, 12. *itaque urgeret cœpta.* Non dicit *pergeret cœpta.* Gron. Rhenanus : *quæ gererent,* quod multo est languidius. Heinsius, l. c. *quo pergerent.* Davis. ad Cic. Leg. lib. 2, extr. *quæ agerent :* quod cuivis in mentem veniat. Vulgatum verum videtur. *Pergere* nostro est persequi, urgere. A 3, 66. *si rectum iter pergeret.* Conf. 4, 20; 15, 27; etc. Adde Burm. ad Val. Flacc. 4, 630. Ern. Jam Lipsii in prima edit. conjecturæ erant, *urgerent, peragerent.* Postea eas tacite revocavit. *Pergere rem* antiquo usu est studiose tractare, in re molienda et persequenda quam maxime occupari. Cf. Wopkens. Lect. Tull., 3, 2. Sic et alia verba neutra similis potestatis olim cum quarto casu poni solita, v. c. *petere* (iter), *contendere, properare ;* ac mansit id maxime in hoc posteriore.

Igitur aeris sono. Clarum exemplum vanæ religionis, ad levandos lunæ labores. Ita enim opinio erat. Juvenalis, nimis facete de sexu tinniente, 6, 441. *Una laboranti poterit succurrere lunæ.* Livius, 26, 5. Quem morem nec Christianos desiisse, discas e divo Maximo taurinensi episcopo : qui nimis id indignatur et culpat homilia propria, *De defectu lunæ.* Ait inter alia hic apta : *Cum requirerem, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti lunæ vestra vociferatio subveniret, et defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.* Lips.

Perculsæ mentes. Hic quoque suspicari liceret, legendum *percussæ,* ut supra, c. 12; sed vulgatum intelligi potest *de statu dejectæ,* quod est *perculsæ.* Ern. Vid. ad c. 12.

* *Et si alii.* Pichena spernit *qui* ante *alii.* Wopkens. vult *et qui alii,* vel *et si qui.*

Stationibus. Quæ ante portas quidem, sed paullo longius : atqui et in ipsis *custodiæ* fuerunt, et has adjungit. Nos in Militia, lib. 5, Dialogo 8. Lips.

Ii vigiliis, stationibus, custodiis. Sic a Lipsio correctus locus. MS. et alii corrupte *in vigiliis. In vigiliis etc. se inserere* dici nullo modo potest. Vid. dicta de *ubi* ad c. 22. Lipsius posuit in margine : recepit

custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. « Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vibulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique, pro Neronibus et Drusis, imperium populi rom. capessent? quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam sumus! Tarda sunt, quæ in commune expostulantur : privatam gratiam statim mereare, statim recipias. » Commotis per hæc mentibus, et inter se suspectis, tironem a veterano, legionem a legione dissociant. Tum redire paullatim amor obsequii : omittunt portas; signa, unum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt.

XXIX. Drusus, orto die et vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat præsentia : negat « se terrore et minis vinci : flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scrip-

Pichena, quem secuti sumus. Ern.

Denique pro N. Denique h. l. pro, ut paucis absolvam, dici recte monet Freinshemius. Sic sæpe esse apud omnes scriptores, hodie notissimum est. Ern.

Ut novissimi in culpam. Hoc accipiendum, quasi ad meliores militum dictum. Etsi enim omnes rebellaverant; non æque prompte et quidam secuti magis, quam ducentes. Hos nunc excitat. Lips. Tirones a veteranis concitatos. Ii maxime in vigiliis. Accurate monuit Freinsh.

Tironem. Intelligit qui stipendia nondum complessent, abjunctos ab iis, qui sub vexillo veterani. Lips.

Nobilitate ingenita. Culpavi; nec nunc omnino capio, nisi quod videtur simile illi dicto apud Lucan. 8, 323... *quos Lentulus omnes Virtutis stimulis, et nobilitate dolendi Præcessit.* Hinc apud Claudianum de bello Get. 376..... *mista sed nobilis ira.* In quibus plus scilicet aliquid intelligitur, quam dicitur. Lips. Intellige ferociam quandam et pervicaciam, ut supra appellat Tacitus, quæ non cedat periculo, non timeat libere dicere, quæ sentiat : qualis esse solet in hominibus magnæ nobilitatis. Ern. — * Grut. Suspic. critic. l. 10, §. xvi, in Misc. nov. Lips. v. 3, p. 518, suspicatur *vocalitate ingenita.* Exempla Lucani et Claudiani non sunt stomacho ejus fovendo.

turum patri, ut placatus legionum preces exciperet. » Orantibus, rursum idem Blæsus, et L. Apronius, eques romanus e cohorte Drusi, Justusque Catonius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii, « opperiendos legatos atque interim comitate permulcendum militem, » censerent: alii, « fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat, adjiciendos ex duce metus, sublatis seditionis auctoribus. » Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici jubet. Tradunt plerique, intra tabernaculum ducis obrutos: alii, corpora extra vallum abjecta ostentui.

Exciperet. Legitima ratio postulat *excipiat;* et sic Tacitum dedisse credo. Vulgatum est a librario langobardico vel germanizante. Ern. Hoc probat Croll. Haud dubie nimis insolens h. l. videtur imperfectum; non tamen ad Taciti mentem.

E cohorte Drusi. Int. *cohortem amicorum,* quos secum duxerat de more Drusus: *comites* alias vocantur. Sic Germanici comites et amici Ann. 3, 13: in quibus Vitellius fuit et alii. Sed de his abunde dixi in Excurs. XV ad Sueton. Ern.

Justusque... centurio. Credo eum esse, qui postea prætorii præfectus, imperante Claudio, et Messallinæ fraude interfectus. Suadeo legas Dionem, 60, 18. De primo ordine, ego in Milit. libro 2. Lips.

Ex duce metus. Ne mutemus. Dictio est, quam amat Tacitus. Ita 2, 38; 11, 20. Agr. 16. A Sallustio sumpsit de re publ. ad Cæs. c. 1, extr. *Neque quemquam a multis metuendum esse, quin ad eum formido ex multis recidat.* Lips.

Obrutos. Sepultos, aut properata scrobi injectos. Vid. ad c. 61. Necatos esse, per se apparebat et ex antecedd.

Corpora extra vallum. Ut in oppidis animadversiones extra muros; sic et in castris extra vallum. Ideo corpora hic abjecta in eum locum, qui fuit extra portam decumanam, a castrorum tergo, uti ex Vegetio discas, 1, 23. Seneca de Ira, 1, 16. *Damnatus extra vallum deductus est, et jam cervicem porrigebat, cum subito apparuit commilito ille.* Hirtius de Bello africano, c. 46. *Sic extra vallum deducti sunt, et cruciabiliter interfecti.* Calpurnius Declam. 7, in ipso argumento: *Imperator corpora eorum extra vallum projici jussit.* Ejusdem sententiæ, quod idem Tacitus statim: *Convul-*

XXX. Tum, ut quisque præcipuus turbator, conquisiti: et pars, extra castra palantes, a centurionibus aut prætoriarum cohortium militibus cæsi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas præmatura hiems, imbribus continuis, adeoque sævis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quæ turbine atque unda raptabantur. Durabat et formido cœlestis iræ, « nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum, quam, si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo, suis quisque hibernis redderentur. » Primum octava, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus, « opperiendas Tiberii epistolas, clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione imminentem necessitatem sponte prævenit. Et Drusus, non expectato legatorum regressu, quia præsentia satis consederant, in urbem rediit.

XXXI. Iisdem ferme diebus, iisdem caussis germanicæ legiones turbatæ, quanto plures, tanto violentius: et magna spe, fore ut Germanicus Cæsar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta

sos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt. Lips.

Vix tutari signa. I. e. recta habere et servare in principiis, ubi defixa. Lips. Habitum hoc in diris. Flor. 3, 11, 3, ibique Duker. Quippe signa numina legionum erant.

Desolatus. Solus relictus, μονωθείς, ut glossæ vett. Lips.

Vi sua tracturus. Elegans est Freinshemii conjectura, et consentiens vocibus seditiosorum cap. extr.: *tracturis.* Sed et vulgata commodum sensum habet, ut bene jam monuit Ryckius. Ern. Sicut extr. hoc cap. *sua* ad milites spectat, ita hic quoque. Si ad Germanicum spectaret, tamen *sua vis* esset ea, quam ab exercitu mutuaretur; igitur non *sua*, sed *aliena*. Tam ambigue non loquuntur veteres; nec possunt hæc ex nostrarum linguarum vitiis judicari. Quare ut omittam, quantum legiones prævalentes suarum opum fiducia deceat (illa enim *magna spes* est militum), ad Lipsii et Freinshemii conjecturam ipsa constructio nos trahit vi sua. Et hanc conjecturam, quæ jam dudum sedem in textu me-

tracturis. Duo apud ripam Rheni exercitus erant : cui nomen superiori, sub. C. Silio legato; inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. Sed quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienæ speculabantur : inferioris exercitus miles in ra-
biem prolapsus est, orto ab unaetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus. Nam iisdem æstivis in finibus Ubiorum habebantur per otium aut levia munia. Igitur, audito fine Augusti, vernacula multitudo nuper acto in urbe delectu, lasciviæ sueta, laborum intolerans, impellere ceterorum

ruerat, malam dicit Broterius, mire laudans sui Pellicerii nugas, *in sua e. tracturus*. Conf. c. 35 med.

Agendo Galliarum censui. Censum accipies, non qualis Romæ, ut notæ saltem essent Gallorum facultates : sed ut ex modo census tributum penderent et vectigal. Quod cum in aliis provinciis servabatur (apud jurisconsultos titulo toto de Censibus) : tum in Gallia potissimum, ditissima provinciarum. Adde sis nostra in Excurs. *K*. Lips.

Ab undevicesimanis. In Germania inferiori, hac ætate ubique XXI legionem reperio, non XIX. Itaque hic et sæpius, repono, *Unaetvicesimanis*. Quæ vox remotior ab usu hodie, imposuit scriptorum vulgo. Adi, si placet, ad H. 1, 61. Notas. Lips. Pichena e MS. recte, quod conjecerat Lipsius, reposuit, firmaruntque ceteri, nisi quod dederunt vulgo *unaetvic*. extrita litera ea quæ una mendo fortasse caussa fuerat. Lipsianam scripturam merito præfert Brot., etiam c. 45, *unaetvicesimæ*. Vid. ad H. 4, 78.

Prima. De legione prima, cujus sæpe in hoc libro mentio, quæque in antiquo marmore *germanica* vocatur, vide, si lubet, erudite disserentem Bimardum in Originibus cularonensibus c. 5, t. 1. Thes. Inscr. Murator. p. 95 seqq. Ern.

* *Vernacula multitudo*. Alio sensu *legio vernacula* apud Cæsar. cap. 2, 20.

Nuper acto in u. d. Ante quinque circiter annos, nuntiata in urbe clade variana : cum quidem Romæ subitum militem Augustus conscripsit, ad tutelam ripæ Rheni : et plerosque e libertinis. Sueton., c. 25. Dio, 56, 23. Lips.

Impellere. Vulg. *implere*. Ernestii index explicabat *contagione imbuere*, nescio quo auctore : Wopkens. *exagitare*, *concitare*, laudatis quidem auctoribus, sed parum validis. Aures seditiosorum *implere*, animos *impellere*, latinum est. Itaque verissimam emendationem Acidalii, quæ cuivis ex c. 16 in mentem venerit, libenter reduxi in sedem suam.

rudes animos : « Venisse tempus, quo veterani maturam missionem, juvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur. » Non unus hæc, ut pannonicas inter legiones Percennius, nec apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque : « sua in manu sitam rem romanam; suis victoriis augeri rem publicam; in suum cognomentum adscisci imperatores. »

XXXII. Nec legatus obviam ibat : quippe plurium vecordia constantiam exemerat. Repente lymphati destrictis gladiis in centuriones invadunt (ea vetustissima

Unus hæc.... Percennius. Mutavi interpunctionem, ne sit *unus Percennius*, nomen propr. pro appellativo. Oritur hinc acumen quoddam, quod dubito an sit veterum linguarum.

In suum cognomentum. Si ad sua tempora Tacitus respexit, clara res : omnes enim post Tiberium fere imperatores cognomen sumpserunt a pugnacissima gente. At quid est, quod hic milites in eo glorientur, nisi a divini et præscii futurorum? Nam ad hoc ævi solus Drusus et Germanicus cognomine illo usi, ex decreto, quod apud Dionem habes 55, 2, et, si quisquam ex imperatoribus, solus certe Tiberius. Sed correctione explico me, et omnino scrib. censeo, *adscisci imperaturos*. Idque verum, cognomento illo insignitos eos, qui in spe principatus. Præter dictos, ecce Vitellius imp. *filium sinu retinens Germanicum appellavit*. H. 2, 59. extr. Lips. Dissentiunt Salinerius, Freinshemius, Ryckius : et *imperatores* intelligunt duces exercituum, qualis Drusus olim, post Tiberius, tum Germanicus : quibus nomen imperatoris datum; quod etiam Germanico passim tribuit Tacitus. Quæ mihi adhuc commodissima ratio visa est. Sensus erit : Qui imperatores fiant, exercitui germanico maxime præfici, ut Germanicorum cognomen accipiant, veluti omnium gloriosissimum, sive, hoc maxime cognomen petere ac sumere. Ceterum vid. inf. 2, 26. Latinitas durior est, et mire dictum in *alicujus cognomen adscisci* : sed tamen et supra c. 8., *Livia in nomen Augustæ adsumebatur*. Ern. Ibi forma lenitur zeugmate. Sed conf. 2, 60. Ad gloriationem satis erat, adhuc duos tres duces ita appellatos fuisse. Militi militaris usus nominis conveniebat. Quid de vocabulis mutetur Romæ, isti non curant : et quando illic *imperator* usurpari cœpit pro *principe*? Conf. Lamprid. Severo c. 4., init. Germanico exercitui superbia creverat ex eo, quod duces tum a nulla gente præterquam a Germanis cognomentum sumpserant.

militaribus odiis materies, et sæviendi principium), prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent. Tum convulsos laniatosque et partim exanimos ante vallum aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius cum perfugisset ad tribunal, pedibusque Cæcinæ advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chærea, mox cæde C. Cæsaris memoriam apud posteros adeptus, tum adolescens et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum præfectus jus obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia præsens usus indixerat, ipsi patiebantur. Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, nec paucorum instinctu, sed pariter ardesce-

14. *Quod neque disjecti. Distracti*, corrigunt viri summi. Sed id tantumdem est. *Disjecti* ponuntur pro separatis ac dispersis. Infra c. 50, *adeo incuria cuncta disjecta erant.* Apposite Hist. 3, 69., *suo quisque metu, ne disjectos, eoque minus validos, Vitelliani consectarentur, cunctantem in arma impellebant.* Ann. 2, 45., *diriguntur acies, non vagis incursibus aut disjectas per catervas.* 4, 46., *At tum rumor incesserat fore, ut disjecti aliisque nationibus permixti, diversas in terras traherentur.* 3, 2., *magna pars populi viam complevere disjecti, et ut cuique libitum, flentes.* Vita Agric. c. 20., *ubi æstas advenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disjectos coercere.* Ann. 2, 61., *disjectæ et vix pervias arenæ.* Et ita passim noster. Valer. Max. 8, 14. Ext. 5., *ut nomen ejus per totum terrarum orbem disjiceretur.* Nisi scribendum illic, *dideretur.* Piget plura conferre.

Prostratos. Ex more fustuarii. Vid. Casaub. ad Suet. Tib. c. 60. Ante hoc parenthesin feci *Ea.... principium.*

Verberibus mulctant. Malim *mulcant*, in hac significatione, Cicero pro Mil. c. 14; Liv. 29, 9; 8, 24; 26, 12. Quibus locis omnibus *multare* non æque placet. Lips. Idem in MS. repertum recte recepit Pichena et Gr. De verborum *multare* et *mulcare* permutatione frequenter actum a criticis. Ern.

Sexageni singulos. In legione plena, sexaginta centuriones. Dionysius Halic. 9, 10, et Vegetius: ego plene in Militia 2, 5—8. Lips.

Tum adolescens. Admodum 30 annorum et amplius. Quum Caligulam occideret, senior dicitur Suet. Calig. c. 56.

Nil qui paucorum instinctu. Rhenano placet, *vel paucorum.* Nec sperno. Lips. Hoc quidem palam est, non respondere inter se τὰ *neque* et

rent, pariter silerent: tanta æqualitate et constantia, ut regi crederes. Interea Germanico, per Gallias, ut diximus, census accipienti, excessisse Augustum, adfertur.

nil; nihiloque magis τὰ *neque* et *vel* (quod placebat Rhenano). Sed qua in voce mendum sedeat, videndum. Nihil illos offendit τὸ *disjecti*, quod me maxime. Qui enim disjecti? Sparsi, inquit Aurelius. Et hæc quidem vis vocis: sed an Pannonii magis sparsi? immo mox e sparsis adunati. Tale autem quid dixisse Tacitus videtur, quod in Pannoniis fuisset, et tumultum eorum minus me tuendum reddidisset. Quemadmodum *paucorum instinctu*: eo enim Percennius et Vibulenus significantur. Quid moror? Taciti manus fuit: *quod nusquam distracti, nil paucorum instinctu*, hoc est, nullo loco, nulla in re discordes. Balbus ad Ciceronem, Epp. ad Att. 8, 15: *ut Cæsarem et Pompeium perfidia hominum distractos rursus in pristinam concordiam reducas*. Noster, 4, 40: *si matrimonium Liviæ velut in partes domum Cæsarum distraxisset*. Varro apud Non. 4, 138: *Distractione civium elanguescit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit et consenescere*. Atque hinc Germaniciani formidabiliores. Nam Pannonii subinde distracti: ut cum *depulsi æmulatione*, c. 18. Cum *ferrum inter se parabant ob centurionem, cognomento Sirpicum*, c. 23. Gron. Sed *disjectus* idem est, quod *distractus*, eoque verbo sæpe utitur noster, ut jam monuit Heinsius. Ego probem Rhenani conjecturam: *quod neque disjecti vel paucorum instinctu*, cum Pichena et aliis: quam recepit Ryckius. Non semper post *neque* sequitur *neque* vel *nec*, ut sæpe monuerunt viri docti, sed etiam *vel*, *aut*: v. Bentlei. ad Horat. Epod 16, 6: item *et*, *ac*, ut contra Bentleium docet Burman. ad Ovid. Met. 3, 492. Atque Tacitus permultis locis usitatiorem particularum consecutionem, veluti data opera, negligit. Sic 3, 54, *neque mihi, aut vobis usui futuras*. Ern. *Aut* munus negandi sustinere (nam vim per se non habet), ab omnibus, et recte, concessum est. Verum an simplices copulæ *et*, *ac*, eundem usum habeant, dubitatur, Burmannoque et aliis hac in re se opponit Ruhnken. ad Velleium, 2, 45., Bentleium sequens. Neque vero Bentl. id, quod volebat, plane demonstrasse videtur, et erunt qui victum putent uno adversarii Johnsoni exemplo ex Ovid. Met. 10, 92 sqq. cui similia quamlibet multa addi possint. Sed proprietatem si sequimur, his copulis ista negandi vis non nisi tum tribuitur, quum unius aut paucorum nominum adjectio et velut appositio fit, non quum integræ enuntiationes inferuntur cum verbo novo. Neque in his simillimæ significationis particulis non apparet usus quidam legitimus, qui aliam magis frequentet alia. Ita disjunctivam *vel* negare, paucissimis exemplis doceri poterit. Prætuli ergo *nec*, Grotii conjecturam; ac video jam, eandem placere Wopkensio. *Nil* omnino falsum duco, quia non coit cum proximis verbis, nec apte pendet aliunde. Est enim: quod non *sparsi*, *non impulsu paucorum agerent*. Pro *sparsis*, *distractis* jam Pompeius M. *disjectam manum* dixerat, opp. *con-*

XXXIII. Neptem ejus, Agrippinam, in matrimonio, pluresque ex ea liberos habebat. Ipse Druso, fratre Tiberii, genitus, Augustæ nepos: sed anxius occultis in se patrui aviæque odiis, quorum caussæ acriores, quia iniquæ. Quippe Drusi magna apud populum rom. memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus, unde in Germanicum favor et spes eadem. Nam juveni civile ingenium, mira comitas et diversa a Tiberii sermone, vultu, adrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis; atque ipsa Agrippina paullo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

XXXIV. Sed Germanicus, quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos et Belgarum civitates in verba ejus adigit. Dehinc, audito legionum tumultu, raptim profectus, obvias ex-

15. *Indomitum animum.* Puto *indomita animi*, ut *erectus et fidens animi.* 4, 59; *lætus animi.* 2, 26; *incertus animi.* 6, 46. Posses et *indomitus animus*, vel *indomito animo in bonum vertebat*, pro vertebatur. Vide Rhenani notas ad Ann. 11, 37. et nostro hoc familiare in primis. Sic 6, 46., *ne nomen Cæsarum in ludibrium verteret.*, quod ibi asseruimus.

junctis, seu *constructis copiis* in Epist. ap. Cic. ad Att. 8, post 12.

Census accipienti. Ea forma sermonis jurisconsulto dicta *legatio ad census accipiendos.* c. 1. D. De muneribus et honoribus. Lips.

Quia iniquæ. A virtutibus ejus ortæ. Invidebant, et erectum ingenium timebant. Lips. *Acriores* caussæ sunt validiores. *Pertinaciores nos facit iniquitas iræ*, Seneca de Ira, 3, 29. Alte repetita sententia, in quam scite commentatur Muretus.

Credebaturque, si rerum. Immo prodita a Tiberio ejus epistola est, qua de cogendo ad restituendam libertatem Augusto agebat. Quæ una caussa necis pio in patriam juveni, sed infelici. Sueton. in Tib. c. 50. Lips. Conf. 2, 82, et Suet. Claud. c. 1.

Castitate. Qua unum maritum amabat suum. Per se castitas ferociam domare non potest; nisi ea virtute et moderationem et ceteras omnes muliebres virtutes contineri dixeris. Sed prius videtur verius, et *amore mariti* quasi explicationis caussa additum.

tra castra habuit, dejectis in terram oculis, velut pœnitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri cœpere : et quidam, prensa manu ejus, per speciem exosculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret : alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, « discedere in manipulos » jubet ; « sic melius audituros responsum : vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes. » Tarde obtemperavere. Tunc « a veneratione Augusti orsus, flexit ad victorias triumphosque Tiberii, præcipuis laudibus celebratis, quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiæ inde consensum, Galliarum fidem extollit ; nil usquam turbidum, aut discors. » Silentio hæc vel murmure modico audita sunt.

Exosculandi. Hæc est cod. et antiqq. editt. scriptura, non *osculandi*, quod, nescio quare, Lips. invexit. Illud recte tuetur J. Gron. et dedit Brot. Conf. H. 1, 4, 5.

A veneratione Augusti orsus. Ita capit hæc verba Aurelius, ut Germanicus initio orationis oculos conjecerit in imaginem Augusti signis affixam, quam sit veneratus genu flexo, et manu ori admota, mox orsus sit proloqui. Sed sic possunt accipere, qui nesciunt, quid Tacito et aliis sit *veneratio* : et certe id non omnes sciunt. Usurpant autem eam vocem pro ea, quam noluerunt dicere *venerabilitatem* : ut *veneratio Augusti* non sit actio aliorum circa eum, sed ipsi insita dignitas vel majestas. Sic 12, 41, *qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, augebat venerationem feminæ*. De Agrippina loquitur. Seneca ad Polyb. c. 21, *qui munere fortunæ tantam venerationem receperat, ut felicitas ejus effugeret invidiam*. Justinus de cohorte Alexandri, 13, 1., *ejus virtutis ac venerationis erant, ut singulos reges putares*. Ergo *a veneratione Augusti orsus*, est, orsus dicere de magnitudine ac majestate illius principis. Gron.

Quæ pulcherrima fecisset. Credo, Tacitum dedisse *pulcherrime*, quæ in hac phrasi est legitima ratio. Scio, ab ea discessisse paulatim scriptores latinos ; sed etiam, librarios eam mutasse, quod a suæ linguæ indole discreparet. Ern. Errat, ut puto. Tenue discrimen est. Si *recta, strenua* vel simile quid esset, concederem. Sed ut rem *strenue* facere dicimus, ita non dicimus *pulchre* : et *pulchrum factum* magis in usu est quam *pulchre facere*, in illa certe significatione. Ad hoc etiam exquisitior est vulgata.

XXXV. Ut seditionem attigit, « ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinæ decus? quonam tribunos, quo centuriones exegissent? » rogitans: nudant universi corpora, « cicatrices ex vulneribus, verberum notas » exprobrant: mox indiscretis vocibus « pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, » ac propriis nominibus incusant « vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus, » et si qua alia ex necessitate aut adversus otium castrorum quæruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur; qui tricena aut supra stipendia numerantes, « mederetur fessis, neu mortem in iis-

16. *Aut adversus otium castrorum quæruntur.* Immo *queruntur:* nempe lignorum adgestus et similia, querebantur milites, quare post τὸ *castrorum* distinguendum. Sequentia, *neu mortem in iisdem laboribus,* videntur mutilata.

Universi. In cod. et ante Lips. erat *universa.* Etiam hoc repetit Gronovius, filius. Patri, opinor, Lipsius egregie conjecisse videbatur.

Exprobrant. Non, opinor, verbis, aut quo Germanico objicerent, sed ostendunt invidiæ faciendæ causa et ostendendo exprobrant. Sic est etiam supra, cap. 18, init. Vid. loçum Lucani mox allatum a Lipsio. Ern.

Pabuli.... adgestus. Dan. Heinsius, l. c., vix dubitabat, esse glossam e margine textui insertam vocem *lignorum,* vocis *materiæ* interpretationem. Ryckius autem per *materiam* trabes ingentes, per *ligna* virgulta, vimina, etc. Contra Oudendorp. ad Sueton. Ner. 33, *materiam* de lignis dici docet, e qua sepes vel vallum fiat. Possis etiam *materiam* latius capere ut lapides contineat, sternendis viis: sed illa materia non in castra congeritur, de quibus tamen sermo. Optimum fuerit, *materiam* capere de lignis ad struendum vallum et ædificandum, etc., *ligna* intelligere, quæ ad coquendum, ignes nocturnos necessaria sint. Ern. Nota est Ulpiani distinctio in Digg. 32, 1, 55. Conf. Buchneri not. ad Plin. Epp. 10, 50, 2.

Adversus otium castrorum. Seneca, ep. 18, med. *Miles in media pace decurrit sine ullo hoste, vallum jacit, et supervacuo labore lassatus, ut sufficere necessariis possit.* Liv. 39, 2. Vopisc. Probo, c. 9. Hæc *opere, imperio, labore, manu militari* facta dicebant. Conf. Suet. Aug. c. 18; Plin. 11, 29; Quinctil. I. O. 2, 13, 16. Servius ad Æn. 8, 652, de Gallis urbem tenentibus: *adeo ut quæ incendere non poterant, militari manu diruerent,* usus in hostium opere verbo romano. Gron.

Mederetur fessis. Similia Juliani milites, in seditione apud Lucan. 5, 274., *jam respice canos,* etc. Lips.

dem laboribus, sed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem » orabant. Fuere etiam, qui legatam a divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus; et, si vellet imperium, promptos os-

17. *Promptos ostentavere. Promtas* liber mediceus, an *promta?* prompta omnia, id est res promptas ostentavere. Ann. 12, 12., *vocante Carrhene, promptasque res ostentante.* Ibid. c. 1, *suam quæque nobilitatem, formam, opes contendere, ac digna tanto matrimonio ostentare:* ubi frustra *dignas* vir summus.

Neu mortem in iisdem laboribus. Hæc Heinsio vitiosa esse, fortasse concedam; et putavi aliquando sic emendari posse: *neu morerentur:* orabant, ut mederetur fessis, neu sineret se mori in hac tam misera vitæ conditione. *Oro te, ne moriar* breviter dictum, pro, oro te, ne sinas me mori. Particula quidem *neu* necessario verbum requirit, eaque si est a Tacito, aut *morerentur* legendum, aut excidit *obirent*, aut simile. Etiam vulgatum defendi et explicari potest, si pro *neu* legamus *nec*. Qui dixit, *neque inopem requiem orabant*, pro orabant, ne sineret, requiem sibi a militia esse cum inopia conjunctam, idem etiam non dubitavit, ut opinor, dicere, *nec mortem in iisdem laboribus orabant*, h. e. ne se ad mortem usque iisdem laboribus vexari sineret, ne mors se in istis laboribus opprimeret. Sed prius, ut opinor, melius. Ceterum *neque inopem requiem* intelligendum, *et non inopem requiem*. De hoc usu τοῦ *neque* aliquot locis J. Fr. Gron. in Observatt. Ern. *Neu* legitimum est in prohibitione (quippe alius generis est *neque*, ut bene docet Ernest.), nec ellipsis verbi durior hic quam, c. 7, *ne læti, etc.* Mollit eam post tria substantiva, *mortem, finem, requiem*, illatum *orabant*, neque erat verbum, quod cum illis tribus commode jungi posset, v. c. *daret*. Quod ille conjecit aliquando, multo est durius hac omissione.

Faustis.... ominibus. An vero, *nominibus?* Sic quidem Sueton. c. 13, de Caligula: *Densissimo et latissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina, sidus et pullum et pupum appellantium.* Fausta nomina sunt, Di te servent Auguste, Imperator, Princeps, Felix, Victor, aliaque ab adulatione vulgi nata. Dio quidem ab hac lectione est, 57, 5. Τόν τε Τιβέριον, inquit, ἐκάκηγόρησαν, καὶ τὸν Γερμανικὸν αὐτοκράτορα ἐστεκάλεσαν. Lips. Ovidius, 12, 218., Metam. *Felicem diximus illa conjuge Perithoum, quod pæne fefellimus omen.* Et alibi, *et reddidit omina votis*, de salutantibus inter se. Nec aliter Sueton., l. c., *super fausta omina*, non *nomina*. Gron. *Faustum* et nominum et ominum epitheton est. At ἄκυρον est *nomen in* aliquem; et in ipsis nominibus sunt omina.

Et, si vellet imperium. Id Velleius, 2, 125., ita exprimit: *Defuitque, qui contra rem publ. duceret, non, qui ducerentur.* Nec alio fine legata petunt: tanquam illum scilicet habeant pro herede. Lips.

Promptos ostentavere. Varie ten-

tentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit. Opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regredcretur. At ille, « moriturum potius, quam fidem exueret, » clamitans, ferrum a latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent. Extrema et conglobata inter se pars concionis, ac, vix credibile dictu, quidam singuli, propius incedentes, « feriret, » hortabantur: et

18. *Quidam singuli propius incedentes.* Immo *quidam et singuli propius incedentes*, hoc est, exhortantes. Sic Ann. 2, 13., *incendit ea contumelia legionum ira.* C. 82, *hos vulgi sermones audita mors (ejus) incendit.* Infra c. 47, *ne postpositi contumelia incenderentur*, atque ita passim. *Accendere offensiones* similiter, Ann. 2, 57. Primo agit de extrema concione, mox de singulis, qui propius adstabant. Possis et *intendentes.* Vide nos infra 4, 47.

tatus locus in voce *promptos*. Alii *promptas*, i. e. legiones, volunt e cod. mediceo : Heinsius, *prompta*, i. e. res promptas. Ego vulgatum *promptos* probo (* sic et Wopkens.), intellectu τοῦ *se* : sic mox : *at ille, moriturum potius* : et sic sæpe. Neque enim legiones, sed se promptos ostendebant. Verum aliud est in hoc loco, quod medelam desiderare videtur. Primum, quid *faustis in Germanicum ominibus* cum flagitatione pecuniæ sibi legatæ ? Deinde *ostentavere* non potest pendere a *fuere*. Igitur aut sic legam : *Fuere etiam, qui.... reposcerent, et, faustis in G. ominibus, si vellet imperium, promptos ostentarent.* Aut mutata interpunctione, sic : *Fuere, qui.... reposcerent. Et, faustis in G. o. .... ostentavere.* Ern. Apud Ciceronem hæc constructio offensionem haberet, non apud Tac. Ceterum si cui *promptos* mancum videtur, lenem medelam habet, *et se, si v. imperium*. Nec eam tamen ipse probarim.

Ferrum a latere. Recte *a latere*. Nam mos priscus gladium ex humero suspendere, et dimittere ad latus. Homer. Iliad. β, 45. Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον. Odyss. β, 3. .... Περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θοὸν βάλετ' ὤμῳ. Conf. Virg. 8, 459; 11, 1. Nec id heroum modo seculo, sed obtinuit postea : atque adeo apud Romanos. Claudian. de laud. Stilic. 2, 91. *Gestatosque puer scapulis radiantibus enses.* Et Germanos. Windichindus : *Subnixi stabant* (Saxones) *parvis scutis, habentes ad renes cultellos magnos.* Ad renes enim (ut ejusmodi scriptorum atticismus est) valet ad latera. Lips.

Quidam.... incedentes. Sic quoque auctor infra, c. 61, *incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes.* Immo et Cicero de Invent. 2, 14., *Facilius autem ad inventionem animus incedet, si gesti negotii et suam et adversarii narrationem sæpe et diligenter pertractabit.* Gron. Conjecerat Muret. *accedentes*. Sed

miles, nomine Calusidius, strictum obtulit gladium, addito, « acutiorem esse. » Sævum id malique moris etiam furentibus visum : ac spatium fuit, quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur.

XXXVI. Consultatum ibi de remedio. Etenim nuntiabatur, « parari legatos, qui superiorem exercitum ad caussam eandem traherent : destinatum excidio Ubiorum oppidum : imbutasque præda manus, in direptionem Galliarum erupturas. » Augebat metum gnarus romanæ seditionis, et, si omitteretur ripa, invasurus hostis; at, si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi : periculosa severitas; flagitiosa largitio; seu nihil militi, sive omnia concederentur, in ancipiti res publica. Igitur, volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolæ, nomine prin-

19. *In ancipiti respublica. Rempublicam* scil. fore. Quæ et præcedentia castigandæ locum, *periculosam severitatem, flagitiosam largitionem*, ut ad superiora referatur, *augebat metum*. Sic 4, 30., *irritas leges, rempublicam in præcipiti conquestus*.

gravius est *incedere*, Tacito etiam usitatius. Vide indicem.

Spatium fuit. Adstabant milites attoniti. Id fecit, ut ne furentes quidem illico sentirent Cæsarem abductum.

Oppidum Ubiorum. Intelligunt coloniam Agrippinæ, caput Ubiorum. v. Cellar. G. A. t. I. p. 262. Ern.

At, si auxilia. Primum observent tirones abruptum loquendi genus : *ac civile bellum suscipi*, pro, *et, quod intelligebant, civ. b. s.* Deinde subita commutatio orationis obliquæ in rectam : *periculosa severitas*, etc., cujus etiam apud Livium exempla deprehendi. Itaque non necesse cum Heinsio in accusativos mutare nominativos. V. ad 12, 64. (* Wopkens. eos nominativos refert ad *augebat*.) Ac, ne quis putet, pro *concederentur* legendum esse *concedantur* : dicitur, pro *concessa fuerint*, quomodo et alibi imperfectum ponitur. Ern. Male adhuc servatum est Pichenæ vitium *ac*, a Freinshemio jam mutatum. Ita Beroald. et reliquæ vett. et Lipsii omnes.

In ancipiti res publica. Quia sic in unico libro est, concedo. Alioqui facile, *re publ.* quod habebant editi, tueare; nam quemadmodum *in ancipiti res publica* dicitur intellecto verbo *erat*, sic *in ancipiti re publ.* juxta belle dicitur intellecto ejusdem verbi participio, *futura*. Gron. Hoc dubito an belle. Inde a verbis *peric. sev.* intell. *videbatur*, quod in supe-

cipis, scriberentur : « missionem dari vicena stipendia meritis; exauctorari, qui senadena fecisseut, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis : legata, quæ petiverant, exsolvi duplicarique. »

XXXVII. Sensit miles, in tempus conficta, statimque flagitavit. Missio per tribunos maturatur : largitio differebatur in hiberna cujusque. Non abscessere quintani unaetvicesimanique, donec iisdem in æstivis, contracta ex viatico amicorum ipsiusque Cæsaris, pecunia

20. *Non abscessere quintani.* An *non adsensere?* nempe conditioni supra propositæ de missione aliisque.

rioribus latebat. Nunc in postremis nova commutatio orationis inepta esset, etiamsi nulla esset ambiguitas.

Legata quæ petiverant. Recte ergo in Suetonii Tib. c. 48, scriptum : *Militi, post duplicata ex Augusti testamento legata, nihil unquam largitus est.* Ubi male Beroaldus *publicata.* Lips.

In hiberna.... abscessere. Malebam : *in hiberna usquam :* sed Josiæ Merceri, amici olim nostri, verissima lectio et distinctio : *Largitio differebatur in hiberna cujusque.* Nam in castris æstivis junctim legiones habebantur, in hibernis singulæ seorsim. Volebant ergo differri, et interim divelli : sed miles fraudem suspicatus abnuit. Lips. Quod ingenio assecutus est Mercerus, in cod. Med. reperit Pichena. Itaque receptum in textum. Ern.

Non... unaetvicesimanique. Sic interpretor immotam priscam lectionem. Cum acquiessent primani et vicesimani, tardum fuit quintanis unaetvicesimanisque exspectare, donec in hiberna veniretur ideoque occlamitaverunt minitabundi, non se vestigium moturos, non in officio futuros, nisi et numi repræsentarentur : nec destiterunt tumultuari, donec concederet Germanicus. Hoc cum extorsissent duæ legiones improbæ, si non necessario, at prudenter placuit, ut modestioribus et moram passis ultro par honor haberetur; ne illi videntes contumaciam furoris sociis profuisse, rursus exasperarentur, et male obrutum incendium resurgeret. Gron. Extorserunt eam pecuniam in ipsis æstivis quintani et unaetv. (turbarum concitores pervicacissimi, c. 31, 45). Hi abscedere recusabant, quum jam per ceteros mora non erat. Si quid offendit, hoc est, quod continuo fisci rapti memorantur tantum in I et XX legg. Sed id eo fit, quia harum discedentium prior mentio occurrebat. Illæ autem quum poscerent largitionem, non tam pro se quam pro communibus commodis loqui putandæ sunt.

Ex viatico amicorum, etc. *Viaticum* h. l. non accipiendum de pecunia ea, quæ de publico attribuitur in

persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Cæcina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti inter signa interque aquilas veherentur. Germanicus, superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiamdecumam et sextamdecumam legiones, nihil cunctatas, sacramento adigit. Quartadecumani paullum dubitaverant: pecunia et missio quamvis non flagitantibus oblata est.

XXXVIII. At in Chaucis cœptavere seditionem præsidium agitantes vexillarii discordium legionum, et præsenti duorum militum supplicio paullum repressi sunt.

bellum, provincias ituris, ut apud Ciceronem: saltem non sola: sed ea, quam secum quisque sumpsit, non modo ad certas necessitates, sed etiam ad fortuitas. Ern.

Cum fisci de imperatore. Tangit non dubie morem priscum, quo pecunias solitum deponere ad signa. Ii enim militares dii, id templum. Veget. 2, 20. Suet. Domit. c. 7. Lips.

Legiones nihil cunctatus. Immo, *cunctatas*. Uti ad legiones ipsas referas. Lips. Ac sic e MS. restituit Pichena, probatque Heinsius. Ern.

At in Chaucis.... et præsenti. Non bene hæc cohærere videntur, nec apta consecutio particularum, aut Tacito usitata, qui sæpe transitionem alias per *at* facit. Videtur dicendum fuisse: *At i. C. cum cœptavissent.... legionum, præsenti*, etc., aut simili modo. Forte scripsit Tacitus: *Et in Chaucis.... at* vel *sed præsenti*, etc. Video tamen et alibi durius per *et* consequentia antecedentibus subjici, ut infra c. 60: *unde major Cæsari metus: et Cæcinam.... mittit.* Ern. *At* in Chaucis *quoque* turbatum est a vexillariis. Nam etiam post varianam cladem in interiore Germania præsidia erant relicta, Chaucique socii in primis constantis fidei. Interjectum *et* egregie exprimit facilitatem et celeritatem rei.

Vexillarii discordium legionum. De vexillariis, ne justo longior nota fiat, dicemus separatim, ad calcem operis. Ern. Ad quatuor vel quinque conjecturas de hoc genere militum accessit nuperrime nova, a reliquis paullo longius recedens, nec tamen per se improbabilis, Gallici interpretis, Lamalli. Hic suspicatur milites fuisse *primæ centuriæ*, apud quam vexillum cohortis servabatur; ex ea centuria ad graviores casus interdum delectus factos et ad expeditiones missos esse, qui vexillarii dicerentur. Sperlingius putabat, auxiliares esse *vexillarios*. V. epistolas ejus et Cuperi amœbeas apud Polenum Suppl. Thes. Ant. t. 5, p. 98 et 107. Cf. et Ernesti Exc. ad h. l.

Jusserat id Mennius, castrorum præfectus, bono magis exemplo, quam concesso jure. Deinde, intumescente motu, profugus repertusque, postquam intutæ latebræ, præsidium ab audacia mutuatur: « non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari. » Simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et, « si quis agmine decessisset, pro desertore fore, » clamitans, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos.

21. *Mennius castrorum præfectus.* Forte, *M. Ennius.* Sic 3, 70., *L. Ennium equitem habes.* Et *Enniam Macronis uxorem.* 6, 45. Et ita 3, 49., *Clutorius* pro *C. Latorius.* 13, 22., *Panteius* pro *P. Anteius.* 12, 7., *Talledius* pro *T. Alledius.* Forte etiam hic *Menenius* posset legi.

Bono magis.... jure. Soli enim illi jus plectendi militis, qui exercitus rector. Et Augusti quidem instituto (quod apud Dionem, 53, 13)., solis proprætoribus, sive legatis Augusti, quos gladio succinxerat, id jus fuit: postea etiam proconsulibus: universisque provinciarum rectoribus, ex lege VI. De off. præsid. Saltem, ut punirent milites gregarios. leg. IX. De custod. reorum: *Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.* Lips. Ego accipio: magis opportune atque utiliter, quam legitime et ex disciplina. Nam imitationem si cogites, *exemplum malum* erat, præsertim militiæ, gladio quemquam uti, cui jus utendi non est, vel in usum publicum. Unde illud Galbæ: *commilito, quis jussit?* Hist. 1, 35. Et inde ausus L. Otho imperatoris pater *milites quosdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpositos suos, quasi defectionis adversus Claudium auctores, occiderant, capite punire, et quidem ante principis se coram, quamvis ob id ipsum promotos in ampliorem gradum a Claudio sciret,* quo facto gloriam eam auxisse testis Sueton. Oth. c. 1. Eodem pertinet Velleii, 2, 47., cum Clodium a Milone jugulatum ait, *exemplo inutili, sed facto salutari rei publicæ.* Hic respexit ad imitationem. At Tacitus *bono exemplo* non dixit pro re imitanda, sed simpliciter pro *bene:* quemadmodum Juvenal. 13, 1. *Exemplo quodcunque malo committitur.* H. e. male aut perperam. Bene autem factum interpretatur ob utilitatem præsentem. Gron. Rectissime: *Exemplum* est factum, facinus, non simpliciter tamen, sed quoad vel alii imitari possunt, etsi non debent, vel exemplum fit, quod intuentes alii, quid fugiendum, quid timendum sit, intelligunt. Est h. l. etiam respectus ad supplicium, quod *exemplum* vocari Latinis, posteriori de causa, notissimum est. Ern.

XXXIX. Interea legati ab senatu, regressum jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones, prima atque vicesima, veteranique, nuper missi sub vexillo, hiemabant. Pavidos et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, qui irrita facerent, quæ per seditionem expresserant : utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatusconsulti incusant : et nocte concubia vexillum, in

Ab senatu egressi. Sive placet, *digressi.* Vulgo est, *regressi* : sed falso, nequedum ulli missi. Intellegit legatos, vel qui a senatu decreti ad ferendam proconsulare imperium, de quibus supra : vel qui a Tiberio missi ad turbas sedandas, de quibus jam audierat. Hoc Dio, 57, 5., sentire videtur. Res sic videtur : sed ut aperte fabuler, *ab senatu digressi* vel *egressi*, haud satis placet : magis lectio florentini codicis, *legati ab senatu, regressum jam.* Ut a superiore exercitu regressum iterum ad aram Ubiorum velit, ibique conventum. Ac plurimum fortasse ibi, aut coloniæ Agrippinæ, agebat : quidni, vel in uxoris patriæque ejus gratiam ? Lips. Sic etiam Mercerus et Faernus conjecerunt. Recte recepit Pichena. Rutgers. V. L. p. 73, conj. *Roma egressi.* Ern. Infeliciter. *Regressum* recte legi, prodit particula *jam.* Infra c. 57, *legati a Segesta.*

Apud aram Ubiorum. V. ad c. 57. Ern.

Consulatu functum. Et quidem nuper. Consul enim fuit anno ante, cum C. Silio. Munatium illum esse, qui censor fuit anno 732, fuge credere. Non facile ætas fert ; non Taciti verba. Dixisset enim potius a præcipuo honore, *censura functum.* Filius, credo, ejus. Lips.

Nocte concubia vexillum. Quod vexillum ? illudne sub quo veterani habebantur ? non videtur. Non enim illi solum, sed duæ legiones in eadem culpa. Quarum signa aquilæque in castris, non in tabernaculo ducis. Refer ergo ad aliud vexillum, et observa ritum antiquum. Signum futuræ pugnæ, vexillum purpureum fuit, quod adservabatur merito in tabernaculo ducis, quia illi soli jus et arbitrium proponendi. Hoc insignite et κατ' ἐξοχὴν *vexillum* dictum. Docte glossæ veteres : Ῥούσιον φάρος, *vexillum.* At de more, Cæsar, B. G. 2, 20. De Bello Hisp. c. 27, Plutarchus formam ejus satis describit in Fabio, p. 182. C. Τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἐξέθηκεν. Ἔστι δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος. Quod Plutarchus χιτῶνα dicit, tunicam etiam Isidorus Orig. 19, 22. *Russata, quam puniceam vocant, nos coccineam. Hac sub consulibus Romani usi sunt milites, unde etiam Russati vocabantur. Solebat enim pridie quam dimicandum esset, ante principia poni* (vel-

domo Germanici situm, flagitare occipiunt: concursuque ad januam facto, moliuntur fores; extractum cubili Cæsarem, tradere vexillum, intento mortis metu, subi-

lem dixisset, *ante prætorium poni*, vel, *supra prætorium*; id enim verius) *quasi admonitio et indicium futuræ pugnæ*. Plutarchus iterum in Bruto, p. 1002. D. Ἅμα δὲ ἡμέρᾳ προύκειτο μὲν τῷ Βρούτου χάραξι καὶ τῷ Κασσίου σύμβολον ἀγῶνος, Φοινικοῦς χιτών. Non ergo simpliciter velum fuit, sed tunicæ forma. Mansit is mos ad tempora imperii labentis. Vid. Ammian. 27, 10. Hoc illud vexillum est, quod lymphati milites postulant, et cum eo jus scilicet cædis et armorum. Lips. Non possum subscribere viris doctissimis, quibus libenter assurgo. Quorsum enim signum pugnæ, ubi nemo hostis? postquam in hiberna jam concesserant? Sed jus cædis, inquit, postulant et armorum. Itane? armorum. Adversus quos? Legatos. At hi inermes. Cædis tamen, quorum? Eorundem. At etiam sacrosancti. An Germanicus, cum tandem, invitus licet, vexillum tradidit, simul jus dedit cædendi legatos? Dii meliora. Ego vero, *vexillum* intelligo, de quo legis hoc ipso capite: *Veteranique nuper missi sub vexillo hiemabant*: quod nacti erant, cum exauctorarentur. Hoc suspicabantur venisse, qui sibi ereptum atque suppressum irent, ab senatu legatos: ideo illud in sua potestate esse optimum rebantur. Etsi autem tot erant caligæ, tot millia clavorum, ut, quamvis hoc suppressum esset, quod acceperant, aliud renovato tumultu extorquere possent; tamen ipsum omen verebantur, si, modo quod accepissent, fieret irritum. Et facile subserviebant veteranis, qui sub signis manebant, quippe metuentes, ne, si veteranis auferretur vexillum, ab sese repeterentur numi eadem vi expressi. Gron. Unum hoc quærere libet, quare vexillum veteranorum in domo Germanici servatum sit, cum legiones signa sua in castris certo loco posita haberent? Idem etiam scrupulus Ferrarium urebat Elect 1, 3. Altera dubitatio ejus, cur unum tantum vexillum, cum duarum legionum veterani essent, nititur opinione ejus de vexillariis veteranis, de qua dicetur loco ante indicato. Ern. Prior dubitatio facile tollitur. Nam si fides veteranorum suspecta erat imperatori, eorum vexillum ei loco pignoris esse poterat, retentum in domo sua. Ac potest huc referri adjectio ipsa, *in domo G. situm*, quæ cur facta sit, in hoc sensu statim apparet. Sed tertium quendam scrupulum video in eo, quod audax facinus ne uno quidem verbo veteranis tanquam præcipuis auctoribus assignatur, quæ res alias omitti non solet. Quamobrem ad Lipsii rationem revertor, qua milites, insigne imperatorium sibi exposcentes, significant, se imperium detrectare, tum illud rapiunt, quo adversus ipsos uti primo quoque tempore posset. Ita vero hæc vexilli efflagitatio similis est auso, c. 18, quum tribunal exstruere et occupare conabantur.

Extractum cubili Cæsarem. Cave vim Cæsari factam cogites. *Extrahi*

gunt. Mox, vagi per vias, obvios habuere legatos, audita consternatione, ad Germanicum tendentes. Ingerunt contumelias: cædem parant: Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat. Neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis. Illic, signa et aquilam amplexus, religione sese tutabatur: ac, ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset (rarum etiam inter hostes), legatus populi romani, romanis in castris, sanguine suo altaria deum commaculavisset. Luce demum, postquam dux et miles et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, recipitque in tribunal. Tum « fatalem increpans rabiem,

dicuntur etiam, qui strepitu aut alia re commoti, surgunt e lecto, progrediuntur. Dicuntur etiam *exciri*. Liv. 1, 7. *Evander concursu pastorum trepidantium excitus*. Ern. At fores molientium necemque minantium audacia Lamallo incredibile facit vim factam non esse. Equidem nescio, quid fecerint, nisi quod eum non traxerunt pedibus. *Excire* paullo lenius vocabulum est quam nostrum. —* Vim adhibitam Wopkensius putat.

Quam castra.... amplexus. Hæreo, an distinguendum sit, *quam castra. Primæ legionis illic signa*. Videntur enim duæ hæ legiones unis in hiberuis fuisse: sic tamen, ut ritu romano, quæque legio cum signis seorsum locaretur. Ideo ait, Plancum confugisse ad aquilam et signa primæ legionis. Supra, tres legiones pannonicæ castris æstivis simul habebantur: separatæ tamen aquilæ, donec per furorem, *una tres aquilas et signa cohortium locarent*, ait Tacitus. Receptam tamen interpunctionem tueri videtur, quod sequitur, *Quantum dedecoris adierit legio, facunde miseratur*: ut videantur hæc in unius legionis castris gesta. Lips. *Castra primæ legionis* int. partem castrorum, ubi prima legio, cum Schelio ad Hygin. p. 26. Ern.

Altaria Deum. Sunt aræ, ut opinor, quæ in principiis honori aquilarum et castrensium deorum erant: itemque principum, quorum effigies in signis. Vide Militiam nostram, lib. 5. Dial. 4. Lips.

Recipitque. MS. Beroaldus *recepitque*. recte correctum postea. Ern. Vide ad 2, 7.

Fatalem increpans rabiem. Increpans non videtur regere *rabiem*, ut suum accusativum; sequentia non patiuntur: sed absolute ponitur. Germanicus, ne irritaret seditiosos, in fatum et deos avertit culpam, dixit, fatalem illam rabiem esse, non militum vitio, sed deorum ira resurgere. Absolute dici *increpare* notum est. Si quis tamen malit accipere pro *accusans*, (v. Gron. ad

neque militum, sed deum ira resurgere, » cur venerint legati, aperit : « jus legationis, atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, » simul, « quantum dedecoris adierit legio, » facunde miseratur, attonitaque magis, quam quieta concione, legatos, præsidio auxiliarium equitum, dimittit.

XL. Eo in metu arguere Germanicum omnes, « quod non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, et contra rebellis auxilium : satis superque missione et pecunia et mollibus consultis peccatum : vel, si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam conjugem, inter furentes, et omnis humani juris violatores haberet? illos saltem avo et rei publicæ redderet. » Diu cunctatus, adspernantem uxorem, cum « se divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula » testaretur, postremo

22. *Diu cunctatus aspernantem uxorem.* Non debuit tentari a Lipsio, nec a Freinsh. *Cunctandi* quippe verbum cum quarto casu recte conjungitur, de quo nos pluribus ad Claudian. in Stilic. 2, 284. Nam supra c. 37, *Legiones nil cunctatas sacramento adigit,* rectius in mediceo exhiberi, quam *cunctatus*, quod erat in vulgatis, quas illis subsequuntur, facile evincunt, *quartadecimani paullum dubitaverant.*

Liv. 27, 1.) et deinde intelligere, *dicens*, non repugnem. Ern. *Increpans* h l. potestatem quam dicunt prægnantem habet, ex neutrali propria et activa mistam, sicut Germ. *schelten*. Cf. Liv. 8, 32. extr. Fatalem rabiem et θεοκλασίαν vocat cum increpatione.

Sed deum ira resurgere. Nempe eam rabiem. Fatalem eam rabiem esse, incusans, neque sponte militum, sed deorum ira recrudescere, ut recte Freinsh. Quod moneo, ne quem pelliceat, *res vergere*, quod non nemo conjecit, et vidi, quibus placeret. Conf. Tacitus H. 2, 38. Cicero pro Lig. c. 6. Gron.

Eo in metu. Motu, Faerni et Lipsii conjectura, multum arridet Allemando. Non mihi. Quum milites exprobratione imperatoris magis perculsi quam mitigati erant, et *metuebatur*, ne cito rabies rediret, arguere G. amici omnes etc. Motus nunc non erat, immo quies aliqua.

Si vilis ipsi salus. Heinsius l. c. addendum censebat : *sua*. Non arbitror necessarium in Tacito. Ern.

Aspernantem uxorem. Puto verius, *aspernante uxore*. Lips. Quod negat recte Heinsius l. c.; sed quod accusativos pendere vult a *cunctatus*, et huic verbo significationem mo-

uterum ejus et communem filium, multo cum fletu, complexus, ut abiret, perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens : lamentantes circum amicorum conjuges, quæ simul trahebantur : nec minus tristes, qui manebant.

XLI. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus, etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis : « quis ille flebilis sonus ? quod tam triste ?

23. *Quod tam triste? Quid* scribendum. Deinde, *pergere ad Treviros, et externa fidei*, non *externæ*, quod nunc codices insedit. *Ad externa fidei*, quasi dicas *ad externam fidem*, cui tote non creditur. *Externa rumorum* sic Gruterus reponit 16, 23 : et *diversa terrarum*, restituimus 3, 59; *noxia conscientiæ* 6, 4., et *omnia flagitii* 11, 2; *incerta noctis* Hist. 1, 26; *tacita suspicionum* Ann. 4, 41. Sic *proxima maris* 3, 1; *proxima litorum, municipiorum*; *intima Africæ, amœna Asiæ et Achaiæ, longinqua imperii, incerta maris, tempestatum et belli, multa laudis et artium, idonea provinciarum, opportuna locorum, propinqua Seleuciæ, falsa simulationum, ardua castellorum, reliqua lacus, brevia litorum, montium edita, sæva ventorum, humida paludum, aspera maris, præcipua rerum*, et mille talia apud nostrum passim, ne de aliis dicam.

randi tribuit, id ab h. l. alienissimum est. Ern.

Nec minus tristes qui. Lego, *quæ*. de feminis enim sermo conjugibusque amicorum. Lips. Immo *qui* verum, ut recte monet Freinsh. Intelliguntur Cæsar et amici distracti a suis conjugibus. Ern.

Velut in urbe.... gemitusque. distinctio Acidalii *sed velut in urbe victa facies* scilicet, erat, *gemitusque ac planctus*, non placet, quamvis et Freinsh. eam secutus sit. Ea, inquit, facies rerum, non florenti Cæsari et castris suis subnixo, sed urbi captæ conveniens, hoc est, discessus hic muliebris aguminis trepidus atque inhonorus, gemitusque ac planctus, etiam militum animos visu audituque percussit. Gron. Sæpe doctos in fraudem illexit omissum participium verbi substantivi, quamvis ea ellipsis frequens sit, et quasi propria latini sermonis. Non est facies *urbi captæ conveniens*, sed Cæsaris, *velut in urbe capta* ἴδιος. Alioquin esset *urbis victæ*.

Quod tam triste. Putant viri docti substantivum desiderari. Quasi non passim veteres hoc compendio sermonis utantur. Virgilius : *Triste lupus stabulis*. Ovidius ex P. 2, 2, 119. *Qui cum triste aliquid statuit, fit tristis et ipse*. Petronius c. 19. *Ne quid tristius exspectarem, comitatus faciebat*. et c. 20. *Si quid tristius pa-*

feminas illustres.... non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti.... pergere ad Treveros, et externæ fidei. » Pudor inde et miseratio, et patris Agrippæ, Augusti avi, memoria : socer Drusus; ipsa insigni fecunditate, præclara pudicitia : jam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo *Caligulam* appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi stu-

ras. Intelligo autem in Tacito, *genus hominum et rerum*. Gron. Recte Heinsius *quid*. Hujus corruptionis plura exempla reperi. Ern. Receptum nondum moveo, etsi locutio insolentior est, et Gronovii exempla minus idonea præter notum Virgilii. Si *triste* substantive dictum est pro *tristi facie rerum*, quo in loco *quod* recte habet, videri potest Tacitus frustra quæsivisse vocabulum, quod eam rem quam brevissime exprimeret. *Spectaculum* suppeditabat Ursinus cum aliis.

Et externæ fidei. Non ergo colonia tunc Treviri fuisse videntur : etsi in H. 4, 62. 72. sic appellat, putemque sub Claudio hoc jure demum donatos. Lips. Ceterum in hoc loco habent, quo se delectent stili corneliani admiratores ac defensores. Mollietur tamen locus ultima sui parte, si cum Heinsio legas : *et externa fidei :* quod stilo Taciti valde conveniens est : item, si interpunxeris post *soliti :* ut sensus sit : et eas pergere ad Trev. qui non sint Romani, sed externi, quorum fides incerta sit. Ern. Vix latina est Heinsii conj. Ex analogia, quæ illi obversabatur, tolerari possit *incerta fidei*, non *externa*. Fides *externa*, opp. Romanæ vel sociorum ; *et* additum est ἑπεξηγήσεως. Ad Trev., quippe peregrinæ fidei *homines*. Mirifici sunt, qui *ext. fidei* pro dativis habent, et *committi* subaudiunt. Priora quomodo molliora fiant, interpositæ lineolæ monstrabunt. Vulgaris grammatica poscebat, *sine centurione aut m., sine s. comitatu et insignibus imp. conj*. Adeo vulgaria odit hic scriptor.

Socer Drusus etc. Quia *socer Drusus* non bene coit cum præcedd. deberet enim esse *soceri Drusi*, quia mortuus tum erat ; interpunxerim sic : *Aug. a. memoria : socer Drusus, ipsa ins. fec*. Ern. Vis insignis est in hac commutatione. Non tam Drusi memoria, quam ipse amantissimus imperator animis obversabatur cum miserabili nuru. Similis conversio c. 42. ad legionem XX. quæ sub Tiberio militaverat. Puncta parum juvabant.

Jam infans in castris. Casum Caligulam in castris natum versiculi prisci adfirmabant apud Suet. c. 8. etiam Plinius in germanica historia, apud Treveros vico ambitarino, id est, apud hiberna legionum. Et clare hic noster. Alii aliter : vide Excurs. in *L*. Lips. Et nos in Excurs. ad Suet. Calig. Ern.

Ad concilianda studia vulgi. Ait,

dia eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æque flexit, quam invidia in Treveros : orant, obsistunt, « rediret, maneret, » pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi.

XLII. Isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita cœpit : « Non mihi uxor aut filius patre et re publica cariores sunt : sed illum quidem sua majestas, imperium romanum ceteri exercitus defendent. Conjugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus summoveo, ut, quicquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta

studia vulgi : militaris scilicet. Nam Tribuni et centuriones dignioresque militum, veste et habitu erant a gregariis distincti, ut alibi dicam accurate. At caliga, tegmen vulgi. Infra c. 69. Non ita plene Dio expressit 57, 5. qui vertit, Ὅτι ἐν τῷ στρατοπέδῳ τὸ πλεῖστον τραφεὶς τοῖς στρατιωτικοῖς ὑποδήμασιν ἀντὶ τῶν ἀστικῶν ἐχρῆτο. Melius Sueton. c. 9. *Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur.* Caligatus igitur, manipularis, gregarius, eadem sunt : pro militum plebe, id est, qui honorem aut gradum in castris nondum ceperunt. Suet. in Aug. c. 25. Jurisconsultus, l. IX. De custod. reorum : *Qui exercitum accipit, jus animadvertendi in milites caligatos habet.* Cum exceptione dixit, quia in digniores non habet. Legi in lapide vetusto,

C. OPPIO. C. F. VEL.
OMNIBUS. OFFICIIS.
IN CALIGA. FUNCTO.

Et ab eadem sententia Seneca de Benef. 5, 16. scripsit, *Marium a caliga ad consulatum pervenisse :* id est ab infimis ordinibus. Item Plinius 7, 43. Ventidium *inopem juventam in militari caliga tolerasse.* Quamquam non abnuam, quin caliga digniorum etiam militum, sed cum discrimine, puta aureis argenteisve clavis distinctæ. Unde cum additione *Speculatoria caliga,* ap. Suet. c. 52. et Tertull. de cor. mil. c. 1. Lips.

Recens dolore et ira. Heinsius l. c. vult corrigi *doloris* et *iræ :* eodemque modo corrigit vulgarem lectionem in aliis locis. Mihi non placet, cum in omnibus locis *recens* cum ablativo constanter exhibeant libri scripti et editi, aliquid novari. Ern. — * Sic et Wopkens.

Quicquid istuc sc. imminet. Istuc quidem alienum est, et sine dubitatione rescribo *istinc*, nempe a vobis, ab exercitu seditioso. Idque memetipsum olim non animadvertisse, indignor. Ern.

Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? milites-ne appellem? qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis. An cives? quibus tam projecta senatus auctoritas. Hostium quoque jus et sacra legationis et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et adspectu actiacas legiones exterruit: nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles adspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa signis a Tiberio acceptis, tu tot prœliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis! hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis e provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flu-

Quod nomen huic cœtui dabo? Imitatum videtur ex oratione Scipionis apud Livium, pariter in seditione militari 28, 27. Lips. Mox *vallo et a. circums.* spectat ad c. 39. concursu ad Germanici domum facto; non quod vallum circumjecissent ei retinendo.

Verbo uno compescuit. Conferantur Plutarchus Cæsare p. 732. A. Dio Cass. 42, 53. Sueton. Cæs. c. 70. et Lucan. 5, 357. *discedite castris, Tradite nostra viris, ignavi, signa, Quirites.* Lips.

Quirites vocando. Confer. Lampridius Alex. Sev. c. 52. sq. Gron.

Augustus.... exterruit. Vide Suet. c. 17. Dio 51, 3.

Illa signis a Tib. Apparet, religionem aliquam fuisse in militia ordienda. Credo autem hanc primam legionem conscriptam, post cladem Vari. Lips.

Egregiam duci gratiam. Aut intelligendum aut addendum *ita* vel *tam egr.* Potuit absorberi particula per ultima verbi præcedentis. Sententia est e Virgil. Æn. 4, 93. Ern. Vim ironiæ frangeret talis adjectio; nec veteres ea uti solent. Neque opus est Wopkensii complemento, *egregiam hanc.*

Duci vestro. De Tiberio cum Freinsh. et aliis capio, idque patet clare e sequentibus: *ipsius tirones, ipsius veteranos.* Ern.

mina : meque precariam animam inter infensos trahere ?

XLIII. Cur enim, primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? o improvidi amici! melius et amantius ille, qui gladium offerebat. Cecidissem certe nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius : legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse romano nomini, compressisse Germaniæ populos! Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc

24. *Ferrum illud detraxistis. Retraxistis.* Supra de hac re c. 35, *elatumque gladium deferebat ad pectus, ni proximi prensam manum vi adtinuissent.* Sed nihil potius muta. Sic 2, 26, *deportare lauream*, ubi alii *reportare. Dejicere manum* Seneca de Constant. Sap. c. 7.

Qui.... sineret. Pellicerius conj. *Qui ut.* Temere. Quamquam verba sic fere intell.

Ut Belgarum istud decus sit. Glorientur Belgæ. Nos jam olim Cæsaris testimonio, *omnium Gallorum fortissimi:* nos nunc Germanici, idonei et validi *subvenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos.* Nos Civilis voce H. 4, 76. *Gallorum robur.* Præclara ista, at non illud : Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι. Lips.

Tua, pater Druse, imago. Cur imaginis mentio? Suspicor hujus Drusi inter signa imaginem cultam : quia eo duce res pulcherrimæ gestæ. Nec enim solæ impp. imagines habebantur innexæ signis, sed et aliorum, quos imperator sibi velut æquabat. Sueton. Tib. c. 48. Hanc igitur præsentem intuens, ista pronuntiat filius. Lips. Magis probo Freinshemium, qui tropice capit. Mortuorum, in deos non relatorum, imagines in signis cultas, non credo : neque id satis probat Stewech. ad Veget. 2, 6. p. m. 122. Ern.

Iisdem istis cum militibus. Grotius vult *commilitibus.* Sed sensum eundem in prisca lectione patere censeo : quam tamen mutari facilius ferrem, si τὸ *commiles* latinum esse vocabulum constaret. Sed constat non esse : cur enim passim toties *commilitones* appellant? Pellexit illustrem virum locus Plinii, apud quem cor-

maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant! Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi

rupte legitur 37, 2. *rei publicæ datum mille talentum, legatis et quæstoribus, qui oras maris defendissent, HS. bina millia, commilitibus singulis quinquaginta:* cum sit in MSS. *rei publicæ et quæstoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum, militibus singulis sena millia sestertiorum.* Sic plane membranaceus bibl. Academicæ: sic complures a Budæo inspecti, qui Plutarcho et Appiano adhibitis, rescribit: *Præfectis et quæstoribus, qui oras maris defendissent, datum mille talentum; militibus singulis sena millia sestertium, comitibus quinquagena.* Lib. 3. de Asse. Gron. Et tamen Ryck. recepit in textum *commilitibus*, ut necessarium, defendens latinitatem, non modo loco Plinii, quem negat corrigendum statim ob auctoritatem codd. a Budæo et Gronovio inspectorum, sed etiam alio Cæsaris B. C. 2, 29. denique glossis veteribus, in quibus est συστρατιώτης, *commiles*. De Plinii loco fallitur: etiam alii codd. Harduino consulti habent *militibus*, et sic restituit Harduinus. In Cæsaris loco omnes sane libri scripti habent *commilites* vel *cummilites*, quæ varietas favet conjecturæ in hoc loco: sed locus ille atque verbum illud haud dubie in mendo cubat, virique docti ipsum verbum *commilites* varie tentant: ut nec huic loco confidere liceat. Restat sola glossarum auctoritas, quæ vix tanta est, ut propter eam liceat Tacito inferre vocem illam contra codicem: quæ alioqui valde commoda esset. Est autem duplex ratio huic loco consulendi: vel emendando, ut deleas *cum*, dicasque irrepsisse, ut in locum plinianum, utque infra c. 57. est *commotis* pro *motis:* ita satis fiet iis, qui hic dativos desiderant, quos ad *eluant* referant: vel explicando sic, ut velit, divum Augustum et Drusum, istorum ipsorum militum, qui rebellassent, opera eluere maculam susceptam. Mihi posterius placet. Eadem mecum sensit J. Gr. ad h. l. quamquam in hac sententia usitatius foret *per.* Ern. *Maculam* intell. publicam, ex clade variana aspersam Romano nomini. Hanc maculam, ne *Belgæ*, ne *exteri*, sed *iidem isti* jam mutati *milites Romani* eluant, ducibus et auspicibus Augusti et Drusi cœlestibus animis. Longe usitatius est et vero etiam gratius *cum*, quo societas operæ significatur. Conf. c. 25. 34. quamquam talia ubique plurima sunt. Ut *commiles* non videretur ævi posterioris esse, h. l. tamen nihili esset, nisi forte ad ablativos absolute positos confugeris. Dativos qui primus desideravit, dormitabat, et maculam forsan referebat ad dedecus seditione admissum.

Vos quoque etc. Eximia peroratio. *Mutata ora et pectora* quum dicit, nemo est qui id, si velit, non ad se privatim trahere queat; postrema autem sententia ejusmodi est, ut, si qui adhuc iram retineant, in eos ceteram turbam armet, seu pœnitentia, seu metu pœnæ et cœptorum diffidentia correctam. Notavit Freinsh.

conjugem et filium redditis, discedite a contactu, ac dividite turbidos : id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit. »

XLIV. Supplices ad hæc, et vera exprobrari fatentes, orabant, « puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem : revocaretur conjux, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. » Reditum Agrippinæ excusavit, ob imminentem partum et hiemem : « venturum filium : cetera ipsi exsequerentur. » Discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad legatum legionis primæ, C. Cetronium, qui judicium et pœnas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis : reus in suggestu per tribunum ostendebatur : si nocentem adclamaverant, præceps datus trucidabatur : et gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolveret : nec

15. *Discedite a contactu.* Id est a contagione, ab iis qui sunt noxii. 4, 49., *pollui cuncta sanie, odore, contactu.* Hist. 11, 1., *Rhætia, Noricum, Thracia.... ut cuique exercitui vicinæ, ita in favorem aut odium contactu valentiorum agebantur.* Hist. 2, 60., *Ceteræ legiones contactu, et adversus germanicos milites invidia, bellum meditabantur.* Ann. 6, 7., *plures infecti valetudine et quasi contactu.* Seneca de Ira 2, 21., *puerum procul a contactu deliciarum retinebimus.* 3, 8., *quædam in contactos corporis vitia transiliunt.* De Tranq. Animi 7, *vitia contactu nocent.* Et Seneca Pater Contr. 9, *vitia contactu ipso nocent.* Juven. 2, 81., *Uvaque contacta livorem ducit ab uva* : ita legendum. Sic et *contaminatus scelere* supr. cap. 35 : et 2, 2., *Regem hostium artibus infectum.* 3, 14., *infectos manibus ejus cibos*, et alibi non semel.

Ac dividite turbidos. Dividite, pro secernite, sejungite a vobis, quod est sane insolens. Ern.

Stabant pro concione. Exemplum, nisi fallor, primum animadversionis, a milite ipso usurpatæ, quod hodie in nostra militia vulgo obtinet. Ammianus tamen id recensuit, quasi ex more prisco, 29, 5. *Cum invenisset eos exercitu circumseptos : Quid de istis nefariis, inquit, proditoribus fieri oportere contubernales devoti censetis ? Secutusque adclamationem rogantium sanguine vindicari, eos qui inter Constantianos merebant, prisco more militibus dedit occidendos.* Lips.

Tanquam semet absolveret. Virg. de Sinone 2, 130. *Assensere omnes, et, quæ sibi quisque timebat, Unius in miseri exitium conversa tulere.* Gron.

Cæsar arcebat, quando, nullo ipsius jussu, penes eosdem sævitia facti et invidia erat. Secuti exemplum veterani, haud multo post in Rætiam mittuntur, specie defendendæ provinciæ, ob imminentes Suevos; ceterum, ut avellerentur castris, trucibus adhuc, non minus asperitate remedii quam sceleris memoria. Centurionatum

26. *Centurionatum inde egit. Centurionatus* vocabulum dubito satisne sit latinum. Puto *censum centurionum* inde egit. Omiserat librarius festinans, *censum* ob consimiles literas in *centurionum*, quæ vox cum non subsisteret, sciolus semiliteratus refingit *centurionatum*. Sic peccatum Hist. 2, 59., *circumdaret principi ministeria, consuleretur liberaliter*, ubi legendum, *copiis comitaretur*. Posses et legere, *censum centurionalem egit*, hoc est, singuli centuriones, alter post alterum citabantur. Senec. Ep. 12, *non enim citamur ex censu*: ubi vide Lipsium. *Centuriare militem* sæpe apud Livium; et *centuriatus* pro *centurionatus* in Histor. Augusta. Percensuit ergo centuriones Germanicus, ut de reis inter illos inquireret. Alius census ille, de quo Porcius Latro apud Senecam Exc. Contr. 2, 1.

Ob imminentes Suevos. Quomodo Suevi Rhœtiæ imminere potuerint, intelligi potest e Germ. 43. Ern. *Rætiam* cum Brot. posui ubique, non *Rhætiam*, de multorum doctorum sententia. Ita lapides plurimi et optimi. *Rhenus* obvertitur, scio. Verum in talibus non Germanica origo, sed Romanorum consuetudo spectanda.

Centurionatum inde egit. Nescio an, *legit*, qua forma senatum legere dicimus. Satis autem ambitiosa hæc lectio, militibus adhibitis quasi arbitris: cum solius id imperatoris alias, et ex more, esset. Tale notat noster in Cæcina H. 3, 49. Etsi Germanicus tamen plenam totamque electionem militi non largitus. Lips. Non potest placere, utcunque pingatur. *Centurionatum agere* latine dicitur, ut *agere potestatem*, *agere proconsulatum*, *agere regnum*: ubi *agere* est gerere, administrare. Item *legere centurionatum* non respuent aures Romanæ, ut *legere sortem vitæ*, si cui et hujus et cujuscumque alterius loci libera est optio. Sed neuter sermo rei, de qua Tacitus, aptus est. *Legere* autem *centurionatum*, ut *legere senatum*, ferri non quit: senatus enim corpus est senatorum: an et *centurionatus* corpus centurionum: immo gradus militiæ honoratæ. Hoc modo corpora multorum, et personæ singulæ *legi* dicuntur, ut *legere senatum*, *legere magistratum*, *legere militem*, *legere exercitum*: *munus aut officium* non dicitur *legi*. Quid igitur iste sit *agere centurionatum* poni pro legere? cum nec *legere* latinum sit hoc sensu, neque *agere* pro legere. Quid est autem *legere censum?* Nec felicius alter, qui comparat *delectum agere*. Cur non et *agere censuram*, *agere experimenta*, *agere inquisitionem?* Sed qua in re conveniant, dicam. Nempe *delectum agit* delector, *censuram* censor, *ex-*

inde egit: citatus ab imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenue in prœliis fecisset; et cui erant dona militaria, edebat: si tribuni,

periente qui experiretur, *inquisitionem* inquisitor. Sic ergo *centurionatum agit* non nisi qui centurio est: et quemadmodum *agere delectum* non est delectores recensere aut examinare, *agere censuram* censores ad obrussam exigere, *agere inquisitionem* inquisitores legere, *agere experimenta* probare δοκιμασίαν, ita neque *agere centurionatum* est probare et recensere centuriones. Quod vero tertius inculcat, non eam fuisse electionem novorum, sed examen veterum, quis non agnoscit? Sed quid hoc juvat? an *agere* est recensere, aut examinare? an *recensere* aut *examinare centurionatum* est examen centurionum instituere? Fractus igitur locus, cujus sententia satis conspicua, verba nihil romanum sonant. Nihil hærerem, si viderem scriptum: *Centurionum inde delectum egit*: neque aliud quam, quod vocant, examen aut recensionem intelligerem. Etsi enim *delectus agi* proprie dicitur in illis, qui ex privatis milites aut centuriones fiunt: tamen hoc ipsum, quod hic agitur qui commodius latine pronuntiem, non reperio, et ex illis, quos jam habeas olim lectos, nova trutina libratis, alios retinere, quo sunt loco, alios rejicere, utique *delectus* est. Posset et scribi: *Centurionatus inde exegit*: ut alibi *exigere vulnera*, de quo in Observ. 1, 8. Gron. Heinsius conjicit *censum centurionum* vel *centurionalem*: quod nemini, ut opinor, probabitur. An: *centurionatim* vel *centuriatim* id est *per cent.* Nam verbum *centurionatus* alibi non exstat. Ern. Neque usquam exstat *centurionatim*, nec totum loquendi genus, mancum et nugatorium, *agere centurionatim* seu *centuriatim*. Hoc ergo ludenti Jac. Gronovio reddimus, a patre priorem conjecturam libentius accipimus; aut, quod nuper viro docto in Schedis, atque aliis ante in mentem venerat, *centurionum censuram*. Quanquam nihil horum omnium animum explet, valdeque placet modestia Mureti, inauditam vocem simpliciter explicantis *recensionem et cognitionem de centurionibus*. Quid enim? si res, cujus nulla alibi mentio, vocabulo nobis ignoto, at olim vulgari et proprio, expressa est. In hoc equidem acquiesco, quum sensum videam, verborum autem medelam quamvis fallacem et incertam putem. Hillerus in Racemat. 5. conj. *centuriones tum in ordinem redegit* seu *coegit*, vel, antiquo servato, confert *forum, conventum agere*, ut *centurionatus* sit centurionum congregatio reddendi juris caussa.

Ordinem. Id est, quotæ centuriæ ductor esset. Nam in eo discrimen et dignitas: primæ, secundæ, tertiæ. Bene autem *ordinem*: quia appellabant, *primi aut secundi ordinis* centurionem. Nos explicate in Milit. 2. Dial. 8. Lips.

Donaria militaria. Scilicet torques, phaleræ, hastæ, coronæ, ex quibus promoveri ad ordines altiores milites solere, indicat etiam Lucanus, 1, 356. — *summi tum munera pelli*

si legio industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines : ubi avaritiam, aut crudelitatem, consensu objectavissent, solvebatur militia.

XLV. Sic compositis præsentibus, haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ et unaetvicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem (loco *Vetera* nomen est) hibernantium. Nam primi seditionem cœptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum : nec pœna commilitonum exterriti nec pœnitentia conversi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

XLVI. At Romæ, nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, et legionum germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, « quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum et opponere majestatem imperatoriam debuisse, cessuris, ubi principem longa experientia, eundemque

Lælius, emeritique gerens insignia doni Servati civis referentem præmia quercum. Inter omnia autem quæ noster enumerat, cur siluit censum? cujus rationem in declamatione quapiam ap. Senec. Controv. 2, 1. ostendit Portius Latro: *Census senatorium gradum ascendit, census in castris ordinem promovet, census judices in foro legit.* Lips. Ceterum vereor, ne terminatio in *donaria* nata sit e terminatione vocis sequentis, legendumque *dona*. Nondum reperi *donaria* dici de donis, quæ militibus dantur. Adde 6, 48. ubi similiter e *libidibria* adhæserat terminatio voci sequenti *pericularia* in MS. Ern. Elegantem et Ernestio dignam correctionem receperunt Allem. Brot. Croll. quos sequor. Vulgatum jam offenderat Latinum Latinium in Bib. sacra et prof. p. 36. qui corr. *dona jam m.*

Sexag. apud lapidem. Sic ferme Itinerarium Antonini p. 370. *Veteri* (Castra) eo loco erant, quo nunc *Santen*. Sed de his rebus, nisi quid majorem industriam flagitat, v. ind. rerum.

* *Primi.... cœpt.* Sic Solin. c. 12. Virgil. Æn. 3, 8. 2, 268. Wopk.

severitatis et munificentiæ summum vidissent. An Augustum, fessa ætate, toties in Germanias commeare potuisse: Tiberium, vigentem annis, sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanæ servituti; militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.»

XLVII. Immotum adversus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: « validior per Germaniam exercitus: propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiæ imminens: quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri, majestate salva; cui major e longinquo reveren-

77. *Ac, ne postpositi contumelia incenderentur.* Scribe, *Hac ne postpositi c. inc.*

[8] *Summum.* Excellentem. Wopk.

An Aug... potuisse. Vide Suet. Aug. c. 20. Dio 54, 20.

Immotum adversus... fixumque. Virgil. Æn. 4, 15. *Si mihi non animo fixum immotumque sederet.* Quid ergo tot per editiones in marginibus venditat ὁ ἀκίνν, *immotus?* Gron. Lipsius, etiam in postrema.

Quos igitur..... postpositi. Male Rhenanus: *Ecquos ig. ant.* Sic enim dubitaret, an essent aliqui anteferendi: ut in illo, *Ecquis erit mecum?* At de hoc nulla dubitatio: non enim poterat esse simul duobus locis, eoque necessario alteruter exercitus erat adeundus prior. Illud ambiguum erat, utros anteferret: et hoc τῷ *quos* recte exprimitur. Male item alii delent τὸ *ac.* Sensus enim: et, si alteros utros prætulisset, angebat eum metus, ne postpositi eam contumeliam interpretarentur, et sævirent magis. Gron. Verba *timendi* ante *ne* omitti interdum, imitatione Græcorum, hodie notissimum est, nec demonstratione indiget. Igitur non opus est cum Heinsio legi *hac*, ut pendeat ab antecedentibus. Atque etiam nimis dura ista verborum collocatio foret, *hac ne postpositi contumelia.* Possis etiam intelligere, *et quidem ita* scil. anteferre, *ne* etc. Ern. *Ac* insertum est, ut melius distinguantur duo momenta: *primum* optio ipsa, *tum* metus. Male *ne* explicares *ita ut n.* Ex verbo *angebant* duo sunt ἀναλύσεις eliciendæ: *dubitabat*, utri adeundi forent: *metuebat ne posthabiti dolerent.* Ex his minutis ellipsibus germanum Tacitum agnosco.

Majestate salva. Vera et callida gnome. A Thucydide videri potest,

tia : simul adolescentibus excusatum, quædam ad patrem rejicere : resistentisque Germanico aut Druso posse a se mitigari, vel infringi : quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent ? » Ceterum, ut jam jamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves : mox hiemem, aut negotia varie caussatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

XLVIII. At Germanicus, quamquam contracto exercitu, et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si recenti exemplo sibi ipsi consulerent, præmittit literas ad Cæcinam, « venire se valida manu, ac, ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde. » Eas Cæcina aquiliferis signiferisque, et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat, « utque cunctos infamiæ, se ipsos morti eximant, hortatur : nam in pace caussas et merita spectari : ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios juxta cadere. » Illi, tentatis, quos idoneos rebantur, postquam majorem legionum partem in officio vident, de sententia legati, statuunt tempus, quo fœdissimum quemque et seditioni promptum ferro invadant. Tunc, signo inter se dato, irrumpunt contubernia, trucidant ignaros : nullo, nisi consciis, noscente, quod cædis initium, quis finis.

6, 11. med. Τὰ γὰρ, inquit, διὰ πλείστου φάντες ἰσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πείραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα. Lips.

Impedimenta. Jumenta, vehicula etc. vid. Græv. et Oudendorp. ad Sueton. Calig. c. 51. ubi male quidam corrigunt *jumenta*. vid. etiam dicta ad Suet. Tib. c. 38. et Oudendorp. ad Frontin. 2, 1, 11. Ern. — * V. et Cæsar. 7, 45.

Naves. Quorsum naves, si in Galliam aut Germaniam iturus ? An hæc simulatio ad Pannoniam spectat ? quo etsi terra, tamen et supero mari licebat trajicere. Lips. Immo et ad Germaniam : quemadmodum Claudius britannica expeditione suscepta navigavit Ostia Massiliam, inde terrestri itinere Gessoriacum petiit. Suet. c. 17. Gron.

Quis finis. Si aures recte capiunt

XLIX. Diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum facies. Non prœlio, non adversis e castris, sed iisdem e cubilibus, quos simul vescentis dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela : clamor, vulnera, sanguis palam : caussa in occulto : cetera fors regit : et quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto, in quos sæviretur, pessimi quoque arma rapuerant; neque legatus aut tribunus moderator adfuit : permissa vulgo licentia atque ultio et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, « non medicinam illud, plurimis cum lacrimis, sed cladem appellans, cremari corpora jubet.

Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris : nec aliter posse placari commilitonum manes, quam, si pectoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Cæsar, junctoque ponte tramittit duodecim millia e legionibus,

latinam rationem, legendum *qui*. Scio, dubitari de discrimine, et permutari sæpe. Burmannus adeo ad Phæd. p. 32. putat nos nescire, ubi veteres *qui* vel *quis* ponendum censuerint, cui adstipulatur aliquo loco ad Livium Drakenb. Arbitror tamen, in interrogatione diserta *quis* rectius esse, quamquam et *qui* sic reperiri viri docti docent : ubi non proprie interrogatur, ut hic, *qui* rectius puto. Ern. Ne hoc quidem verum est, ita universe pronuntiatum. Alioqui falsum esset Virg. illud : *quis cultus habendo Sit pecori*. Hic et aliis locis satis erit, temerarias dubitationes leviter summovere.

Pessimi quoque. Groslotius l. ad p. 36. cit. conjiciebat : *pessimi quique*. Frustra. h. l. *quoque* melius. Antea boni armis usi : nunc *etiam* improbi rapiunt. Ern. Paullo ante, *cetera*, exitum rei.

Vulnera accepissent. Excepissent corrigit Muretus, ex librorum quorumdam scriptura *eccepissent*. Haud male, quod ablativus additus est, et ipsi se offerunt vulneribus. Quippe hæc præcipua *excipiendi* vis. Diversum est Cic. Or. de Har. Resp. c. 19. *Acceptis a forti adversario vulneribus adversis*.

E legionibus sex, et viginti. Distinctio præter historiam. Interpunge *e legionibus, sex et viginti soc*. Quatuor enim dumtaxat legionum miles in id bellum ductus : nec plures in Germania inferiori erant. Clarum ex sqq., ubi legiones enumerat : *Mox prima legio : sinistrum latus unaetvi-*

sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

L. Læti, neque procul, Germani agitabant, dum justitio, ob amissum Augustum, post discordiis attinemur. At Romanus agmine propero silvam Cæsiam limitemque, a Tiberio cœptum, scindit: castra in li-

cesimani clausere, dextrum quintani: vicesima legio terga firmavit. Lips.

Limitemque ..... scindit. Forte, *scandit.* Utrum autem limes hic a Tiberio structus ad secernendos discriminandosque Germanos? an potius agger et via? *Cæsia* etiam *silva*, dubites an *Hesia* scribenda: quo nomine etiamnunc eo tractu manet, in clivensi inquam ducatu *Heserwalt.* Quæ vox non abest, quin a deo *Heso* nomen habeat, quem Galli Germanique *Martem* colebant. Lips. Censeo cum Mureto, *limitem* hunc ex eo genere esse, quibus, ubi flumina, mare, montes non erant, adversus incursiones barbarorum imperium romanum muniebatur. Tacitus 2, 7. *Cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.* Spartianus Hadr. c. 12. *In plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus dividuntur, stipitibus magnis in morem muralis sepis funditus jactis atque connexis, barbaros separavit.* Sic Ammiano 30, 9. Valentinianus laudatur *oppidorum et limitum conditor tempestivus.* Hos limites *scandere* quid sit, aut cui usui, non intelligo: sed si quando trans eos bellum inferebatur barbaris, aut barbari invadebant fines romanos, tum *scindi*, *aperiri*, *rumpi* et *perrumpi* dicebantur. Velleius 2, 120. *Penetrat interius, aperit limites, vastat agros.* Vopiscus in Tacito c. 3. *Nam limitem Transrhenanum Germani rupisse dicuntur, occupasse urbes validas.* Ammian., 23, 3. *Equestres hostium turmas vicino limite quodam perrupto avertisse subito prædas.* 26, 5. *Alemanni perrupere Germaniæ limites.* Hunc dicit *cœptum a Tiberio*, id est, factum, institutum: ut alibi *hortos cœptos a Lucullo. Scindere silvam*, non est cædere, non exscindere: nam *cædere silvam* est aut conlucare, aut hic illic arbores dejicere; *exscindere* autem est omnem omnino abolere et nullas ibi arbores relinquere. At *scinditur*, quod dividitur, aperitur, rimam aut fenestram aut intercapedinem et aliquid interlucens accipit. Sic *scindunt robora cuneis*: sic *scindit se nubes.* Sic Orion vadit *per maxima Nerei Stagna viam scindens*: sic *solum scindere*; sic *vallum scindere.* Ita ergo et *silva scinditur*, cum in ea pervium fit: cum per eam aperitur via militaris: ut relinquantur quidem utrinque arbores, tantum tamen fiat vacui, ut exercitus tuto ea commeare possit. Commodissime igitur hoc verbum et ad limitem et ad silvam refertur. Castra denique *in ipso limite* posita intellige, ut fossæ aggerisque et quicquid ibi structum erat muniendi caussa, ejus complanata pars intra castra recepta sit: non quasi præcise castra intra limitis quamvis latissimi

mite locat; frontem ac tergum vallo, latera concædibus munit. Inde saltus obscuros permeat, consultatque, «ex duobus itineribus breve et solitum sequatur, an impeditius et intentatum, eoque hostibus incautum.» Delecta longiore via, cetera adcelerantur. Etenim adtulerant exploratores, « festam eam Germanis noctem, ac solennibus epulis ludicram.» Cæcina cum expeditis cohortibus præire, et obstantia silvarum amoliri jubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Juvit nox sideribus illustris: ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatæ stationes, stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigi-

angustias stringerentur. Sic Justino Agathocles 22, 6. *Castra in quinto lapide a Carthagine statuit.* Sic enim MSS. ut monui Pec. vet. 1, 3. Quia proxime limitem erat silva Cæsia, saltus autem omnes sunt loca insidiis nata, nec nisi caute et explorate intranda provido duci, eam non excidit totam neque enim necesse habuit, sed longe lateque, qua e castris prospectum patere voluit, et qua exercitus ducendus erat, cecidit, hoc est, *scidit:* eo consilio, quo Cæsar B. G. 3, 29. qui videndus. Gron. Præclare hæc contra Freinshemium, qui Lipsii commentum copiose defenderat. Eadem corruptela ap. Cæs. B. G. 5, 51. De limite illo v. Cluverii Germ. antiq. 3, 9.

Latera concædibus munitur. Alii, *munit:* ego, *munitus*, malo. Muniendi hic mos a Germanis Gallisque. Ammianus 16, 11. *Difficiles vias et sua pte natura clivosas concædibus clausere sollerter, arboribus immensi roboris cæsis.* Usus ea voce et Cæsar. At *Concisa* vocare videtur P. Diaconus: *Factis etiam concisis*, inquit, *per devia silvarum irruit super eos.* Lips. Non, quasi non licuisset, ea quoque vallum ducere: quid enim vetaret? sed quia tanta cæsarum arborum copia erat, ut aggesta sufficeret lateribus tutandis, contentus ea fuit, et consuluit militum labori. Prorsus ut in Morinis Cæsar 3, 29. Gron. Parem auctoritatem a MSS. habent *munitus, munitur, munit.* Nam per compendia scribebantur extremæ hæ syllabæ. Hic plane non dubito, quin auctor scripserit *munit*, idque reposui. *Scindit, locat, munit.* Mox *saltus obscuros* proprium loci nomen putat Muret. nescio quo teste. Immo Cæsiæ silvæ sunt. De itinere, quod ingreditur Germanicus, v. Bucherii Belg. Rom. 3, 4.

Hostibus incautum. Non præsidiis insessum et munitum adversus hostes. Sic, ut opinor, Livio *agmen incautum* dicitur, non quadratum, non adversus assultus hostium munitum, cui ab impetu hostili non cavit satis imperator. Ern. Conf. Mureti V. L.

liis : adeo cuncta incuria disjecta erant : neque belli timor : ac ne pax quidem, nisi languida et soluta, inter temulentos.

LI. Cæsar avidas legiones, quo latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit : quinquaginta millium spatium ferro flammisque pervastat : non sexus, non ætas, miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod *Tanfanæ* vocabant, solo æquantur. Sine vulnere milites, qui semisomnos, inermos aut palantis cæciderant. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, Usipetes; saltusque, per

II, 2. Est *incustoditum*, quod nonnunquam apponitur.

Cuncta incuria disjecta. Cicero *dissoluta* dixisset, opinor : quo illum verbo pro valde neglectis, item negligentibus, uti, lexica docent. Sic fere noster mox *solutam pacem* dixit. ERN.

Pax, nisi languida et soluta. Agitabant, inquit, tanquam nullo bello atque in media pace securi : nec tamen, ut pace homines sobrii et vigiles (quippe qui hactenus plerumque intenti et sui compotes; ut si quid subitum ingruat, aut arma aut fugam quærere norint), sed, ut saucii, ac præ poculis, ubi essent, nescientes, marcebant torpebantque. GRON. Alius dixisset : *Si modo quies, et languor, torpor temulentorum, pax dicenda est.* Saltem dixisset *ut inter temulentos.*

Legiones avidas. Non tam prædæ quam cædis. Iram effundere, animum explere volebant.

Templum, quod Tanfanæ. Quis deus, quæ dea? Quidam ἐτυμολογίζουσι quasi esset, *Tuenfanck*, quod lingua nostra principium rerum. At Britanni prisci, sua lingua Tan, ignem vocant. LIPS. Loccenius interpretatur *Luci patronus* : ut sit e *Tan, abies, et fan, dominus.* D. Vossius autem ad Cæsar. B. G. 6, 17. legendum putabat *Teutanæ*, recte improbante Oudendorpio ad Lucan. 1, 445. ERN. Præter alios, conf. Antonium in I. H. M. Ernestii Miscellan. Ant. German. p. 210. cum notis editoris. — Khunius nostras ad h. l. hæc habet. Cannegieter de Britteburgo p. 32. legit *Anfanæ* et explicat de *dis matribus Anfaniabus*, quæ et in Gallia cultæ, teste lapide lugdunensi apud Gruterum p. 90, n. 11. ubi tamen legitur AVFANIS MATRONIS, et in Germania inf. apud Smetium in Antiq. Neomagens. p. 93. ubi MATRONIS AVFANIABVS. nisi obstat titulus apud Gudium p. 55, n. 11. in quo TAMFANAE SACRVM.

Sine vulnere milites. Freinsh. putabat legendum, *sine vulnere militis, qui semisomnos* etc. *cecidérat.* Non est necessarium. ERN. Ἀτρώτους seu Ἄτρωτοι discessere seu fuere milites nostri. Nihil durum nisi ellipsis verbi substantivi, qua nihil vulgatius.

quos exercitui regressus, insedere : quod gnarum duci; incessitque itineri et prælio. Pars equitum et auxiliariæ cohortes ducebant : mox prima legio : et mediis impedimentis, sinistrum latus unaetvicesimani, dextrum quintani clausere : vicesima legio terga firmavit : post ceteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti : dein latera et frontem modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere : turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Cæsar advectus ad vicesimanos, voce magna, « hoc illud tempus obliterandæ seditionis, clamitabat : pergerent, properarent culpam in decus vertere. » Exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta, cæduntque. Simul primi agminis copiæ evasere silvas, castraque communivere. Quietum inde iter : fidensque recentibus ac priorum oblitus miles in hibernis locatur.

LII. Nunciata ea Tiberium lætitia curaque adfecere : gaudebat, oppressam seditionem : sed, quod largiendis pecuniis et missione festinata favorem militum quæsivisset, bellica quoque Germanici gloria, angebatur. Retulit tamen ad senatum de rebus gestis, multaque de

Incessitque itineri et prœlio. Mollius idem dixit 13, 40. *Non ignaro duce nostro, qui viæ pariter, et pugnæ composuerat exercitum.* Ern. Intell. *paratus,* ut bene Muret. qui et illum locum adscripsit et Xenophontis Cyrop. c. 2. extr. — * Woplens. conj. *intenditque.*

Pars equitum etc. Est hic descriptio agminis quadrati hujus ævi, pleni et justi, et ab omni parte firmati. v. Schel. ad Polyb. p. 280. Ern.

Porrigeretur. Mihi elegantissime dictum visum est semper, pro *progederetur,* ut longitudo agminis inter angustias exprimeretur; et sic alii quoque in simili re utuntur hoc verbo, ut etiam lexica docent. Quo minus proboHeinsii l. c. conjecturam *progrederetur.* Ern. Quievit hostis, donec agmen *universum* silvam *ingressum* esset. Infra rem fuisset *progred.*

Leves cohortes. Intelliguntur *ceteri sociorum,* de quibus paullo supra, levites, neque legionariis armis, armati, ut recte monet Freinsh. Ern.

Fidensque recentibus. Recentis victoriæ gaudio et fiducia fretus, obliviscebatur dira seditionis.

virtute ejus memoravit, magis in speciem verbis adornata, quam ut penitus sentire crederetur. Paucioribus Drusum et finem illyrici motus laudavit, sed intentior, et fida oratione: cunctaque, quæ Germanicus indulserat, servavit, etiam apud pannonicos exercitus.

LIII. Eodem anno Julia supremum diem obiit, ob impudicitiam olim a patre Augusto Pandateria insula, mox oppido Reginorum, qui Siculum fretum adcolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Cæsaribus, spreveratque, ut imparem; nec alia tam intima Tiberio caussa, cur Rhodum abscederet: imperium adeptus, extorrem, infamem, et, post interfectum Postumum Agrippam, omnis spei egenam,

Sed intentior. Accurata magis oratione: unde *accuratæ laudes, accurata commendatio* passim. Ern. *Mit mehr Warme.* Id fieri potest brevi oratione, rem minus accurate explicante. Pauca loquitur verus affectus.

Quæ Germanicus indulserat. Germanicis conj. J. Gronov. ne subjectum mutetur. Quasi non res illud postulet. Seq. cap. notabile est, cod. Med. dare *Regium* sine aspiratione, quo modo nomen scribendum docuit Mazochius et alii plures.

Julia ob impudicitiam. Qui feminam hanc impudicitiæ arguant, multi testes. Seneca de Benefic. 6, 32. *Augustus flagitia principalis domus in publicum emisit* etc. Plinius 21, 3. *Apud nos hujus licentiæ exemplum non est aliud, quam filia D. Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam literæ illius dei gemunt.* vel, ut clarissimus Torrentius emendat, *illius describunt.* etsi ego malim, *degemunt.* De hoc Marsya, præter ea quæ dixi Antiquis 3. p. 110. Sidon. Carm. 13. *Marsyæque timet manum ac rudentem.* Id est, tribunal metuit et forum. Emendo, *tridentem.* Arnob. lib. 2. *Quia fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis.* Vide Dionem 55, 10. Lips.

Pandateria. Plerisque vocatur *Pandataria*, quod ideo recepit Brot. Apud Melam tamen et Dionem 55, 10. nostra scriptura extat.

Ut imparem. Taurum non ad illud jugum. Lips. Rectius alii ad genus referunt. Ern. Ut Liv. 6, 34. extr. de Fabia minore, Ambusti filia, nupta viro plebeio, *Quod juncta impari esset.* Tac. H. 2, 50. *Maternum genus impar.* Lipsianam argutiam nulli Romanorum in mentem venisse crediderim.

Tam intima .. caussa. De *tam* cum superlativo, vide dicta in Clav. Cic. in h. v. *Intima caussa* est verissima, gravissima, quæ maxime animum movet. Ern.

inopia ac tabe longa peremit, obscuram fore necem longinquitate exsilii ratus. Par caussa sævitiæ in Sempronium Gracchum, qui familia nobili, sollers ingenio, et prave facundus, eandem Juliam in matrimonio M. Agrippæ temeraverat. Nec is libidini finis; traditam Tiberio, pervicax adulter contumacia et odiis in maritum accendebat: literæque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositæ credebantur. Igitur amotus Cercinam, africi maris insulam, quatuordecim annis exsilium toleravit. Tunc milites, ad

Longinquitate exsilii ratus. Id est, diuturnitate. Nam relegata Julia anno 748, ex quo ad hunc diem anni fere viginti. Lips. Cum dicit *obscuram necem*, intelligo caussam necis. At non adeo remotum est Rhegium ab domina urbe, ut, si nota illic publice foret, fama ejus Romam tardius perveniret. Nec vero, utrum diu quis exsilium toleraverit, an modo exierit, interest ad judicandum, fato an fraude humana perierit. Res igitur ipsa videtur velle, ut scribamus: *longinquitate exitii*. Quod enim non subito eam peremit, sed ægrum spiritum inter inopiam trahere aliquandiu passus est, donec contabesceret, eo speravit se posse consequi, ut fraus lateret, quemadmodum illi, qui lentis et tabificis venenis grassantur. Gron. Vulgatum verum puto. Diuturnitas exsilii faciebat, ut homines jam pæne obliti ejus, minus eam, et quæ ei acciderent, curarent. Ern. Rectissime. Relegata est hæc Julia a. U. 752, ut e Velleio et Macrob. docuit Noris. Cenot. Pis. p. 182. Dubito, an *exitium* latine dici possit *longinquum* seu *longum*.

Sempronium Gracchum. Velleius 2, 100. Vidimus et numos hujus Gracchi, TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. III. VIR. Q. DESIG. id est, quatuorvir, quæstor designatus; in parte altera: DIVI. IVLII. F. Lips.

Accendebat. An *accenderat?* propter præcedens *temeraverat*. Sed sequens *credebantur* tuetur vulgatum. Ern.

Scripsit. Legitima ratio desiderat *scripserat*. neque tamen aliquid mutandum. Etiam apud Livium aliosque historicos observata sunt talia, quæ accipienda sunt, ut e persona scribentis dicta: quod aliquot locis ad Liv. recte monere memini Drakenborchium. Sic c. 79. *an verterentur flumina et lacus, per quos augescit.* 2, 43. *præfeceratque, Pisonem.... insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juvit.* Durius est ibid. 62. *lixæ et negotiatores reperti, quos jus commercii . . . . hostilem in agrum transtulit.* Ern. *Scripsit* est aoristus, rem vulgo notissimam simpliciter indicans; forsan etiam, exemplar literarum ad Tac. ætatem servatum. Alio pertinet parakimenus *credebantur*, de quo ad c. 6.

cædem missi, invenere in prominenti litoris, nihil lætum opperientem. Quorum adventu, « breve tempus petivit, ut suprema mandata uxori Alliariæ per literas daret » : cervicemque percussoribus obtulit, constantia mortis haud indignus Sempronio nomine; vita degeneraverat. Quidam non Roma eos milites, sed ab L. Asprenate, proconsule Africæ, missos tradidere, auctore Tiberio, qui famam cædis posse in Asprenatem verti frustra speraverat.

LIV. Idem annus novas cærimonias accepit, addito sodalium augustalium sacerdotio : ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti : Tiberius, Drususque et Claudius et Germanicus adji-

Ab L. Asprenate. Credo cognomen esse gentis Noniæ. De Asprenatum claritudine et familia consulari Plinius 30, 7. Suetonius in Aug. c. 43. Lips. Conf. Schotti de claris Rhetorr. apud Senecam, in quo multa mentio Asprenatum.

Verti frustra speraverat. Forte rectius *speraverit*, Freinsh. ait. Bene, ut opinor : neque enim similis satis hic locus ceteris, de quibus supra ad c. 10. Ern. Plura exempla vulgati v. in Comment. nostra. — * Wopkens. etiam citat Sen. Ep. 30. et 45. Sall. Jug. 38. Cat. 27. Lact. Epit. c. 39. Justin. 38, 4. Tacit. 4, 10. 2, 26, 27. 3, 62, 69. 13, 31. 15, 62. 16, 1. H. 1, 34.

Sodalium . . . . sacerdotio. Idque exemplum placuit deinceps in omnibus imperatoribus, qui facti divi. Ita sodales Flavii, Hadrianales, Æliani, Antonini, passim in historia memorati. Lapis priscus : NERONI. CAESARI. GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVGVS. PRON. FLAM. AVGVSTALI. SODALI. AVGVSTALI. Q. Q. NOVANIVS. Q. L. SAEVIVS. Lips.

Ut quondam T. Tatius. Pugnat aperto Marte secum Tacitus H. 2, 95. ubi vult sodales Titios (ita enim scribendum, non *Tatios*, ex lapid. et libris; dictique a prænomine Tatii) institutos, non retinendis sacris, sed memoriæ Tatii sacrandæ. Quæ causa hoc quidem loco aptior erat; fortasse et verior. Dionysius 2, 52. hanc rem non attigit, contentus dixisse, honeste sepultum Tatium, et quotannis ei publicas inferias factas. Lips.

Sodales Tatios. Sic MS. Beroaldus, Rhenanus, Aldus : nec causa est, cur in *Titios* mutetur. Ern. Valeat in hoc consuetudo latina, quam præter monumenta confirmat Varro celebri loco. De his autem sacerdotibus a Tiberio institutis diligentissime expl. Noris. p. 74. sqq. et Gorius Inscriptt. ant. II. p. 54.

ciuntur. Ludos augustales tunc primum cœptos turbavit discordia, ex certamine histrionum. Indulserat ei ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat, effuso in

Tunc primum cœptos. Quomodo id verum? siquidem ludi Augustales jampridem instituti celebratique, Q. Ælio Tuberone, Paullo Fabio Coss. ut dixi supra. Rescribe igitur, *Tunc primum cœpta*: idque Tacito ipso auctore, c. 77. init. Lips. In laudanda hac emendatione conspirant omnes, et ex Lipsii margine omnes eam assumpserunt in textum, Tacito ipso infra auctore, aiunt. Quid ille affert infra? Nempe *hoc anno cœptam theatri licentiam*. Num omnem? tamne sero? Licentiam histrionum et fautorum jamdudum sub Augusto, pantomimorum amatore studiosissimo, invaluisse, et ipsa res et historiæ loquuntur. Jam Horatius plebem in theatro viderat depugnare paratam, si discordaret eques. Non ergo hoc totum genus licentiæ *tunc invectum* dici potuit, cum ludi augustales darentur; sed hos ludos *tunc primum datos* seu *institutos* turbavit discordia quædam. Hoc affert lectio cod., quam non solum ferendam, sed conjecturæ etiam præferendam censeo. Nam *primum cœptos* licebat dicere *ludos*, qui tunc primum sollenni modo facti, et sive celebrati novum in modum, sive instaurati a senatu essent. Non enim est dubium, quin hi iidem ludi sint quorum pars, circense ludicrum, supra c. 15. in hunc annum tribunis pl. concessum dicebatur. Quod rei peractæ mentio ad exitum anni differtur, illud fit ex more Taciti, quem servare solet in omnibus rebus minoris momenti et non perpetui tenoris. Denique nihil sentio in hoc genere, aut ipsa latinitas pristinæ scripturæ plus favet quam novæ. Nam ut infra placet *cœpta discordia*, ita h. l. series verborum nos ad *cœptos ludos* revocat. Itaque hoc reduxi, nihil reverens nisi virorum secus sentientium auctoritatem.

Indulserat ei ludicro Augustus. Immo vero, quod censeo me primum advertisse, Augustus id ludicrum invenit. Suidas: Ὄρχησις, ἀκάντιμος· ταύτην ὁ Αὔγουστος Καῖσαρ ἐφῦρε Πυλάδου καὶ Βαχυλλίδου ἀρῶντων αὐτὴν μετεσθόντων. Emenda Ὄρχησις ἀκαντίμιμος. Et vere Suidas. Ante Augustum sane liberaque re publ. Pantomimorum nullum vestigium. Zosimus 1, 6. inter caussas labefactati imperii non vane refert, quod *Octaviani temporibus Pantomimorum saltatio prius incognita in usu esse cœperit, Pylade ac Bathyllo primis ejus auctoribus.* Quod Suidas notat, in Ἀθηνόδωρος: cave ad Tiberii tempora referas, sed Augusti. Κατὰ δὲ τοὺς χειροὺς ἐκείνους καὶ ὁ ἀκαντίμιμος ὄρχησις εἰσήχθη, οὔσα πρότερον οὐσα. Emenda etiam supra in Suida, Βαθύλλου. Duo Pantomimi sive histriones (vulgo enim in historia, ut hic Tacito, miscentur eæ voces) eximii, Pylades et Bathyllus. Posterior, ignis et delicium Mæcenatis. Dionem non capiunt vulgo, qui hunc amorem honeste tetigit, 54, 17. extr. Ubi tamen intelligi etiam potest, hunc Bathyllum servum Mæcenatis fuisse. Seneca pater Controv. Præfat. 5. med. *Recitabat rescriptum Labieni pro Bathyllo Mæcenate* (corrige, *Mæcenatis*) *in*

amorem Bathylli: neque ipse abhorrebat talibus studiis, et civile rebatur, misceri voluptatibus vulgi. Alia Tiberio morum via: sed populum, per tot annos molliter habitum, nondum audebat ad duriora vertere.

LV. Druso Cæsare, C. Norbano Coss. decernitur Germanico triumphus, manente bello; quod, quamquam in æstatem summa ope parabat, initio veris et repentino in Cattos excursu præcepit. Nam spes incesserat, dissidere hostem in Arminium ac Segestem, insignem utrumque perfidia in nos aut fide. Arminius turbator Germaniæ; Segestes, parari rebellionem, sæpe alias, et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit: suasitque Varo, «ut se et Arminium et ceteros proceres vinciret; nihil ausuram plebem, principibus amotis: atque ipsi tempus fore, quo crimina et innoxios discerneret.» Sed Varus fato et vi Arminii cecidit. Segestes, quamquam consensu gentis in bellum tractus, discors manebat, auctis privatim odiis, quod Arminius filiam ejus, alii pactam, rapuerat. Gener in-

quo suspicietis adolescentis animum, illos dentes ad mordendum provocantis. Corruptum id nomen, apud eumdem Senecam, Præf. 3. ext. *Si Thrax essem, Fufius essem: si Pantomimus essem, Pantillus essem: si eques, Melison.* Lege *Bathyllus essem.* Lips. Add. Scaliger ad Euseb. p. 169. Ern.

Civile rebatur. Lege Sueton. Aug. c. 45. Ern.

* *Morum via.* Sic Stat. silv. 3, 3, 203.

Initio veris, et repentino. Muret. *et* delet, cum Acidalio. Mox iidem id inseri volunt ante *sæpe alias.* Ern. Utrumque ciceronianum est. Quamquam *et* non raro etiam apud Cic. est *et quidem*; ac sic h. l. intell. Conf. Ind. Simile erat c. 29. *orto die et vocata concione.*

Dissidere h. in Arm. et Seg. Sensus non obscurus: dissidere hostes, ita, ut alii in Arminii, alii in Segestis partes abeant, hi illum, alii hunc sequantur. An dictum imitatione Græcorum, qui dicunt λέγειν τι εἰς τοὺς ἀτελέστους, dicere aliquid, ut ad notitiam profanorum perveniat, et similia: de quibus eleganter egit Hemsterhusius ad Aristoph. Plutum p. 456. Ern. * Wopkens. *inter* vel *studiis.... in.*

Gener invisus, inimici soceri. Pichena suspicatur Tacitum scripsisse, *gener invisus, inimicus socer.* Alii

visus, inimici soceri : quæque apud concordes vincula caritatis, incitamenta irarum apud infensos erant.

LVI. Igitur Germanicus quatuor legiones, quinque auxiliarium millia, et tumultuarias catervas Germanorum, cis Rhenum colentium, Cæcinæ tradit : totidem legiones, duplicem sociorum numerum ipse ducit; positoque castello super vestigia paterni præsidii, in monte Tauno, expeditum exercitum in Cattos rapit; L. Apronio ad munitiones viarum et fluminum relicto. Nam (rarum illi cælo) siccitate et amnibus modicis, inoffensum iter properaverat; imbresque et fluminum auctus regredienti metuebantur. Sed Cattis adeo improvisus

distinctione, quæ est in textu, succurrunt Tacito, ut enallage numeri sit. Tacitum autem variare modos loquendi, jam diximus. Sequentia docent, duo membra desiderari. Ern. Utique sunt membra duo : *gener* socero *invisus*, ipsi *soceri* (Segestes et Sigimerus. v. Velleii 2, 118.) *inimici*. Gruteri enallage, *soceros* pro uno socero interpretantis, absurdissimum acumen est. Alii virgula expuncta genitivos inducunt : scilicet ne quis socerum inviso genero amicum putet.

Cis Rhenum colentium. Ut erant Vangiones, Triboci, Nemetes, Treveri, Nervii ; sed et pars aliqua Batavorum. Lips. Immo hi tum Galli. Ego intelligo Ubios, Sicambros, aliosque e Germania populos, ab Augusto traductos Rhenum, ut ibi colerent. Ern. Vid. Mannerti Geog. ant. 2, 1. p. 206. sqq.

In monte Tauno. Alii *Tauro* scribunt. Ubi is, mecum alii ignorant. Lips. Nempe hæc duo nomina in libris permutantur, reperique in edd. vett. Taciti etiam pro *Tauro* esse *Taunum*. Cellar. G. A. t. 1, p. 369, probat Cluverii opinionem, qui censet esse montem contra Magontiacum, vulgo *der Heyrich*, vel *die Hœhe* dictum. Aliter Vossius ad Cæs. B. G. 6, 17. quem, si lubet, vide. Ayrmannus Gissensis peculiari libello docere instituit, intelligi debere montem haud procul Gissa urbe, quem ibi vocant *den Dyesberg* : quod aliis excutiendum relinquo. Ern. Ayrmanni opinio, etsi a Mogeno Sicilimentis quibusd. 1763, editis exornata, situ tamen locorum et reliquiis veterum munitionum refellitur, confirmaturque his iisdem rebus Cluverii sententia. — Cum Cluverio facit et Mannert. t. 3, p. 578. De munitionibus viarum v. Eccardus de Orig. Germ. p. 282.

Metuebatur. Sic MS. Beroaldus, Rhenanus, Aldus : nec necessaria caussa mutandi. *Auctus* in singulari accipiendus. Numerus et genus accommodantur sæpe tantum proximo. Ern. Flumina latine *auctus* habent,

advenit, ut, quod imbecillum ætate ac sexu, statim captum aut trucidatum sit. Juventus flumen Loganam nando tramiserat, Romanosque, pontem cœptantis, arcebant: dein tormentis sagittisque pulsi, tentatis frustra conditionibus pacis, cum quidam ad Germanicum perfugissent, reliqui, omissis pagis vicisque, in silvas disperguntur. Cæsar, incenso Mattio (id genti caput), aperta populatus, vertit ad Rhenum: non auso hoste terga abeuntium lacessere; quod illi moris, quotiens astu magis quam per formidinem cessit. Fuerat animus Cheruscis, juvare Cattos; sed exterruit Cæcina, huc illuc ferens arma: et Marsos, congredi ausos, prospero prælio cohibuit.

LVII. Neque multo post legati a Segeste venerunt, auxilium orantes adversus vim popularium, a quis circumsedebatur; validiore apud eos Arminio, quando bellum suadebat. Nam barbaris, quanto quis audacia

flumen *auctum*. Ab hac consuetudine non temere disceditur. Correxi igitur.

Flumen Adranam. Quod Junius noster *Ederam* accipit in Hassis: qui Fuldam amnem illabitur. Lips. Probabilius Mannertus t. 3, p. 564, in Adrana errorem Taciti notat, qui voluerit aut debuerit ponere Loganam, *die Lahne*.

Nando tramiserat. Tacite in textum recepta est a Gronoviis et Ryckio emendatio Acidalii et Pichenæ, *tramiserat*. Non improbo: sensus enim plane desiderat sic legi: sed debebat etiam interpunctio ex eorum mente mutari, ut punctum esset ante *juventus*, ubi colon retinuerunt. Alii *tramiserit*. Ern.

Mattio. Ματτιακὸν Germaniæ urbs est Ptolemæo. *Marspurgum* Hassiæ esse, non abhorret a vero. Adfirmare enim hæc talia, in tanta mutatione temporum, stultum: et tamen suavis hodie ingeniorum lusus. Ab hoc autem Mattio, Mattiacos nostros quidni deducam? Ut non solum contermini jam et socii, sed etiam consanguinei sint Batavorum. Lips. — Id oppidum non esse Marburgum, docet Herm. Kirchner de Republica lib. 13. coroll. 6, p. 138. Sunt, qui vicum intelligendum putent, nomine *Matten* ad Adranam; contra Menso Alting in Not. Batavicæ t. 1, p. 122. vetus oppidum *Wetter*. Verum, si conjecturam Mannerti de Logana admittas, de Marburgo vix dubium erit, idque eo minus, quod et situs Mattiaci apud Ptolemæum probe conspirat.

Quanto.... habetur. Ne quis, præ-

promptus, tanto magis fidus, rebusque motis potior habetur. Addiderat Segestes legatis filium, nomine Segimundum: sed juvenis conscientia cunctabatur; quippe anno, quo Germaniæ descivere, sacerdos apud Aram Ubiorum creatus, ruperat vittas, profugus ad rebelles.

sertim tiro, putet, hic aut aliquid vitii esse, ut legendum sit *promptior*, aut omissum aliquid, ut addatur *magis*, cautum est a nobis, cum monuimus, Tacitum libenter variare orationem: tum cavetur aliis exemplis similibus. Supra c. 52. *sed intentior, et fida oratione*: intellectu τοῦ *magis*, quod libenter omittit noster, more Græcorum. Mox c. 58. *quia pacem quam bellum probabam*. c. 68. *quanto inopina, tanto majora*. Ern. In primo exemplo nulla est comparatio. Nam minime *fida* fuit oratio de Germanico. Paullo ante hic *quando* non multum differt a caussali *quod* seu *quia*, latente quadam significatione *temporis*. Sed quum tempus mox exprimatur *rebus motis*, veretur J. Gron. ne *quod* vel *quoniam* scribendum sit. In cod. enim esse *quo*, compendium ambiguum, ex quo etiam nunc turpia nonnulla menda hærent in Cic. Epp.

Rebus commotis. Immo scribo, *rebusque motis*. ex sententia, et Taciti exemplo 14, 61. *Ducem tantum defuisse, qui rebus motis facile reperiretur*, Lips.

Nomine Segimundum. Horum et plurium ducum mentio apud Strab. 7, p. 291. Ἔτισαν δὲ δίκας ἅπαντες, καὶ παρέσχον τῷ νεωτέρῳ Γερμανικῷ λαμπρότατον θρίαμβον, ἐν ᾧ ἐθριαμβεύθη τῶν ἐπιφανεστάτων ἀνδρῶν σώματα καὶ γυναικῶν, Σεμιγοῦντός τε καὶ Σεγέστου υἱὸς (corrige Σεγιμοῦντός τε Σεγέστου υἱὸς, copula item deleta) Χηρούσκων ἡγεμὼν, καὶ ἀδελφὴ αὐτοῦ, γυνὴ δ' Ἀρμενίου τοῦ πολεμαρχήσαντος ἐν τοῖς Χηρούσκοις ἐν τῇ πρὸς Οὔαρον παρασπονδήσει. Lips.

Apud Aram Ubiorum. Frequens hujus aræ mentio. Vidi, qui vellet Bonnam nunc esse. Ego vereor, ut propius abfuerit ab oppido Ubiorum. Quidquid hodie sit, puto originem ei loco a veneratione Augusti, cui novo cæliti ara illic, recepta adulatione, exstructa, uti ara Lugduni, et ad eam sacerdotes ex primoribus gentis, inter quos hic Segimundus. Lips. Sic etiam Cluverius et alii. Nonnulli intelligi putant *oppidum Ubiorum* c. 36., hodie Coloniam Agripp. v. Cellar. G. A. t. 1, p. 245. qui rem in medio relinquit. Ern Optime illi, qui ex *Ara Ubiorum* crevisse putant *oppidum Ub.*, situm in eodem fere loco, quo posthac fuit colonia Agripp. *Annus quo descivere Germ.* haud dubie designatur a. U. 762. quem secuta est clades variana, non 754. ut Ryck. scribit. — In dextra Rheni ripa sitam fuisse *Aram Ubiorum* arbitratur J. Eb. Rau l. c. ubi hodie oppidum *Duyts* seu *Deutz*, eamque structam ab Ubiis, priusquam a M. Agrippa traducerentur in Galliam, neque Augusto, sed patrio cuidam numini, forsan Mercurio, fuisse dicatam. Displicet hoc d'Anvillio, qui in Not. de la Gaule, p. 86. paullo superius ponit in loco

Adductus tamen in spem clementiæ romanæ, pertulit patris mandata: benigneque exceptus, cum præsidio gallicam in ripam missus est. Germanico pretium fuit, convertere agmen: pugnatumque in obsidentis, et ereptus Segestes magna cum propinquorum et clientium manu. Inerant feminæ nobiles: inter quas uxor Arminii, eademque filia Segestis, mariti magis quam parentis animo, neque victa in lacrimas, neque voce supplex, compressis intra sinum manibus, gravidum uterum intuens. Ferebantur et spolia varianæ cladis, plerisque eorum, qui tum in deditionem veniebant, prædæ data.

LVIII. Simul Segestes ipse, ingens visu, et memoria bonæ societatis impavidus. Verba ejus in hunc modum fuere: « Non hic mihi primus erga populum romanum fidei et constantiæ dies. Ex quo a divo Augusto civitate donatus sum, amicos inimicosque ex vestris utilitatibus delegi: neque odio patriæ (quippe proditores etiam iis, quos anteponunt, invisi sunt), verum quia Romanis Germanisque idem conducere, et pacem quam bellum probabam. Ergo raptorem filiæ meæ, violatorem fœde-

Gotsberg, quod adridet Broterio ad c. 39.

Germanico pretium. Explicant *operæ pretium*. Ita esset non *fuit*, sed *visum est*. Exquisitior mihi videtur locutio, ejusdem prope potestatis, qua est nostrum nunc tantopere frequentatum *interessant*. Nove positum in primis arguit usus H. 3, 8., *In Veronensibus pretium fuit*.

Compressis intra. Qui habitus etiam nunc germanicis matronis (videre videor) per modestiam et decorum assumptus. Lips. Mox pro *bonæ* forte *nostræ* aut *romanæ* legendum. Ern. Hominem non tam *romana* societas impavidum facit, quam *cognita fides* societatis. Nullum ἀναργέστερον vocab. invenias, nullum in pari simplicitate dignius.

Proditores etiam iis. Thucydides 3, 9., Τὸ μὲν καθεστὸς τοῖς Ἕλλησι νόμιμον ἴσμεν· τοὺς γὰρ ἀφισταμένους etc. Gron.

Idem conducere. Infinitivus pendet a *judicabam*, quod latet in mox sequente verbo *probabam*. Hac figura sæpe utitur noster, ut in sequentibus subinde monebimus. Ern. — * Sic Wopkens. — Nonnulli corr. *conde-*

ris vestri, Arminium, apud Varum, qui tum exercitui præsidebat, reum feci. Dilatus segnitia ducis, quia parum præsidii in legibus erat, ut me et Arminium et conscios vinciret, flagitavi. Testis illa nox mihi utinam potius novissima! quæ secuta sunt, defleri magis quam defendi possunt. Ceterum et injeci catenas Arminio, et a factione ejus injectas perpessus sum. Atque ubi primum tui copia, vetera novis et quieta turbidis antehabeo: neque ob præmium, sed ut me perfidia exsolvam; simul genti Germanorum idoneus conciliator, si pœnitentiam quam perniciem maluerit. Pro juventa et errore filii veniam precor: filiam necessitate huc adductam, fateor. Tuum erit consultare, utrum prævaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est.» Cæsar, clementi responso, liberis propinquisque ejus incolumitatem, ipsi sedem vetere in provincia pollice-

ceret, *pacem*. Vix latine. Alius vir doctus, *conducere rebar*.

Illa nox. In qua convivium, de quo c. 55. Ern.

Maluerit. Vir doctus apud Ryckium et Heinsius l. c. malebant: *maluerint*. Sæpe sane noster plurali post collectiva utitur. Sed sine libris non muto. Ern.

Utrum prævaleat. Uter plus juris in eam habeat, et utri parere magis debeat, patri an marito mox patri. Lips. Immo, ut puto cum Freinshemio: utrum veniam dare malit, quia Segestis, fidelis socii, filia, an punire, quia hostis, Arminii, uxor. Ern.

Veterem in provincia. Nescio an verius, *vetere in provincia*. Id enim ad securitatem Segestis, ne sedem acciperet in provincia nova, obnoxia hosti. Per veterem autem provinciam, ceperim Galliam. Infra, *Coleret Segestes victam ripam; redderet filio sacerdotium*. Tamen fieri potest, ut sedem jam ante defectionem in Gallia habuerit: atque ita, *veterem*. An *uberem* placet? an aliud e veteri scripto elicis, qui habet, *vaera?* Lips. Recepit conjecturam Lipsii Pichena cum sequentibus editoribus. Jac. autem Gronovius rescripsit *Vetera in provincia*, (*Vetera* commemorantur supra c. 45.) e scriptura codicis medicei: quem secutus sum. *Vetus provincia* dicitur pars provinciæ, quæ prima fuit sub imperio populi romani, aliis deinde adjectis, ut e Livii 24, 44. 25, 3. docet Freinsh. Quæ autem hic esset vetus provincia? In Germania quidem ulteriori nulla tum omnino provincia. Varus apud Velleium 2, 118., dicitur in mediis Germanorum, hostium, finibus fuisse. Ripa citerior Rheni victa

tur. Exercitum reduxit, nomenque Imperatoris, auctore Tiberio, accepit. Arminii uxor virilis sexus stirpem edidit : educatus Ravennæ puer, quo mox ludibrio conflictatus sit, in tempore memorabo.

LIX. Fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur. Arminium, super insitam violentiam, rapta uxor, subjectus servitio uxoris uterus, vecordem agebant : volitabatque per Cheruscos, arma in Segestem, arma in Cæsarem poscens : neque probris temperabat : « Egregium patrem ! magnum imperatorem ! fortem exercitum ! quorum tot manus unam mulierculam avexerint. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse. Non enim se proditione, neque adversus feminas gravidas, sed palam adversus armatos bellum tractare. Cerni adhuc Germanorum in lucis signa ro-

erat, c. 59., nondum ulterior. Ern. Et illam citeriorem seu *gallicam ripam*, quæ dicebatur c. 57., significari posse *vetere provincia*, nemo dubitet. Sic 3, 74., *vetus provincia* Africæ ea pars est, quæ jam pridem Carthaginiensibus adempta erat. Atque etiam *rebellis* regio opponitur *veteri provinciæ*, non modo *nova* sed *nuper adjecta*. Conf. ad c. 59. extrem. Nisi igitur *veterem* defendas, nihil acutius, nihil verius video conjectura lipsiana, quam revocavi : *Vetera*, oppidum, alienum esse arbitror. Eum locum si nominavisset Tacitus, non adjecisset *in provincia*. At Crollius conjecit, quique ejus malus mos, in textum recepit *et æra*. Cur non *et cætera ?* quod non minus lene remedium erat. Extra jocum : *æra* pro stipendiis notus Livii et aliorum usus est ; immo vir ingeniosus uti potuit loco Spartiani in Hadr. c. 6., si eundem morem barbaris stipendia pendendi jam tum fuisse constaret. Sed quid illud est, *stipendia in provincia ?* Inepte frigeret hæc adjectio, nisi ordine verborum mutato, *æra et sedem*. Ita tandem aliquis sensus prodiret, non manus scriptoris. — In ed. Bipont. *et æra* in notis occurrit tomo secundo adjectis, non in texta.

Puer, quo mox ludibrio. Apud alios nihil reperi. Tacitus hæc narraverit, in rebus Caii aut Claudii, libris qui perierunt. Lips. Puero nomen Thumelico, matri Thusneldæ ; si modo scripturæ apud Strabonem l. c. confidere licet.

Quorum tot manus. Videtur in mente habuisse locum Virgilii Æn. 4, 93. Ern.

mana, quæ diis patriis suspenderit. Coleret Segestes victam ripam : redderet filio sacerdotium : hominem Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Al-

18. *Hominem Germanos nunquam satis excusaturos.* Video, quid ad hunc locum interpretes. Mihi tamen a Tacito profectum videtur, *ignominiam Romanos nunquam satis excusaturos.* Ann. 2, 46., *Quoniam tres vacuas legiones et ducem fraudis ignarum perfidia deceperit, magna cum clade Germaniæ et ignominia sua.* 15, 24., *Deos potentium populorum arbitros, Armeniæ possessionem Parthis, non sine ignominia romana tradidisse.* Hist. 5, 15., *Civilis, instare fortunæ; Cerialis, abolere ignominiam.* De Morib. Germ. cap. 6, *concilium inire ignominioso nefas.* Vid. et ad 4, 67., Ut vero hic *excusare ignominiam*, ita Hist. 5, 22., *excusare flagitium*, et A. 3, 60., *protegere flagitium.*

Nunquam satis excusaturos. Forte, *accusaturos*, et statim, *ignorantiam* imp. rom. Lips. Meo judicio recte Grotius, *homines Germanos.* Liv. 42, 19. Est genus excusandi, quod non inanibus verbis, sed rebus quæritur. Sic Statius Theb. 1, 691. *Tu modo dissimilis rebus mereare secundis Excusare tuos.* Id est, præstare, ut illis ignoscatur, ut pro purgatis habeantur. Hoc intelligit Tacitus, significatque, qui vere Germani sint, et hoc nomen tueantur, eos meminisse oportere, quoad vivant, elaborandum sibi, ut hanc maculam diversis et fortibus factis deleant, nec in eo unquam sibi satisfacere. Adde quæ diximus Observat. 2, 13. Nam, quod iste obnititur, quid est, *nunquam satis excusaturos hominem*, qui, si culpa ejus id acciderit, neminī excusandus, sed omnibus accusandus debet videri? Ita dicendum erat, *amicos Segestis nunquam hominem satis excusaturos* apud alios Germanos. Freinsh. *ἀπαφράζει*, Germanos hujus proditionis nota hominem nunquam liberaturos, quod ejus opera factum est. Hoc est, *nunquam excusaturos*, non, *nunquam satis excusaturos.* Gron. Aliter Freinsh., qui corrigit *hominem Germanis.* Sed ne hoc quidem placet, multoque pejus Heinsii et aliorum commenta. Neque nobis satisfacit illa Gronovii, quamvis docte et eleganter explicata, ratio, neque ipsum languide additum *homines*; quod haud scio an nusquam ita in his libris legatur. Vulgatum vero *hominem* vitiosum esse, nemo dubitabit. Nam oratio statim ad *rem*, quæ inexcusabilis dicitur, conversa, *hominis*, cujus illud commissum sit, commemorationi repugnat; quatenus objectivus casus inest his ipsis, *Quod . . . viderint.* Quamquam id ferendum esset, si pro hoc verbo legeretur *adduxerit* aut simile quodpiam, quod a Segeste penderet. An præterea hoc arguam, quam ridicule loquatur Arminius, qui optare videatur, ut invisus socer excusationem et veniam impetret? Sed alia quoque parte laboramus in hoc loco, siquidem *sacerdotium* ita nude positum loquentis animum non explet, et excidisse videtur aliquid, quod peregrinæ religionis contemptum indicabat. His incommodis omnibus medebitur conjectura mea: *Redderet filio sacerdotium romanum: Germanos* etc. Jam

bim et Rhenum virgas et secures et togam viderint. Aliis gentibus, ignorantia imperii romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa: quæ quando exuerint, irritusque discesserit ille inter numina dicatus Augustus, ille delectus Tiberius, ne imperitum adolescentulum, ne seditiosum exercitum pavescerent. Si patriam, parentes, antiqua mallent, quam dominos et colonias novas: Ar

29. *Ille delectus Tiberius.* Forte *ille Deo dilectus Tiberius.* Deridet apotheosin Augusti, qui *Deus* dictus. Vide Muret. ad Senec. de Benef. 6, 32 : qui de Tranq. animi c. 14., *Cæsari Deo nostro.* Plin. 7, 45 (46)., *in summa Deus ille.*, etc. 21, 3 (6)., *Filii divi Augusti, cujus luxuria noctibus coronatum Marsyam literæ illius Dei gemunt.* Ita enim corrigit Muretus ad Tacit. Ann. 3, 24. Lipsius ad Ann. 1, 53., *degemunt.* Torrent. *describunt.* Ita ludit in nomine Dei de Caligula Seneca de Tranq. animi c. 14. *nec procul erat tumulus, in quo Cæsari, Deo nostro, quotidianum flebat sacrum.* Deo ergo delectus scilicet successor, aut ad patrandum bellum germanicum. Similem librariorum oscitantiam deprehendi 6, 20., ubi pro *diem* scribendum *de die.*

verbum *excusare* nativa potestate fungitur : *Aliis gentibus excusatum esse romana imperia pati; Germanos nunquam excus.* Simul sic vigor et vis additur sententiæ.

Ignorantia imperii romani. Quasi dicat : Longinquiores gentes tutæ sunt a superbia et imperio romano, ipso situ, et Romanos nec norunt : nos in limite, virtute nos liberavimus, et porro liberemus. Lips. Mihi videtur sensus hic esse : Aliis gentibus excusatius esse, si imperio romano non valde resisterent. Etenim ignorare rationem imperii romani, non expertas esse supplicia et sævitiam, nescire quæ et quanta tributa imponere soleant : Germanis veniam dari non posse, si subeant imperium romanum, cum plane sciant, Romanorum quanta sit sævitia et avaritia, et quando se ab eo liberarint fortiter resistendo, neque subigi vel ab Augusto, vel a Tiberio potuerint etc. Ern. *Ignorantia* apud Tac. est *ignorantes* seu *quod ignorabant.* Similiter c. 69. extr. *peritia* et sæpe alibi.

Ille delectus Tiberius. Freinshem. intelligit, ad imperium in Germania, missus in Germaniam. Admitterem, si esset *delegatus.* Sed longe amplius est *delectus*, et Tiberium extollendo, auget laudem eorum, a quibus vir talis irritus discessit. Ille *delectus* igitur est ille, quem unum ex omnibus dignum Augustus putavit, ut hæredem successoremque ordinaret. Gron. Quid hoc ad heroem barbarum? Forti bellandique perito esse fortiorem fert. Intell. ergo cum Freinsh. ex optimis electum gerendo bello. Conf. c. 65. H. 1, 71., Germ. c. 10., et Tiberii orat. 2, 26.

Patriam, parentes. Clarum est h. l. *parentes* non esse, qui parent, ὑπηκόους : sed quibus vitam debemus. Vid. de hac forma loquendi Cort. ad Sallust. Catil. c. 6. Ern.

Colonias novas. Respicit morem Roman. victis populis imponendi, tamquam præsidia, colonias. Quod *novas* vocat, non indicat, alias, ve-

minium potius, gloriæ ac libertatis, quam Segestem, flagitiosæ servitutis ducem, sequerentur. »

LX. Conciti per hæc non modo Cherusci, sed conterminæ gentes : tractusque in partis Inguiomerus, Arminii patruus, veteri apud Romanos auctoritate. Unde major Cæsari metus; et ne bellum mole una ingrueret, Cæcinam, cum quadraginta cohortibus romanis, distrahendo hosti, per Bructeros, ad flumen Amisiam mittit : equitem Pedo præfectus finibus Frisiorum ducit : ipse impositas navibus quatuor legiones per lacus vexit : simulque pedes, eques, classis, apud prædictum amnem convenere. Chauci, cum auxilia pollicerentur, in commilitium adsciti sunt. Bructeros sua urentis expedita cum manu L. Stertinius, missu Germanici, fudit : interque cædem et prædam reperit undevicesimæ legionis aquilam, cum Varo amissam. Ductum inde agmen ad ultimos Bructerorum : quantumque Amisiam et Luppiam amnes inter, vastatum, haud procul Teu-

teres, jam tum fuisse inter Rhenum et Albim; quod non est : sed dicitur cum respectu ad *antiqua*, antiquum, pristinum statum, in quo nullæ ibi coloniæ. Ern. Verba id parum credibile facerent, etsi nihil mussaret historia. At v. Dio 56, 18. init. *Novas col.* Arminius opponit iis, quas victoria sua deleverat. Conf. Mannerti III., p. 78.

Veteri ap. Rom. auctoritate. Non, quod amicus Rom. esset, sed quod vir fortis et prudens, cujus magna apud Rom. opinio, ut recte Freinsh. explicat. Ern.

Equitem Pedo. Credo Albinovanus Pedo, cujus fragm. extat de navigatione Oceani. Est tamen et alius Pedo Pompeius vir illustris, quem nominat Seneca in Ludo de morte Claudii sub fine. Lips.

Per lacus. Omnes postea haustas a sinu austrino.

Teutoburgiensi saltu. Nomen etiamnum retinet inclytus romana clade saltus, *Teuteberg*, et victoriæ cognomine insignis campus, *Winfeld*, ad oppidulum Hornam, in Westphalia. Lips. Vid. Monumenta Paderb. pag. 40. in edit. a. 1672. Amstel. apud Elzevir. Ern. Quam Germanis pretium fuerit, scire, ubi Arminius suus vicerit, multorum diversæ opiniones docent. Cf. Gattereri Hist. univers. synchron. t. 2, p. 721. sqq. et Mannerti t. 3, p. 88, 98. qui locum ponit in australi parte Luppiæ in comitatu Marchiæ vel

toburgiensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionumque insepultæ dicebantur.

LXI. Igitur cupido Cæsarem invadit, solvendi suprema militibus ducique; permoto ad miserationem omni, qui aderat, exercitu, ob propinquos, amicos, denique ob casus bellorum et sortem hominum. Præmisso Cæcina, ut occulta saltuum scrutaretur, pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret, incedunt mœstos locos, visuque ac memoria deformes. Prima Vari castra, lato ambitu, et dimensis principiis, trium legionum manus ostentabant: dein, semiruto vallo, humili fossa, accisæ jam reliquiæ consedisse intelligebantur: medio campi albentia ossa, ut

ducatu Westphal. Alii longius aberrarunt a situ, qui h. l. designatur; nec de saltus ipsius magnitudine quæri poterat.

Diœbantur. Heinsius l. c. p. 293.: *visebantur.* Etenim, inquit, non dicebantur modo, sed erant, ut e sequentibus patet. Sed Romani tamen tantum e fama rem sciebant. Itaque vulgatum verum puto. Ern.

Deformes. In cod. flor. est *deformides:* unde Heins. l. c. et J. Gron. scribendum putant *deformi.* Id Taciti consuetudini orationis constructionem variandi valde consentaneum. Sed quod Heinsius addit insuper: *Iidem prima castra*, non placet. Ern. Multo minus gronovianum *deformi. Dein pr.* Injectæ particulæ locus est alibi, non hic. Nec *deformem memoriam* probo ut c. 24. *illuviem deformem*, cujus ille recordabatur.

Trium legionum manus. Quo argumento ex principiis colligebatur manus trium legionum? Quia quotiens plures legiones unis castris, principia suæ cuique legioni descripta: in quibus aquila et signa. Item, principia majora. Vide Milit. Rom. L. V. Dial. 7. Lips. Adde in Analect. ad Mil. R. ad h. l. Male rationem reddit Lipsius. Nam in castris singulis etiam singula tantum principia, si vel decem legiones in iisdem castris tenderent. Neque *ei dimensis* ad Germanicum referendum, ut ipse dimensus sit principia, ut in Analectis putat. Sensus est: e magnitudine ambitus et principiis e disciplina rom. dimensis intelligebant periti consuetudinis castrensis, tres legiones ibi tetendisse. v. Schelius p. 16. 17. Ern.

Semiruto vallo. Videtur bina castra designare: una ante cladem, justa, magna; altera in clade, quæ secundo die in monte quodam fecisse eos Dio 56, 21., tradit; at tertio, occidione occisos. Hæc secunda igitur describere mihi nunc videtur, semiperfecta, et ubi reliquiæ se collegerint. Lips.

fugerant, ut restiterant, disjecta vel aggerata. Adjacebant fragmina telorum, equorumque artus, simul truncis arborum antefixa ora: lucis propinquis barbaræ aræ, apud quas tribunos ac primorum ordinum centuriones mactaverant: et cladis ejus superstites, pugnam aut vincula elapsi, referebant, « hic cecidisse legatos; illic raptas aquilas; primum ubi vulnus Varo adactum; ubi infelici dextra et suo ictu mortem invenerit; quo tribunali concionatus Arminius, quot patibula captivis, quæ scrobes; utque signis et aquilis per superbiam illuserit. »

LXII. Igitur romanus, qui aderat, exercitus, sextum post cladis annum, trium legionum ossa, nullo noscente, alienas reliquias an suorum humo tegeret, omnes, ut conjunctos, ut consanguineos, aucta in hostem ira, mœsti simul et infensi condebant. Primum exstruendo tumulo cespitem Cæsar posuit, gratissimo

Et cladis.... pugnam. Mavult vir doctus in schedis, transposita copula, *cladis.... et pugnam.* Non assentior.

Suo ictu mortem invenerit. Sallust. Cat. c. 55. *Ita.... dignum moribus, factisque suis exitum vitæ invenit.* Grot.

Quæ scrobes. Observo scrobium mentionem aliquoties in suppliciis: sive quia soliti pumiendum in scrobe collocare, quo securius ferirent; sive quia deposituri in ea cadaver. Vix enim est, ut ejusmodi damnati combusti fuerint, aut justa eis facta. Tacitus 15, 67. *Ne hoc quidem, inquit. ex disciplina.* Philo Judæus, ὡς φλάκκον, apparatum supplicii ejus describens: οἱ δὲ ἀπιστοῦντι διώκοντες καταλαμβάνουσι, καὶ οἱ μὲν πόθῳ βρυττον βόθρον, οἱ δὲ πρὸς βίαν ἄλλον ἀφανιάζοντα καὶ κιπραγότα. Add. De *Scrobe* verissime notasse me censeo, jacta in eam corpora damnatorum. Id, qui tunc mores, pro ignominia. Nec enim terra corpora condebant, sed igne absumebant. Juvat in arcano ritu Polybius, de Carthaginiensibus supplicio affectis 1, 80. extremo: Κολοβόσαντες δὲ καὶ συντρίψαντες τὰ σκέλη, ἔτι ζῶντας ἔῤῥιψαν εἴς τινα τάφρον. Lips. Quernens Egreg. c. 7. intelligit scrobem, in qua bestiæ, quibus objecti homines. Non credo, illum morem Germanis fuisse. Ern.

Qui aderat. An inculcatum a librariis, et male repetitum ex initio superioris capitis? Ern. Quid librarios movere potuerit, ut repeterent? nam casu repetitum ipse non putat. Itaque videtur potius ex grata quadam negligentia additum.

munere in defunctos, et præsentibus doloris socius. Quod Tiberio haud probatum, seu cuncta Germanici in deterius trahenti, sive exercitum imagine cæsorum insepultorumque tardatum ad prœlia et formidolosiorem hostium credebat : neque imperatorem, auguratu et vetustissimis cærimoniis præditum, attrectare feralia debuisse.

LXIII. Sed Germanicus, cedentem in avia Arminium secutus, ubi primum copia fuit, evehi equites, campumque, quem hostis insederat, eripi jubet. Armi-

Vetustissimis cærimoniis. Quæ adhærent auguratui, nec violandæ erant. Extat inscriptio Romæ, sed mutila : in qua *Germanicus Cæsar* scribitur, *Ti. Augusti F. Divi Augusti N. Divi Julii.* PRON. AVGVR. FLAMEN. AVG. Infra etiam 2, 83., *Ne quis augur aut flamen in locum Germanici, nisi gentis Juliæ, crearetur.* LIPS. — Titulus ille mutilus extat apud Grut. p. 236.

Adtrectare feralia. Non augures solum, sed pontifices, et, opinor, omnes sacerdotes, arcebantur a funestis. Apparet ex facto Augusti et Tiberii, qui velo interposito, mortuos laudarunt. Idem ex Plutarcho in Sulla p. 474. A. qui scribit, *Metellam uxorem ejus obiisse:* additque καὶ τῶν ἱερέων τὸν Σύλλαν οὐκ ἐάντων αὐτῇ προσελθεῖν, οὐδὲ τὴν οἰκίαν τῷ πένθει μιανθῆναι, γραψάμενος διάλυσιν τοῦ γάμου ὁ Σύλλας, ἵτι ζῶσαν ἐκέλευσεν εἰς ἑτέραν οἰκίαν μετακομισθῆναι. Notabilis ritus, aut cærimonia: et credo pluries aut sollenniter usurpatam. Sulla autem inter sacerdotes: neque scio an et augures. Certe lituus comparet in quibusdam ejus numis. Sed de offensa Tiberii, credo et occultam caussam Tiberio fuisse; quod hoc factum nimis populare, et conciliando militi videbatur. Qua consimili Philippus Macedonum rex, cui bellum cum Romanis fuit, alienus ab Antiocho rege Syriæ factus, qui Macedonas cæsos ad Cynoscephalas sepelierat : humaniter, sed quasi cum tacita Philippi redargutione. Vide Appianum in Syr. c. 16. LIPS.

Campumque quem.... eripi. Genus loquendi e circo petitum. Ubi cum quatuor currus ad carceres starent, si primo ostio missus palmam meruisset, dicebant: *occupavit et vicit:* occupatio enim est eorum, qui in vacua veniunt primi : si secundo, *successit et vicit:* si tertio, *eripuit et vicit.* Habes in lapide antiquo apud Gruterum p. 337. *Eripuit* puta *campum* præcedentibus. Silius 16, 423., *Tene, Astur, certante feret quisquam æquore palmam Erepto?* Vide Salmas. ad Solin. p. 635. Idem Silius *prærepto limite* dicit de primo. Hoc Manilio est *præcludere circum* 5, 80. *vel prima tenentem Agmina in obliquum currus agitare malignos Obstantemque mora totum præ-*

nius colligi suos, et propinquare silvis monitos, vertit repente: mox signum prorumpendi dedit iis, quos per saltus occultaverat. Tunc nova acie turbatus eques; missæque subsidiariæ cohortes, et fugientium agmine impulsæ, auxerant consternationem: trudebanturque in paludem, gnaram vincentibus, iniquam nesciis, ni Cæsar productas legiones instruxisset: inde hostibus terror, fiducia militi: et manibus æquis abscessum. Mox, reducto ad Amisiam exercitu, legiones classe, ut advexerat, reportat: pars equitum litore Oceani petere Rhenum jussa: Cæcina, qui suum militem ducebat, monitus, quamquam notis itineribus regrederetur, Pontes longos quam maturrime superare. Angustus is trames vastas inter paludes, et quondam a L. Domi-

cludere circum. Illud *in obliquum* repræsentat Silius vs. 440. sqq. Est enim *malignus* in adversarium, qui hanc ei moram objicit: et præcludit ei circum, in quo nullum ei locum dat antevertendi aut laudem in eo quærendi. Quod non consideravit Scaliger, cum correxit in Manilio, *perludere.* Gron.

Manibus æquis abscessum. Æquo Marte. Sallust. Cat. c. 39. med. *Æqua manu.* At Romanos, si non fusos, certe cum damno aliquo discedere coactos e conseqq. recte notarunt viri docti.

Angustus is trames. Ubi is hodie? et an est? ex Taciti tota descriptione (considera, serio) inducor illum esse, qui hodieque extat et usui est, inter paludes aut uliginos, haud procul Amisia flumine, inter *Lingam*, *Weddam* et *Cœvordam.* Aliquot milliarium spatium occupant: itque per medias solus hic limes, manu factus, arenis magno opere congestis, et palis trabibusque ad marginandum defixis. Extrema palorum ævo detrita sunt, sed sub terra vel aquis reperiuntur: et Batavi nunc tam opportuno loco usi, qua aditus in Frisiam datur, valido propugnaculo, in ipso limite illo, munierunt. Vocant *Bretaniæ uliginos* (*Bretanscheheydè*) nostra lingua: et discis jam, ubi et unde *Britannica herba* reperta aut dicta, Plinio frustra inquisitum. Est ab ista *Britannia*, sive magis *Bretannia:* et tu, sodes, Plinium vide, in Frisiis herbam hanc mire celebrantem, 25, 3 Porro isti limites sive aggeres, *Kaii* etiam Latinis olim dicti: quæ vox et Batavis manet. Lips. Præter geographos, Cellarium et alios, v. Mens. Altingii Notitiam Germ. Infer. antiq. P. I. tab. II. in qua Pontium longorum tractus designatur. Ern. Conf. Mannerti t. 3, p. 100.

Quondam a L. Domitio. Neronis

tio aggeratus : cetera limosa, tenacia gravi cœno, aut rivis incerta erant; circum silvæ, paullatim adclives: quas tum Arminius implevit, compendiis viarum et cito agmine onustum sarcinis armisque militem cum antevenisset. Cæcinæ dubitanti, quonam modo ruptos vetustate pontes reponeret, simulque propulsaret hostem, castra metari in loco placuit; ut opus, et alii prœlium inciperent.

LXIV. Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi, lacessunt, circumgrediuntur, occurrant: miscetur operantium bellantiumque clamor: et cuncta pariter Romanis adversa; locus uligine profunda, idem ad gradum instabilis, procedentibus lubricus; corpora gravia loricis: neque librare pila inter undas poterant. Contra Cheruscis sueta apud paludes prœlia; procera membra; hastæ ingentes ad vulnera facienda quamvis procul. Nox demum inclinantis jam legiones adversæ pugnæ exemit. Germani, ob prospera indefessi, ne tum quidem sumpta quiete, quantum aquarum

principis avo. Tac. 4, 44., Suet. Ner. c. 4. In alium sane Domitium ista non cadunt. Lips.

In loco. Sic 4, 47., *castris in loco communitis*. Et tamen Heinsius l. c. conjiciebat *ilico*. Ern. Cf. 13, 41. — * Cic. ad Att. epist. 11, 7., Sall. Jug. 101.

Ut opus, et alii pr. inciperent. Frustra laborant in loco sano et nihil laboranti, (np. ob defectum τοῦ *alii* in primo membro, *ut opus*.) Vide nostra ad Liv. 3, 37., Gron. Non rara sc. exempla, in hac præsertim ætate, pronominis distributivi omissi, vel in priori, vel in posteriori membro: quod paullo ante etiam de particula *magis* vidimus. Mox c. 67. extr. *ut hi, mox pedes*: pro, *ut primum hi, mox*: et similiter in aliis. V. exempla plurima ap. Davis. et Oudend. ad Cæs. B. G. 1, 8., et quos hic laudat. Ern.

Inclinantes tum legiones. Heinsius l. c. *tum* vitiosum putat, cum ipse agnoscat, Tacitum sæpe in talibus uti hac particula. — * Malit *multum* vel *inclin. opportune*. Addit tamen *tum* servari posse. — Freinshemio placebat *jam*. Si conjecturis indulgendum, plane delendum *tum*, ut e sequentibus mox retractum, dicerem. Ern. *Jam* mihi certum. Paullo supra c. 61. *accisæ jam* reliquiæ Germ. c. 8. *inclinatas jam et labantes acies*. Et sic sæpius.

circum surgentibus jugis oritur, vertere in subjecta: mersaque humo, et obruto, quod effectum operis, duplicatus militi labor. Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat; secundarum ambiguarumque rerum sciens, eoque interritus. Igitur futura volvens, non aliud reperit, quam ut hostem silvis coerceret, donec saucii, quantumque gravioris agminis, anteirent. Nam medio montium et paludum porrigebatur planities, quæ tenuem aciem pateretur. Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, unaetvicesima in lævum; primani ducendum ad agmen; vicesimanus adversum secuturos.

LXV. Nox per diversa inquies: cum barbari festis epulis, læto cantu aut truci sonore subjecta vallium ac resultantis saltus complerent; apud Romanos invalidi ignes, interruptæ voces, atque ipsi passim adjacerent

Quadragesimum id stipendium. Est ergo idem ille, de quo 3, 33. Lips.

Invalidi ignes. Similis prorsus descriptio xenophontea Anab. 3, 1, 3., in desperatione pari: Ταῦτα ἐννοούμενοι καὶ ἀθύμως ἔχοντες, ὀλίγοι μὲν αὐτῶν εἰς τὴν ἀσπίδα σίτου ἐγεύσαντο, ὀλίγοι δὲ πυρὰν ἔκαυσαν, ἐπὶ δὲ τὰ ἵππια πολλοὶ οὐκ ἦλθον ταύτῃ τῇ νυκτί. ἀνίσανί τε δὴ ὅπου ἐτύγχανεν ἕκαστος, οὐδυτάμενοι καθεύδειν ὑπὸ λύπης, καὶ πόθου πατρίδων, γονέων, γυναικῶν, παιδῶν, οὓς οὔποτε ἐνόμιζον ἔτι ὄψεσθαι. Porro de castrorum his ignibus in *Militia* nobis scriptum 5, 9., Lips. Gruterus mavult ignes cenæ corporumque curandorum causa accensos. In tali periculo ignes vigilum solere esse crebriores, et *invalidos ignes* opponi Germanorum *festis epulis*. Ad majorem speciem laudat nobis Plut. Pelop. p. 296. C. Lipsii tamen ratio melior. Romanos cibi immemores agere noctem, omittitur. Quis id non exspectet in tanta consternatione? At grandior imago mœstitiæ ac desperationis est *vigilum ignis male pervigil.* (Stat. Theb. 8, 266.) quales *ipsi* (milites) fuisse paullo post dicuntur, *insomnes m. quam pervigiles.* Idem Grut. mox *interruptæ voces.* intelligit *militum*, non *vigilum.* Quidni utrorumque? dicat aliquis. Sed *vigilum* profecto maxime. Iis, qui per officium debebant voces emittere, pavor ora clauserat; nedum ut milites quicquam locuti sint, quibus metum silentio tegere licebat. Antitheta hic in rebus sunt, non in singulis verbis.

Interruptæ voces. Quæ, aut quo-

vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis quam pervigiles : ducemque terruit dira quies : nam Quinctilium Varum, sanguine oblitum et paludibus emersum, cernere et audire visus est, velut vocantem, non tamen obsecutus, et manum intendentis repulisse. Cœpta luce, missæ in latera legiones, metu an contumacia, locum deseruere : capto propere campo, humentia ultra. Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit : sed, ut hæsere cœno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, utque tali in tempore, sibi quisque properus et lentæ adversum imperia aures, irrumpere Germanos jubet, clamitans. « En Varus, et eodem iterum fato victæ legiones ! » Simul hæc, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime

30. *En Varus, et eodem iterum fato victæ legiones. Et eodemque iterum* Flor. Ni fallor : *En Varus, en uno eodemque iterum fato v. l.* Τὸ *en* secundo loco jam et Pichena advertit.

rum ? Vigilum. Ita capiendi auctor ipse Tacitus H. 5, 22., Duo igitur sollennia romanis vigilibus, signum et voces. Signum, capio buccinam : voces, istas quas interposuisse videntur munere suo functi, ad vigiles alios excitandos. Colligo ex Ambrosio Hexaem. 5, 15., ubi militari more de vigiliis gruum : *Ceteris quiescentibus, aliæ circumeunt... post ubi vigiliarum tempus fuerit impletum, perfuncta munere in somnum se præmisso clangore componit, ut excitet dormientem, cui vicem muneris tradiura est.* Lips. Post *voces* subintell. *essent*, ne colorem habeat nonnullorum emendatio, *adjacere v. oberrare*. Conf. ad c. 7 et 35. — * Sic et Wopkens.

Ducemque terruit dira quies. Lucanus 7, 26., *Dira quies et imagine mœsta diurna.* Gron.

Manum intendentis. Scil. ejus manum sibi. *intendere manum* est h. l. manum injicere alicui conari, ut abstrahas. Ern.

En V. et eodem. MS. et Berald. *et eodemque.* Hinc Pichena suspicatur, *En Varus, en eodemque :* J. Gronovius, *Varus est.* Male hic. Ille scite.

Simul hæc et cum delectis. Faernus legebat : *simul hæc, cum delectis scindit agmen :* deleta, *et*, conjunctione. Infeliciter, Gron. Statius Theb. 2, 659., *simul hæc, et crassum*, etc.

vulnera ingerit: illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus, disjicere obvios, proterere jacentes: plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferri ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcina, dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus, circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset: juvit hostium aviditas, omissa cæde, prædam sectantium: enisæque legiones, vesperascente die, in aperta et solida. Neque is miseriarum finis: struendum vallum, petendus agger: amissa magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes: non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos cœno aut cruore cibos dividentes, funestas tenebras, et tot hominum millibus unum jam reliquum diem lamentabantur.

LXVI. Forte equus, abruptis vinculis vagus et clamore territus, quosdam occurrentium obturbavit. Tanta

31. *Excussis rectoribus. Vectoribus* a manu Taciti esse opinor. Tum mox *repetendus agger*, non *petendus*. Repetendum laborem viæ, per angustum aggerem (de quo supra c. 63) faciendæ, fuisse præter alias molestias innuit. *Petere aggerem* habes et Ann. 2, 81. ideoque nil temere mutandum.

Rectoribus. Heinsius: *vectoribus*: quod usitatius est de equis; *rectores* de elephantis dicuntur. Sed tamen et alia loca reperiuntur, ubi rectores equorum dicuntur, quæ omnia corrigere, ut Heinsius voluisse videtur, temerarium foret. Vid. Suet. Tit. c. 4. inpr. Drakenb. ad Sil. 17, 138. Ern. Nec cogitabat vir optimus, verbum superesse corrigendum, *regere*. Plus in his dignitatis inest quam in vulgaribus.

* *Adversum* etc. Metathesis sueta. Wopkens.

Circumveniebatur, ni. Circumveniebatur et circumventus esset; res effectum habuisset; *ni pr. l. sese opposuisset*. Doctior illa neque legibus temporum contraria structura semel notanda erat. Conf. c. 35, 63, etc.

Egeritur humus. Corbulæ et sportæ. Lips.

Non tentoria manipulis. Salmasius de Mil. R. putat *manipulos* h. l. esse contubernia, inductus voce *tentorii*: quæ ratio idonea non est. Poterat etiam dicere *cohortibus*: nec propterea *cohortes* contubernia. *Manipulos* pro contuberniis serior ætas dixit. v. Schel. ad Hygin. p. 4. Ern.

Funestas tenebras. Quasi vitæ finem portendentes. *Ferales* 2, 31.

inde consternatio, irrupisse Germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas: quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti, et fugientibus tutior. Cæcina, comperto, vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem, obsistere aut retinere militem quiret, projectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundum erat, clausit viam: simul tribuni et centuriones falsum pavorem docuerunt.

LXVII. Tunc contractos in principia, jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monet: « Unam in armis salutem: sed ea consilio temperanda, manendumque intra vallum, donec expugnandi hostes spe, propius succederent: mox undique erumpendum: illa eruptione ad Rhenum perveniri. Quod si fugerent, pluris silvas, profundas magis paludes, sævitiam hostium superesse; at victoribus decus, gloriam: quæ domi cara, quæ in castris honesta, » memorat: reticuit de adversis. Equos dehinc, orsus a suis, legatorum tribu-

Decumana maxime. Ea opposita prætoriæ ex adverso, et plurimum remota ab hoste erat, et ab eo ibat. Vide Militiam nostram libro 5. Lips.

Cæcina projectus. Habes idem prorsus factum in Plutarchi Pompeio, sub init. Vide. Lips.

Pavorem esse. Hoc verbum deerat vulgo. Ex MS. atque editt. Beroald. et J. Gron. addidi.

Spe propius. Ingrata trajectio. Conjiciebam aliquando, *donec hostes exp. spe p. s.* Nunc pronuntiationem virgula adjuvavi.

Sævitiam. V. ad 2, 11. Ceterum aut addendum est *aliam*, aut, quod fortasse melius, id verbum aut simile intelligendum. Ern. Talia sine dubio delevisset Ernestius, si hanc editionem curasset. Mihine licebit ejus vice tacite fungi?

At victoribus decus, gloriam. Miror editores non obsecutos Pichenæ, qui e MS. post *gloriam* punctum posuit. *At* satis indicat *decus et gloriam* opponi *silvis, paludibus, sævitiæ hostium: victores fugientibus.* Ern.

In castris honesta. Olim aut nuper in militia feliciter ab iis gesta. Lips. Dona honorifica, non tam in castris reposita, quam adhuc merenda, ut bene Pichena. Ita *cara domi*, ad quæ dulcis reditus: *adversa*, futura; infelicem eventum. Sic et Hooftius.

Orsus a suis. Ferri potest intelle-

norumque, nulla ambitione, fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent.

LXVIII. Haud minus inquies Germanus spe, cupidine, et diversis ducum sententiis agebat: Arminio, « sinerent egredi, egressosque rursum per humida et impedita circumvenirent, » suadente: atrociora Inguiomero et læta barbaris, « ut vallum armis ambirent: promptam expugnationem, plures captivos, incorruptam prædam fore. » Igitur orta die proruunt fossas, injiciunt crates,

gique, quod plures suos equos distribuerit: præoptem tamen, *a suo*. Ut Cæsar B. G. 1, 25., *Cæsar primum suo, deinde omnium, e conspectu remotis equis*. Lips. Enimvero, recte monent Mercerus et Freinsh. apud Cæsarem esse sermonem de acie: ibi unus equus cuilibet, etiam duci. Ceterum plures in castris duces habere possunt. Hos omnes equos suos Cæcina distribuit fortissimis militum. Ern.

Orta die proruunt fossas. Turnebus probante Freinshemio, vult *orta die proruunt, fossis injiciunt crates*. Vide tamen, ut veteres hoc verbo utantur, Cæsar Bello Gall. 3, 26., *Celeriter ad munitiones pervenerunt, atque his prorutis*. Liv. 9, 14 et 37. Adde 22, 5. 26, 13. Frontinus 2, 5., *repente adortus et desertum proruit vallum et castra cepit*. Noster 2, 17., *prorutæ arbores*. Hist. 3, 22., *hostem postera die profligare ac proruere*. Et ibid 23, *balista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat*. Et sic semper: neque usquam memini me legisse *proruere* pro impetum facere, incurrere. Livii locus erat 25, 30., ubi vulgo, *ab cohorte et equitibus ex occulto proruentibus*. Sed Put. et meliores *procurrentibus*. Alter Curtii 4, 16., *Subditis calcaribus proruere in hostem*. Sic plane libri etiam optimi: sed legendum *prorumpere*, ut apud Virg. Æn. 10, 379., *et medius densos prorumpit in hostes*. Gron. Tamen Turnebi conjecturam non modo defendit, sed etiam in textum recepit Ryck. quod probari nullo modo potest. Vulgatum recte se habere puto cum Lipsio, Pichena et Gronoviis. Ern. At vero Ryck. ducem habet Freinshemium; sequunturque et alii: ut, si de auctoritate quæris, par sit ea in partem utramque. Jam Ryckio etiam Wopkens. accedit. Ac sane alibi, opinor, nusquam legitur *fossam proruere*: tum hoc verbo neutraliter acoepto facilior prodit contextus: denique ipsa obstat difficultas rei, in conspectu hostium. Ad postremum nihil admodum habeo quod respondeam, nisi quod Germano hodie nefas est exquirere, quid Germanis olim arduum fuerit aut inusitatum. Altera ratio minus valet in scriptore, qui duriores transitiones vel maxime amat. Locutio ipsa, etsi insolens et nova nobis, (nam *vallum* s. egesta, effosa terra, *prorui in fossam* dicitur; *fossa expleri*,) tamen, si significationem

summa valli prensant, raro super milite, et quasi ob metum defixo. Postquam hæsere munimentis, datur cohortibus signum, cornuaque ac tubæ concinuere. Exin clamore et impetu tergis Germanorum circumfunduntur, exprobrantes, « non hic silvas, nec paludes, sed æquis locis æquos deos. » Hosti, facile excidium et paucos ac semermos cogitanti, sonus tubarum, fulgor armorum, quanto inopina, tanto majora offunduntur: cadebantque, ut rebus secundis avidi, ita adversis incauti. Arminius integer, Inguiomerus post grave vulnus, pugnam deseruere: vulgus trucidatum est, donec ira et dies permansit. Nocte demum reversæ legiones, quamvis plus vulnerum, eadem ciborum egestas fatigaret, vim, sanitatem, copias, cuncta in victoria habuere.

LXIX. Pervaserat interim « circumventi exercitus

32. *Postquam hæsere munimentis. Inhæsere* vel *adhæsere* præstat. Sic *adhærere castris* restituit Pichena Ann. 3, 21.

verbi prægnantem cogites, neque ab analogia nec a more Taciti abhorret. Sed quod mihi quidem gravissimum videri solet, hoc est: sæpissime illa neutrali potestate in his libris legitur *prorumpere*, nusquam *proruere;* hoc autem non aliter quam active et proprie. Vid. ind. in utroque.

Injiciunt crates. Duplex hic ratio transeundi fossas, ut aut proruta a labris terra complerent; aut cratibus injectis, velut ponte transirent. Utramque tangit. Neque enim Turnebo assentiar legenti, *orta die proruunt, fossis injiciunt crates.* De cratibus etiam Galli apud Cæsarem usurpant, 7, 79., *Proximam fossam cratibus integunt atque aggere explent.* Ubi etiam de *aggere:* quem et Romani huic rei usurpabant, e fascibus scilicet et levi materie. Lips.

Hosti facile excidium. Sententia desiderat *hostis*, non *hosti*, quod inolevit. Lips. Hanc correctionem recte repudiant Mercerus, Freinsh. et alii: nec scio, quid in hanc sententiam impulerit Lipsium. Ern. — * Khm. mavult *hosti*, hoc sensu: hosti, cogitanti facile excidium, i. e. se ut paucos et semermos facile a Germanis excindi posse: vel potius, cogitanti, Romanos et paucos et semermos a se Germanis facile excindi posse.

Donec ira et dies. Heinsius l. c. *donec iratis dies permisit.* Vulgatum elegantius puto. Ern. Recte id tuetur Wopkens. exemplis 13, 15., H. 3, 68.; 4, 14.; Agr. c. 37., etc.

fama, et infesto Germanorum agmine Gallias peti: » ac, ni Agrippina impositum Rheno pontem solvi prohibuisset, erant qui id flagitium formidine auderent. Sed femina ingens animi munia ducis per eos dies induit, militibusque, ut quis inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita est. Tradit C. Plinius, germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit: « Non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quæri. Nihil relictum imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet; tanquam parum ambitiose filium ducis gregali habitu circumferat, Cæsaremque Caligulam appellari velit. Potiorem jam apud exercitus Agrippinam, quam legatos, quam duces: compressam a muliere seditionem, cui nomen principis obsistere non quiverit. » Accendebat hæc onerabatque

Impositum Rheno pontem. Qua parte Rheni iste pons? Ne trahant ad se Agrippinenses: falluntur. Apud Treveros fuit. Nam Agrippina discedens a marito, tumultu militari, in Treveros iit, ut supra lectum nobis, ibique mansit. Pons ergo copse in loco. Strabo 4, p. 194. Μετὰ δὲ τοὺς Μεδιοματρικοὺς καὶ Τριβόκχους πάροικοῦσι τὸν Ῥῆνον Τρευάγροι (puto Τρευεροὶ) καθ' οὓς πεπόνται τὸ ζεῦγμα ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων νυνὶ τὸν στρατηγοῦντων τὸν Γερμανικὸν πόλεμον. Lips. Agrippinam, mariti amantissimam, tam diu post puerperium in Treviris hæsisse, nullo modo probabile est; narrationisque series repugnat. Quocirca intell. pontem apud Novesium in Ubiis sive ap. Vetera, ubi V. et XXI. legg. hiemabant. Vide Ryck. ad h. l. et Mannert. p. 101.

Et fomenta. Nempe vulneribus. Solent enim hoc imperatores conciliandis militibus: fecitque Trajanus. Vide Suidam, in Λαμπάδιον, et me in Plinii Panegyr. c. 13. Lips.

Non simplices. Non unum consilium esse hujus curæ muliebris, nec id solum, quod præ se ferat, sed aliud insuper, occultum, ad cupiditatem summi imperii pertinens. Nec benevolentiam militum tantum conciliari, ut fortius contra hostes pugnent, sed ut adjutores sint in comparando imperio, et adversus se. Ern.

Compressam.... seditionem. Patet hæc, ut ante *largitionem*, invidiosius dici, ex c. 41. Ern.

Sejanus, peritia morum Tiberii, odia in longum jaciens, quæ reconderet, auctaque promeret.

LXX. At Germanicus legionum, quas navibus vexerat, secundam et quartam decimam, itinere terrestri P. Vitellio ducendas tradit, quo levior classis vadoso mari innaret, vel reciproco sideret. Vitellius primum iter sicca humo aut modice adlabente æstu quietum habuit: mox impulsu aquilonis, simul sidere æquinoctii, quo maxime tumescit Oceanus, rapi agique agmen: et opplebantur terræ: eadem freto, litori, campis facies: neque discerni poterant incerta ab solidis, brevia a profundis:

33. *Odia in longum jaciens.* Non prorsus damno. Tamen sit rectius *acuens.* — 34. *Sicca humo, aut modice adlabente æstu.* Credibile est, Vitellium iter fecisse refluente æstu. Fortasse castigandum est, *primum iter siccata humo, aut modice uda, relabente æstu quietum habuit.* Sic infra c. 76, *relabens Tiberis.* Et 2, 24., *relabente æstu.* Et 2, 8., *transeunt æstuaria nondum accrescente unda.* Possis quoque *ut modice adlabante æstu.* Tum mox scribendum, *magna pars udo,* aut *mulcato corpore,* non *nudo*: quo spectat illud, *sine igni,* quo vestes udæ siccarentur. Accedo etiam illis, qui legunt, *sapiens ab imprudenti.*

Odia in longum jaciens. i. e. odii materiam præparans et semina invidiæ spargens in animum Tiberii, quæ longo tempore post se exsereret. Sequentia, *quæ reconderet* etc. de Tiberio intelligenda sunt, et explicant τὸ *in longum.* Heinsii *acuens* minus elegans, quam *jaciens* puto. *In longum parare* dixit noster 3, 27. Ern. Eruditus quidam conj. *jacientis.* Eleganter, non vere, puto. — * Cf. 12, 48.

Reciproco sideret. Est hoc in eo litore Chaucorum et Frisiorum: ut mare longissime a terris recedat, et in sicco naves destituat. Ipsi navigavimus, atque experti sumus. Lips.

Sicca.... æstu. Heinsii conjectura nimis a vulgata scriptura recedit, nec necessaria videtur. Ern.

Sidere æquinoctii. Idem Cæsar sensit scripsitque, navigatione britannica, in Commentariis suis 4, 28. Et vide Posidonii non abhorrentem ab usu hodierno disputationem super tota re, apud Strabon. c. 3. extr. quem tamen ipse haud juste refellit. Lips. H. l. æquinoctii auctumnalis.

Eadem freto, litori. Ex his pluribusque locis clarum, non fuisse loco litoris olim arenarias illas moles verius quam montes, quæ Oceanum hodie arcent: succrevitque majorum ævo illa arenarum vis, satione caricis, non sine monitore deo. Lips.

Incerta ab solidis. Incerta opponuntur solidis, quia, ubi solida non sunt, ibi lubricus, instabilis et incertus gradus. Ern.

sternuntur fluctibus, hauriuntur gurgitibus jumenta, sarcinæ : corpora exanima interfluunt, occursant : permiscentur inter se manipuli, modo pectore, modo ore tenus exstantes, aliquando subtracto solo disjecti, aut obruti. Non vox et mutui hortatus juvabant, adversante unda : nihil strenuus ab ignavo, sapiens ab imprudenti, consilia a casu differre : cuncta pari violentia involvebantur. Tandem Vitellius in editiora enisus, eodem agmen subduxit. Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore ; haud minus

Gurgitibus : jumenta, sarcinæ. Vulgarem hanc distinctionem mutavi de sententia Pichenæ. Jubet res; et sic jam Beroald.

Non vox et mutui. F. *aut mutui.* Nisi hoc exemplum addatur iis, de quibus diximus ad c. 32, extr.

Sapiens a prudenti. Clarum est scribi debere, *sapiens ab imprudenti.* Lips. Hoc magis probem, quam ceterorum conjecturas. *Sapiens*, ut alias, pro perito dicitur. Idem placebat Heinsio. Alias etiam *prudens* eodem sensu dicitur. Vid. Sallust. Jug. c. 49. et ibi Cort. Ern. Lampugnani larva conjecit *sapiens ab rude*, ipso probante Lipsio. Id miror. Nam ex bonorum scriptorum observatione et ex regula Plinii maj. apud Charis. I. p. 114. ac Prisc. 7, p. 767, debebat esse *rudi*, non *rude*. Pichena corr. *insciens a pr.* Freinsh. *sapiens ab rude*, *nil cons.* quod præ ceteris placet Ryckio et Allem. Ego nunc lipsianum servavi ; sed unice placet *ab rudi*. — * Wopkens. *sapientis ac prudentis consilia.*

Pernoctavere sine utensilibus. Sine supellectile, inquit Freinshem. Ego accipio, sine cibariis : quæ aut amissa aut corrupta erant. Neque aliter ea voce utitur Tacitus. Ut cum 2, 1., ait *vilissima utensilium annulo clausa.* Ubi Lipsius etiam, supellex penusque : sed quæcunque affert loca, penum tantum demonstrant, præter unum Plinii : ex quo ut apparet etiam vasa aurea et argentea obsignatis arcis fuisse condita, ita non de pretiosis isto loco Tacitus ; sed quod servus comicus diceret, *allium* vel *acetum obsignatum cum sale*, indignabantur. Eodem lib. c. 60. *Quasque copias frumenti et omnium utensilium quæque natio penderet.* Freinsh. hic accipi ait pro quaque re, quæ usui esse posset. Nimis laxe : immo non nisi ad victum. Lib. 3, 52., *Sperni sumptuariam legem vetitaque utensilium pretio augeri in dies.* Eum c. 55. *Luxum mensæ* appellat. 15, 39., *Subvecta utensilia ab Ostia et propinquis municipiis, pretiumque frumenti minutum.* Utique ad alendam inopem plebem. Adde Pecun. vet. 2, 7. et Pricæum ad Apulei Milesias. p. 107. Gron. — De his v. et interpretes ad Lactant. de Mort. persecut. c. 27.

Nudo aut mulcato corpore. Heinsio placebat *udo* : eoque spectare *sine igni*, quo vestes udæ siccarentur. Immo

miserabiles, quam quos hostis circumsidet: quippe illis etiam honestæ mortis usus: his inglorium exitium. Lux reddidit terram; penetratumque ad amnem Unsingim, quo Cæsar classe contenderat. Impositæ deinde legiones, vagante fama, submersas: nec fides salutis, antequam Cæsarem exercitumque reducem videre.

LXXI. Jam Stertinius, ad accipiendum in deditionem Segimerum, fratrem Segestis, præmissus, ipsum et filium ejus in civitatem Ubiorum perduxerat. Data utrique venia; facile Segimero, cunctantius filio: quia Quinctilii Vari corpus illusisse dicebatur. Ceterum ad supplenda exerci-

omnes udo corpore fuisse crediderim, non magnam partem: et si ignis eo tantum pertinet, ut siccentur udæ vestes, non opus idem iterum dici, udis corporibus memorandis. Ern.

Penetratumque.... Visurgim. Ego vere hic oblæreo. Supra scriptum: *Reducto ad Amisiam exercitu, legiones ut advexerat, reportat.* Si ad Amisiam Germanicus classem conscendit, Rhenum et Galliam petiturus: quo casu nunc ad Visurgim? Tempestate, inquies. Bene; sed quomodo Vitellius, qui et ipse paullo ante ad Amisiam, et (ne tempestatem iterum suspicere) terra iit, nunc quoque ad Visurgim? Hæc si probe narrantur, Germaniam profecto petiere: non Galliam repetiere: aut fallunt me locorum omnes situs. Add. Merito hic hæsimus: ut nunc me (animo hercle meo) expedivi. Nam scribendum, *ad amnem Vidrum*, quem Ptolemæus in hoc tractu novit, et ille ipse est, quem *Vechtam* hodie vocant, et ad *Gelmudam* in sinum australem, mox Occanum, influit. Sane Taciti narratio evincit, pensitata. Ecce ad Amisiam dimisit Vitellium, ipse naves conscendit: uterque progressus, ille terra, hic mari: et ubi convenire ad amnem, nisi hic potuere? Enimvero et portus ibi a Ptolemæo locatur, *Μαναρμανὶς λιμὴν*, *Manarmanis*, neque abhorret *Stauriam* esse. Lips. Probat Ryckius. Sed Altingius in opere supra laudato conjicit *Unsingin*: quam conjecturam peracutam merito vocat J. Gron. Nomen minus notum facile a librariis mutari potuit in notissimi fluminis nomen, propter similitudinem scripturæ. Ern. Hoc in textum recep. Allemandus et Brotuaseratque ante Bleterius. Hos sum secutus, non satis gravem putans injectam dubitationem de modico alveo fluvii, ut in terra olim maximis mutationibus obnoxia. Visurgim certe Tac. hac in ora melius novit, quam ut hic poneret.

Ipsum et filium ejus. Segimeri filium Sesithacum nomine. Strabo 7. p. 292, Ἔτι δὲ Σεσίθαχος Σιγιμήρου υἱὸς τῶν Χερούσκων ἡγεμόνος. Sed corrige in Strabone, Σιγιμήρου. Nam Taciti scriptura ad etymon apta ejus linguæ. Lips.

tus damna certavere Galliæ, Hispaniæ, Italia: quod cuique promptum, arma, equos, aurum, offerentes. Quorum laudato studio Germanicus, armis modo et equis ad bellum sumptis, propria pecunia militem juvit: utque cladis memoriam etiam comitate leniret, circumire saucios, facta singulorum extollere; vulnera intuens, alium spe, alium gloria, cunctos alloquio et cura, sibique et prœlio firmabat.

LXXII. Decreta eo anno triumphalia insignia A. Cæcinæ, L. Apronio, C. Silio, ob res cum Germanico gestas. Nomen *Patris patriæ* Tiberius, a populo sæpius ingestum, repudiavit; neque in acta sua jurari, quamquam censente senatu, permisit: « cuncta mortalium incerta; quantoque plus adeptus foret, tanto se magis in lubrico dictitans. » Non tamen ideo faciebat fidem civilis animi. Nam legem majestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant: si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta re publica majestatem populi romani minuis-

Circumire saucios. V. Liv. 8, 36. de L. Papirio Cursore. Gron.

Nomen patris.... sua jurari. Adde Sueton. Tib. c. 26, 67.; Dio. 57, 8. Ern.

Tanto se magis.... dictans. Dictitans, legendum putat Muretus, Pichena et alii. Sane librarii interdum in hoc verbo lapsi sunt, et pro *dictitare* dedere *dictare*. Vid. Drak, ad Liv. 3. 20. Sed rursus 2, 65. est *dictabat*. Ern. Olim quidem ex vulgari mendo. Sed Pichena jam et multo ante Beroaldus e cod. dederunt *dictitabat*, quod ibi quoque reposui. *Dictitare* sæpe legitur in his libris, nusquam *dictare*, forma alius potestatis propria. In illa vi nihilo certior est quam *scriptare* et *lectare*; de quibus v. Bentl. ad Hor. Serm. 1, 6, 123.

Sed alia in jud. ven. Cicero, opinor, dixisset: *sed vis alia*. Itaque venit in mentem corrigere: *sed alia vis*, sive *vi*. *In judicium veniebat, si quis etc.* Verum Tacitus dedita opera vitare videtur similitudinem membrorum orationis, qua magna pars elegantiæ continetur. Itaque huic conjecturæ non confido. Ern. Sic intell. Sed alia erant crimina, de quibus tum quæstio habebatur. Haud paullo melius in hac junctura *res in judicium venit*, quam *persona*. Sic sæpe etiam Quintil.

set. Facta arguebantur, dicta impune erant. Primus Augustus cognitionem de famosis libellis, specie legis ejus, tractavit, commotus Cassii Severi libidine, qua viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. Mox Tiberius, consultante Pompeio Macro, prætore, « an judicia majestatis redderentur? exercendas leges esse, » respondit. Hunc quoque asperavere carmina, incertis auctoribus vulgata, in sævitiam superbiamque ejus et discordem cum matre animum.

34. *Specie legis ejus tractavit.* Tè *ejus* suspectum merito est habendum, ut nomen legis, nescio cujus, latere hic possit videri. An, *specie legis vetustatem retractavit*, vel *iteravit*. Meminit hujus legis Horatius 2, 1, 81. ab Augusto latæ; per vetustam legem intelligamus licet legem duodecim tabularum adversus famosa carmina. Sic 2, 30., *Et, quia vetere SC. quæstio in caput domini prohibebatur, callidus et novi juris repertor Tiberius mancipari singulos actori publico jubet.* Sic et, quum legem de maritandis ordinibus ferret Augustus, recitari curavit in senatu Orationem Q. Metelli, velut in hæc tempora scriptam. Livius Epitom. 59.

Facta arguebantur.... erant. Hæc verba Petrus Danesius putabat ex alio Taciti loco irrepsisse, eaque ut prorsus ab hoc aliena, rejiciebat, consentientibus libris, ut ait Ursinus. Quid sibi velint, ignoro. Nam et loco posita sunt verba, et verissima, quod totus titulus in Digestis ad legem Juliam majestatis docet ac demonstrat, ne post tot secula quidem tot tyrannos argui verba plane ausos sancire, etsi per interpretationem eo trahi legem paterentur. Quin et aperte Jurisconsultus: *nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum est.* Sed latebra est in illo *non facile*. Interim vere Tacitus et commode de prisca vi legis. Gron.

Primus Augustus. Sullæ discipulus. Cic. Fam. Ep. 3, 11., *Verumtamen est majestas* (*ut Sulla voluit*) *ne in quemvis impune declamare liceret.* Gron.

Specie legis ejus. De famosis libellis quæri voluit ex formula legis illius, quæ olim ad alium usum lata erat. Conf. tamen Interpp. ad Cic. Epp. Famil. l. c. et Dion. 56, 27.

Cassii Severi libidine. Scribam infra ad 4, 21. Lips.

Libidine qua viros feminasque. Nihil deperiret orationis nitori, si scriberetur: *Cassii Severi libidine, qui viros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamaverat.* Gron. Croll. vulgato contentus est. (Sic et Wopkens.) Recte Usus id longe est convenientius, non solum hujus ætatis, sed etiam ciceronianæ et omnis latinitatis.

I. m. redderentur. Sueton. Tib. 58. *an i. m. cogerentur. Judicia reddere* dicitur ad similitudinem *vel jus reddere*. De re vide, quos laudavi ad Sueton. l. c. Ern.

Carmina, incertis auctoribus. Intellegit ea ipsa carmina, quæ extant Sueton. c. 59. Lips.

LXXIII. Haud pigebit referre in Falanio et Rubrio, modicis equitibus romanis, prætentata crimina: ut, quibus initiis, quanta Tiberii arte, gravissimum exitium irrepserit, dein repressum sit, postremo arserit, cunctaque corripuerit, noscatur. Falanio objiciebat accusator, « quod inter cultores Augusti, qui per omnes domos, in modum collegiorum, habebantur, Cassium quemdam, mimum corpore infamem, adscivisset: quodque, venditis hortis, statuam Augusti simul mancipasset. » Rubrio crimini dabatur « violatum perjurio numen Augusti. »

Gravissimum exitium. Seneca de Benefic. 3, 26. Lips.

Dein repressum sit. Quando? sub Vespasiano et Tito, opinor. Nam eo usque calumniis ex lege ista locus: illi minuerunt, aut sustulerunt. Iterumque *arsit*, inquit, *et cuncta corripuit*, haud dubie sub Domitiano, qui telo eo passim usus ad sæviendum. Lips. Ergo ex hoc loco non noscitur, *quomodo repressum sit* etc. Tironibus notandum est hoc genus brachylogiæ ex docta negligentia ortum, tritumque optimis scriptoribus. Ceterum eo quodammodo promittitur crebrior mentio rei gravissimæ in libris reliquis.

Per omnes domos. Hoc est quod Ovidius de pietate sua gloriatur ex P. 4, 9, 105., *Nec pietas ignota mea est: videt hospita tellus In nostra sacrum Cæsaris esse domo.* Non tamen ut *singulæ domus* collegia sua habuerint (id non videtur, neque is sensus his verbis) sed quod circuibant domesticatim collegæ, et sacrum alibi atque alibi faciebant. Sparsi igitur per omnes domos, sed statis temporibus conveniebant. Lips. Si ita esset, unde jus et potestas modico equiti legendi collegæ? Evidens puto, proprium collegium cultorum habuisse Falanium: et sic similiter ceteros. *Mimus corpore infamis* honeste de pathico. Ern.

Statuam.... mancipasset. Rideamus: et eo magis quod jurisconsultis etiam discrimen aliquod repertum hac in re: qui tradunt; *non videri contra majestatem fieri ob imagines Cæsaris, nondum consecratas, venditas*, l. 5. et 6. D. Ad leg. Jul. maj. Ergo consecratas vendi, commissum fuit. Jure exagitat purpuratos illos stipites Tertull. Apol. p. 15. A. *Publicos æque deos fœdatis, quos in hasturio vectigales habetis. Si Capitolium, si olitorium forum petitur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur.* Lips.

Violatum perjurio. Vulgatum, ut sanctissimum jusjurandum esset per nomen et numen Augusti. Horatius id accidisse testatur eo etiam vivo, Epp. 2, 1, 15. Sapiens ille Claudius, *jusjurandum neque sanctius sibi neque crebrius instituit, quam per Augustum:* ait Sueton., c. 11.

Quæ ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus : « non ideo decretum patri suo cælum, ut in perniciem civium is honor verteretur. Cassium histrionem solitum, inter alios ejusdem artis, interesse ludis, quos mater sua in memoriam Augusti sacrasset. Nec contra religiones fieri, quod effigies ejus, ut alia numinum simulacra, venditionibus hortorum et domuum accedant. Jusjurandum perinde æstimandum, quam si Jovem fefellisset : deorum injurias diis curæ. »

Tertull. Apolog. p. 29. C. *Majore formidine et callidiore timiditate Cæsarem observatis, quam ipsum de Olympo Jovem : citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Cæsaris pejeratur.* Minutius Felix c. 29. *Et est eis tutius per Jovis Genium pejerare, quam regis.* Nec mentiuntur nostri scriptores, ex iis quæ legibus firmata video de jurejurando, lib. 13. sub finem. Lucanus inter ultiones sanguinis civilis hanc posuit, ut mihi videtur, facunde 7, 455. — *cladis tamen hujus habemus Vindictam, quantam terris dare numina fas est. Bella pares superis facient civilia divos. Fulminibus Manes radiisque ornabit et astris, Inque deum templis jurabit Roma per umbras.* Formulæ autem jurandi erant, per Genium, per Fortunam, per salutem principis. Lips. Ceterum Freinshemio placebat *numen* legi, quod sane vulgato præferendum videtur. (— * Sic et Wopkens.) Librarii monachi, adsueti consuetudini loquendi ecclesiasticæ, proclives fuere in hanc permutationem, præsertim h. l. Alias notum est, hæc duo verba sæpe in libris permutari. Ceterum, quia vulgata intelligi potest, nec absurda est, de conjectura nihil immutare ausus sum. Ern. Me audentiorem fecit Bentleius ad Hor. l. c. *Violari* potest *numen*, non *nomen*. Cf. Suet. Calig. c. 24. Alius generis est sacramentum in nomen, de quo supra.

Scripsit consulibus. Errat igitur Dio Cassius lib. 57, qui ait, Tiberium voluisse damnari eum, qui statuam cum hortis vendidisset : sed obstitisse pudorem, quia primus a consule sententiam rogatus esset. Nam Tiberius, ut vides, non interfuit : Lips. Erraret Dio etiam in temporibus, si de eodem judicio loqueretur. Affert enim illud sub 10 anno principatus tiberiani. Sed licuit ei in tali re negligentiorem esse.

Ludis quos mater. Credo eos esse qui Palatini postea a loco dicti, alii ab Augustalibus. Videnturque non equestres aut curules, fuisse, ut illi, sed scenici. Dio 56, 46., extr. Χαρὶς δὲ τούτων καὶ ἡ Λιουία ἰδίαν δή τινα πανήγυριν αὐτῷ ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐν τῷ παλατίῳ ἐποίησεν, ἣ καὶ ἀγωνίμα ἀεὶ ὑπ' αὐτῶν τῶν ἀεὶ αὐτοκρατόρων τελεῖται. Conf. Suet. Calig. c. 56. Lips.

Deorum injurias. Expressit eam sententiam et imperator libro 2. De reb. cred. *jurisjurandi contempta religio satis deum ultorem habet.* Lips.

LXXIV. Nec multo post, Granium Marcellum, prætorem Bithyniæ, quæstor ipsius, Cæpio Crispinus, majestatis postulavit, subscribente Romano Hispone: qui formam vitæ iniit, quam postea celebrem mi-

Omissio verbi *esse* vel *fore* h. l. ita dura mihi videtur, ut librariis deberi putarem, ni similes locos reperissem, ut infr. c. 80. Additur *fore* 2, 35. Ern.

Prætorem Bithyniæ. De scriptura ambigit sidus exoriens suæ Galliæ Jos. Mercerus; nec de nihilo: prætorem Bithyniæ? ait. Nonne debuisset *proconsulem?* Ex re quidem, et ex vero. Nam Bithynia, divisione Augusti, inter eas provincias, quæ senatui et populo relictæ, id est, proconsulares. Dio, 53, 12, et Strabo l. 17 extr. Quid dicam? Vulgatam haud tuear, nisi, si quid post Augustum in ea re mutatum: quod observes haud semel. Lips. Ita visum etiam Savilio. Sed aberravit a vero uterque: neque Lipsio, viro summo, venit in mentem, ut fit, quod norat, quod aliis Taciti in locis similibus viderat, velnti Ann. 2, 56, prætoris nomen a Tacito poni de præside quocumque provinciæ. Unde *jus prætoris* et *vis prætoris* pro jure et vi magistratus provincialis passim dicitur 2, 56, 77. 4, 15. Verum jam Colerus vidit, post Ryckius ad h. l. et Perizonius de prætorio p. 27, 28. Etiam vetere re publica *prætoris* nomen sic dici notavimus in Clave Cic. in h. v.; et docuit idem Perizon. l. c. p. 23. Sic ap. Ciceronem Ep. ad Div. 2, 17, Bibulus dicitur *prætor Syriæ*, qui fuit proconsul. Itaque Granius Marcellus fuit sane proconsul, et Bithynia proconsularis provincia; sed tamen communi præsidum nomine *prætor* appellatur, neque ex hac voce ullo modo genus provinciæ et imperii judicandum. Credo verum esse, quod Dukero videtur ad Liv. 35, 29, nomina *prætoris*, *proprætoris et proconsulis* sæpe esse a librariis permutata: hoc quidem in loco tale quid accidisse, nullo modo concedi potest propter ea, quæ dixi. Salmasius ad M. Antonin. Capitolini c. 22. Spanhemius de V. et Pr. N. Diss. XIII, p. 594, et Norisius Cenot. Pis. Diss. V, p. 207, putant, prætorem dici Granium, quia Bithynia provincia prætoria non consularis, in eamque mitterentur viri prætorii, non consulares, sive, quia Granius prætorius, non consularis. Nam Strabo auctor est, provinciarum populi duo genera fuisse, et alias consulares, alias prætorias dictas, quod etiam obtinuit in Cæsareis, in quas modo consulares, modo prætorii missi. Ern. Majestatis postulatus est proconsul, sed actione, quæ in speciem instituta erat de repetundis. Itaque priore crimine absolutus, posteriore damnatus est, ut obscurius tradit Sueton. c. 58. Hunc enim de eodem loqui prope certum arbitror, propter insignem rei similitudinem et eundem tractum temporis.

Romano Hispone. Cujus declamationum Electa in Senecæ Controversiis non uno loco. Lips.

Qui formam vitæ iniit. Non Hisponem, sed Crispinum intelligi, recte monet Pichena. Id patebit, si

seriæ temporum et audaciæ hominum fecerunt; nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis sævitiæ principis adrepit, mox clarissimo cuique periculum facessit, potentiam apud unum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod secuti, ex pauperibus divites, ex contemptis metuendi, perniciem aliis ac postremum sibi invenere. Sed Marcellum insimulabat, « sinistros de Tiberio sermones habuisse : » inevitabile crimen, cum ex moribus principis fœdissima quæque deligeret accusator, objectaretque reo. Nam, quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hispo, « statuam Marcelli altius quam Cæsarum sitam : et alia in statua, amputato capite Augusti, effigiem Tiberii inditam. » Ad quod exarsit adeo, ut, rupta taciturnitate, proclamaret, « se quoque in ea caussa laturum sententiam palam et juratum, » quo ceteris eadem necessitas fieret.

consideres sequentia : *Sed Marcellum insimulabat.... Addidit Hispo.* Sic etiam Ryck., qui comparat locum similem e. 15, 19. Ern. Ablat. absolutus quasi in parenthesi intercurrit. Tam subitæ mutationis relationum aliud exemplum erat c. 69, extr.

Sævitiæ principis adrepit. I. e. sævitiæ materiam subministrando gratiam ejus colligit; quæ mox dicitur *potentia* ut sæpe, 3, 50, *mulierculorum animis adrepit.* Ern.

Ex pauperibus divites. Videri possit a Demosthene, Philip. IV, p. 149. R. Καὶ γὰρ τούτων μὲν ἐκ πτωχῶν ἔνιοι ταχὺ πλούσιοι γεγόνασι, καὶ ἀδόξων ἔνδοξοι καὶ γνώριμοι. Lips.

Amputato capite. Quod nunc crimini datur, id receptum fuisse suo ævo Plinius indicat 35, 2. *Surdo*, inquit, *figurarum discrimine capita permutantur.* Et Caligula, simulacra numinum e tota Græcia conquisivit, quibus capite dempto suum imponeretur. Sueton. c. 22. Cur tamen Tiberius ita hic exarsit ? caussa aliqua est. Nam solebant tyrannos ea ignominia afficere : videbaturque occulte quasi talem Marcellus damnasse Augustum. Hieronymus in prophetam Abacuc. c. 3. *Cum Tyrannus obtruncatur, imagines quoque ejus deponuntur et statuæ, et vultu tantummodo commutato, ablatoque capite, ejus facies, qui vicerit, superponitur.* Lips.

* *Ut, rupta taciturnitate.* Ovid. A. am. 2, 505.

Quo ceteris. Vix opinor hæc inter verba Tiberii fuisse. Nimis hoc superbum, aut sævum : sed interpretatione sua, et vera, addit noster. Et sequentia Pisonis argutius ad

Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis. Igitur Cn. Piso; « Quo, inquit, loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor, ne imprudens dissentiam. » Permotus his, quantoque incautius efferverat, pœnitentia patiens tulit, absolvi reum criminibus majestatis. De pecuniis repetundis ad reciperatores itum est.

priora referuntur. Lips. De arte Tiberii in regendo sententiis suis senatu v. Dias. in Memor. Acad. Inscriptt. t. XLVII, p. 193 sqq.

Efferbuerat. Est hoc a Beroaldo, cujus ætas in talibus hærebat. Quod edidi, codex præstat.

Pœnitentia patiens tulit. Tanto patientius emendant Faernus, Muretus et alii. Non ita visum Tacito, cui pretium fuit dissimulare τὸ *tanto:* quemadmodum solent et minus brevitati studentes post *Quo* et *Quam* omittere *Eo* et *Tam:* nec leviores auctores secutus, aut hic tantum, prudentis lectoris intelligendum reliquit τὸ *magis*. Idem ergo sensus verborum veteris scripturæ, quasi haberetur: tanto, ut pœnitentiam commotioris animi approbaret, magis patiens vel patientius tulit. Gron. Vid. dicta ad c. 57. Id ni esset, suspicarer Tacitum scripsisse: *quandoque i. e.* et quoniam. *Quando* pro *quia* etiam supra dixit, satisque usitatum est. Ita sensus planus et oratio mollior foret: his de caussis, atque insuper, quia animadvertebat, se non bene dissimulasse iram, sed incautius efferbuisse, pœnituit eum facti, reumque absolvi passus est. Ceterum Heinsius l. c. censebat legendum: *pœnitentiæ patiens*, ut alibi est *iræ impatiens*. Ern. Vir doctiss. in Bibl. crit. II, 2. p. 615. *pœnitentiæ patens*. Equidem nihil melius vidi lectione vulgo recepta. (— * Sic et Wopk.) *Pœnit.* est pro participio; *patiens* pro adv. *patienter:* quare post hoc virgulam abjeci. Sensit tempestive Tiberius, aliquid imperiosum et superbum sibi excidisse: igitur colligit se et revocat; non tamen ut pœnitentiam approbet, sed quia callidum commotioris animi cito pœnitebat. — * Oct. Ferrarius 1, 10. probat Mureti *patientius tanto*.

Absolvi reum. Absolvine? atqui damnatum eum Suet. c. 58, ait. Ego non concilio: nisi si repetundarum damnatus fuit, non majestatis. Quod tamen omnino Suetonius voluisse videtur. Lips.

Ad reciperatores itum. Ergo damnatus repetundarum fuit, et tum judices dati ad æstimandum. Vide sodes, quæ scribo in 14, 28. super criminis hujus pœna. Lips. Vir doctus παραφράζει, ad judices ei negotio destinatos. Quod et obscurum et χυδαῖον, nec verbis sollennibus. Marcellus Donatus caussatur, senatum recuperatores dedisse, nusquam legi, sed, senatu jubente, a prætore dari solitos: ita hoc quoque loco accipiendum, non recuperatores in caussa Granii a senatu datos, sed jussu illius cum consensu Tiberii, vel ex hujus mandato commissum judicium recuperatorium: id ostendere verba,

LXXV. Nec patrum cognitionibus satiatus, judiciis adsidebat in cornu tribunalis, ne prætorem curuli depelleret, multaque eo coram adversus ambitum et potentium preces constituta. Sed dum veritati consulitur, libertas corrumpebatur. Inter quæ Pius Aure-

itum esse ad recuperatores : aliter enim *datos* dicturum fuisse. At ille cum dicit *itum ad recuperatores*, datos dicit a senatu judices, non qui rem, ut integram, audirent (jam enim apud senatum acta erat, ut et proconsulis Asiæ Silani 3, 66. et 67.), sed qui lites æstimarent, quod et Lipsius voluit. Sic Plinius Epp. 2, 11. *Marius Priscus, accusantibus Afris, quibus proconsul præfuit, omissa defensione judices petit.* Et mox : *Excessisse Priscum immanitate et sævitia crimina, quibus dari judices possent.* Lib. 4. epist. 9. *Censuit Bæbius Macer, consul designatus, lege repetundarum Bassum teneri; Cæpio Hispo, salva dignitate judices dandos.* Lib. 6. epist. 29. extr. *Tuitus sum Julium Bassum, ut incustoditum nimis et incautum, ita minime malum: judicibus acceptis in senatu remansit.* In commemorata undecima epistola legimus : *Marium repetundarum pœnæ, quam jam passus erat, censuit relinquendum.* Petrus Faber 2. Semest. 15. se concoquere negat illa verba, *quam jam passus erat* : quomodo enim jam subiisse pœnam dici, de cujus criminibus tum primum senatus, non ex appellatione, judicaret, et nondum pronuntiasset? Itaque mali interpretis esse hoc additamentum, et Gruterus Buchnerusque laudant. Sed falluntur : nam ex eadem epistola discimus, cum sese ultro repetundarum Marius damnasset, neque eo contentus esset Plinius; valuisse sententiam Julii Ferocis Cos. des. *Mario quidem judices interim dandos; evocandos autem, quibus diceretur innocentium pœnas venditasse.* Elapsum est igitur aliquid temporis, dum isti e provincia arcessuntur et ventitant: atque interea judices dati lites æstimarunt. Hinc ergo recte dicitur eam *pœnam jam passus*: et sententia collegæ fuit, de Mario repetundarum pœna, quam per judices a senatu datos, jam sustinuerat, *modo consularis, modo septemvir epulonum, nunc neutrum* (quæ verba et ipsa partem exacti supplicii significant) debere senatum sibi satisfactum putare. At crimina, de quibus tum senatus judicabat, erant atrocia illa, quæ *ultra repetundarum legem querebantur.* Contra Marcellum Donatum faciunt etiam, quæ scribit noster 4, 22. Gron.

In cornu trib. V. Suet. Tib. c. 33. Ern.

Potentium preces. In judiciis. Solent enim advocatos aut deprecatores adducere potentissimos civitatis. Ex Ciqerone et Asconio notum, repressitque Tiberius, quia justitiam corrumpebat. At ipse, adjungit noster, *libertatem:* nam quomodo? quia scilicet in judiciis assiduus, ea velut regebat ac temperabat, et sententiis obnoxiæ illi erant. Lips.

Dum veritati consulitur. Neque legendum *severitati*, ut nonnullis placuit, neque *veritas* est æquitas, sive ἐπιείκεια, sed simpliciter ju-

lius, senator, questus, « mole publicæ viæ ductuque aquarum labefactas ædis suas, » auxilium patrum invocabat. Resistentibus ærarii prætoribus, subvenit

titia, sanctitas et integritas judiciorum. Vid. Cicer pro Cælio c. 9., lib. 1. in Verr. c. 1. lib. 5. fine. Noster 3, 16., 4, 43. *Consulere* ergo *veritati* est *operam dare, ut integrum judicium sit*, ut loquitur noster 3, 8. Sic, si patiantur judices senatorii ordinis sese corrumpi, *opinione pop. rom. rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine* abjudicatum iri ait Cicero in Verrem 1, 2. Hæc si non sufficiunt, adde quæ ad Senec. de Ira 2, 29. diximus. Gron. Gravissima sententia. Judicum decreta oportet esse libera, nec interventu principis ullo modo sollicitari. Nocet is libertati publicæ, dum integritati judiciorum consulit præsentia sua. Confer Suet. Tib. c. 33. Dio 57, 7. et ineptulum Velleium 2, 129.

Pius Aurelius. Fortasse hic inter majores optimi principis Antonini: etsi nulla mentio Capitolino. Lips. De voce *senator* vid. ad 3, 36. Ern.

Mole publicæ viæ. Ab ingentibus illis silicibus, quibus tum viæ omnes publicæ sternerentur, istam molem fuisse putat Muretus. Alii per reparationem atque aggerationem viæ domum istam labefactam putant. Freinshemio aliter visum, ob locum Plinii 36, 2. ubi de columnis marmoreis in atrio Scauri collocatis. *Satisdari sibi damni infecti egit redemptor cloacarum, cum in palatium extraherentur.* Item hunc alterius Plinii Panegyr. 51, 1. *Non, ut ante, immanium transvectione saxorum urbis tecta quatiuntur: stant securæ domus, nec jam templa nutantia.* Seneca Epist. 90. n. 1. ab init. *In hunc usum pinus aut abies deferebatur, longo vehiculorum ordine, vicis intrementibus.* Ern. Nempe intelligit Freinsh. transvectionem immanium saxorum, qua domus urbis quassas l. c. etiam Plinius queritur. Nec video quid contra dici possit: nisi malis viam jam stratam talibus saxis in vicinia domus illius.

Ærarii prætoribus. Nova locutio. Si *ærarii* abesset, nihil dubitationis haberet *prætoribus*; quam vocem apud Suet. Claud. c. 9. pro *præfectorum*, frustra tamen, reponi volebat Nic. Lœnsis. Nunc absurdum videatur *prætoribus*, in librisque fuisse aut PR. aut PRAEF. unde quam facile nasci potuerit *prætoribus*, quisque videt. Similiter hæ voces permutatæ in libris ap. Liv. 25, 12., 32, 31., ubi v. Drak., et Suet. Aug. c. 33., ubi pro *prætore urb.* reposuimus *præfecto urb.* idque probavit et imitatus est Oudendorp. Itaque non dubitarem et hic sic reponere, nisi et Hist. 4, 9. omnes libri haberent *prætores ærarii*, item apud Frontin. de aquæd. in SCto de curatoribus aquarum p. 179. ed. Poleni; ubi tamen Scaliger *præfecti* malebat: quod potuit ibi e compendio nasci, quia in fine SCti est, *prætoribus, qui ærario præsint.* Adde dicta ad 13, 28. Ern. Nulla est suspicio vitii; et satis erat observare novatum sermonem, quippe nova in re. Primus Aug. curam ærarii ad prætorios prætoresque transtulerat. Sueton. c. 36. Idque mansit sub Tib. et Caio, teste etiam inscriptione Grut. 360, 3.,

Cæsar, pretiumque ædium Aurelio tribuit, erogandæ per honesta pecuniæ cupiens: quam virtutem diu retinuit, cum ceteras exueret. Propertio Celeri, prætorio, veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies sestertium largitus est, satis comperto, paternas ei angustias esse. Tentantis eadem alios probare caussam senatui jussit, cupidine severitatis, in his etiam, quæ rite faceret, acerbus: unde cetèri silentium et paupertatem confessioni et beneficio præposuere.

LXXVI. Eodem anno continuis imbribus auctus Tiberis plana urbis stagnaverat: relabentem secuta est ædificiorum et hominum strages. Igitur censuit Asinius Gallus, ut libri Sibyllini adirentur. Renuit Tiberius, perinde divina humanaque obtegens. Sed remedium coercendi fluminis Ateio Capitoni, et L. Arruntio mandatum. Achaiam ac Macedoniam, onera deprecantis, levari in præsens proconsulari imperio, tradique Cæsari

ubi *prætor ærarii*. Dio vertit græco more στρατηγὸν ἐπὶ τῆς διοικήσεως. De reliquis mutationibus v. Lips. Exc. B. ad XIII.

Tentantis eadem. Adi Senecam de Beneficiis 2, 7. Lips. Sueton. Tib. c. 47. Ern.

Achaiam ac Macedoniam. Achaiam quod ait, capies Græciam totam: nec enim aliter tunc appellabant Romani. Scriptor quispiam apud Suidam: Μόμμιος τὴν Κόρινθον πλὴν αὐτοβοεί, πρωτεύουσαν πάντος, κατὰ τοῦτο, τοῦ Ἑλληνικοῦ. Ὅθεν δοκοῦσι καὶ τῶν Ἀχαίαν ὀνομάζειν τὴν Ἑλλάδα Ῥωμαῖοι, ἐστὶ τὸ χειρωθὲν ἔθνος, ὃ πρόσθεν ἦν τότε τῆς Ἑλλάδος τὸν ὅλον μεταβαλόντες τῆς χώρας ἐπωνυμίαν. Conf. Pausan. 7, 16. extr. Lips.

Levari proconsulari imperio. Durius ergo proconsulare imperium præsidiali: nec caussam satis scio. Inquiro, et dico aliquid in Excurs. litera *M*. Lips. Potest fieri, ut hoc fuerit nihil aliud, quam *optat ephippia bos piger*. Memineris tamen, quod initio dixit hujus libri c. 2. extr.: *Nec provinciæ eum statum abnuebant* etc. Atque istis consonant multæ apud M. Tullium prægge querelæ: quemadmodum in Verrem 1, 1. Unde spes impunitatis et avaritia libidoque provinciales urgendi, vexandi, exhauriendi major. Cum igitur natura ferat imperiorum, ut male apud paucos, male per conciones re publica administrata, τὸ πλῆθος ἀσφαλεστέρως φέρειν τὴν δεσπότην καὶ μόναρχον, ut egregie disputat Polybius in ed. Schweigh. 6,

placuit. Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine obtulerat, Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens: quod vulgo formidolosum,

9. ita mirum non est provinciam dure habitam a magistratu senatorio, corruptis judiciis, nec ulla spe reliqua vel evadendi vel vindicandi injurias a potestatibus illatas, respicere unum, a quo sine ambagibus spes sit impetratum iri, *ubi jus, ubi injuria opus sit*, ut Junii et Vitellii loquebantur. Atque hoc significat Dio 53, 14., ubi agit de ordinatione provinciarum sub Augusto : ὕστερον δὲ ἐπειδὴ τινὲς αὐτῶν οὐ καλῶς ἦρχον, τῷ αὐτοκράτορι καὶ τὰ ἐκεῖνα προσετέθησαν. Dabat et spem meliorum ipsius Tiberii disciplina, qui miram provinciarum curam præ se ferebat : quippe qui præsidibus onerandas majore tributo eas suadentibus rescripserit, *boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere* : Suet. c. 32. Et exemplum severitatis præbuit in procuratore Asiæ Lucilio Capitone Ann. 4, 15. Quin et contationem suam in mutandis præsidibus eodem studio consulendi provincialibus excusabat, teste Josepho 18, 6, 5. ed. Havercamp., quasi animo haberet, quod apud Statium, Theb. 2, 446. ait Eteocles : *Non parcit populis regnum breve*. Denique cogitant homines, etsi plerumque in eo decipiantur, quod ait Isocrates Nicocle : Ῥᾷόν ἐστιν ἑνὸς ἀνδρὸς γνώμῃ προσέχειν τὸν νοῦν μᾶλλον ἢ πολλαῖς διανοίαις καὶ παντοδαπαῖς ζητεῖν ἀρέσκειν. Gron. Posterior ratio est vera. Meliori conditione erant provinciæ sub Cæsaribus, quam quæ proconsules haberent : primum quod majores sumtus in procons. fierent, quam legatum Cæsaris; deinde, quod facilior injuriarum ultio in hoc, quam in illo. In proconsule ulciscendo judicium requirebatur e legibus de repetundis, quæ facile perfringebantur gratia, largitione etc. In legato erat unius Cæsaris notio, item in procuratore, v. c. Judææ, præfecto Ægypti, qui facilius doceri, ad misericordiam vocari poterat et ad pœnam improborum : cujus generis exempla sunt in Philonis legatione ad Caium et alibi. Ern.

Tradique Cæsari. Quod etiam factum. Ideoque Strabo, qui vixit medio Tiberii principatu, Achaiam et Macedoniam Cæsarianis provinciis accensuit : aliter quam Dio, qui populi. Sed mutavit iterum Claudius, qui populo restituit. Habes in Suet. c. 25. et Dionis 60, 24. Lips.

Quod vulgus. Confirmo scrib. *quod in vulgus*. Ita prisci scriptores, et ipse Tacitus 2, 59., *Multaque in vulgus grata usurpavit, incedere sine milite, pedibus intectis, et pari cum Græcis amictu*. Lips. Pichenæ (qui vulgatum probat, et *formidolosum* active capit, ut supra noster usus est) interpretationi obstat vox *dicebatur*, quod est *quidam dicebant*, ut de re non nimis certa : quale quod Tiberius cum filio in secreto egerat. Id vero non convenit populo : ejus enim affectio publice nota fuit. Rectius igitur Lipsius *in vulgus*. Cicero ad Att. 2, 22. Nisi malis, *quod vulgo formidolosum*. Sic enim amat loqui lib. 11, 19. *formidolosum paci virum insignem*. 13, 53. *formidolosum id imperatori*. Agric. 7. *quippe legatis*

et pater arguisse dicebatur. Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant: alii tædio cœtus, quidam tristitia ingenii, et metu comparationis, quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim, ad ostentandam sævitiam, movendasque populi offensiones, concessam filio materiem: quamquam id quoque dictum est.

LXXVII. At theatri licentia, proximo priore anno cœpta, gravius tum erupit, occisis non modo e plebe, sed militibus et centurione, vulnerato tribuno prætoriæ cohortis, dum probra in magistratus et dissensionem vulgi prohibent. Actum de ea seditione apud patres, dicebanturque sententiæ, « ut prætoribus jus virgarum

36. *Movendasque populi offensiones. Fovendasque* malim. Sic *accendere offensiones* 2, 57. 11, 6. *nunc inimicitias, accusationes, odia et injurias foveri.* — 37. *Proximo priore anno.* Ante biennium puto, anno, qui proximo prior fuit.

quoque consularibus nimia ac formidolosa erat legio. Et rursum c. 39. *id sibi maxime formidolosum. Vulgo* autem, quod propius horum humilitas ab istorum vilitate distabat. Ad rem pertinet, quod Sueton. de Claudio c. 34. *Quocunque gladiatorio munere vel suo vel alieno etiam forte prolapsos jugulari jubebat*: et quæ sequuntur. Et de avo Neronis ibid. 4. *Munus etiam gladiatorium: sed tanta sævitia, ut necesse fuerit Augusto clam frustra monitum edicto coercere.* At Nero ipse nondum perditus, *munere neminem occidit, ne noxiorum quidem.* c. 12. Gron. Utrum horum verum sit, haud dixerim. Adscivi tamen *vulgo*, ut aptius illi constructioni, et usui satis conveniens. Præterea *et* est *etiam*; paullo ante *quamquam* levem excusationem occultat: *nimis gaudens sanguine, quamquam vili*, ut servulorum. — [z] V. Petron. 105.

Proximo priore anno. Burm. ad Suet. Claud. c. 33. putat, vel alterutrum esse ex interpretatione, vel legendum *maxime priore anno.* Non veniebat viro præclaro in mentem ap. Cic. Or. 64. esse *proximum superiorem*: Nat. D. 2, 20. *orbem proximum inferiorem.* Nat. D. 3, 21. *proxime superiores.* Nempe omnes præcedentes anni sunt priores, superiores: igitur non inepte additur *proxime.* Ern. Vopisc. Probo c. 11. *proximo superiore anno.* Conf. Wopkens. ad Cic. de N. D. 2, 20.

Militibus et centurione. Refer ad cohortem, quæ adsidere ludis solita: itemque nota cruentas istas seditiones, et quid nisi pugnas? ut non injuria Valerius *Theatra* dixerit *urbana castra: quoniam hæc quoque*, inquit, *sæpenumero voluptatem et religionem civili sanguine, scenicorum portentorum gratia, macularunt.* lib. 2. c. 4. Lips.

in histriones esset. » Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione, silente Tiberio, qui ea simulacra libertatis senatui præbebat. Valuit tamen intercessio, quia divus Augustus « immunes verberum histriones » quondam responderat, neque fas Tiberio, infringere dicta ejus. De modo lucaris, et adversus lasciviam fautorum, multa decernuntur : ex quis maxime insignia : « ne domos panto-

Quia divus Augustus. Augustus ad frangendos rigidos illos animos, non dubie rei ludicræ fautor. Ideo *coercitionem in histriones magistratibus, omni loco et tempore, lege vetere permissam, ademit: præterquam ludos et scenam*, ait Sueton. c. 45. Ubi emendo, *ludis et scena*, verissima optimaque sententia. Mos vetus puniri histriones ab ædilibus, prætoribus, consulibus, quovis tempore et quovis loco permittebat : artavit Augustus, et non nisi per tempus ludorum permisit, et in loco ipso ubi peccarant, id est, in scena. Ademit etiam jus virgarum. Quod tamen redditum esse magistratibus videtur lege Julia de vi publica : non quidem nominatim, sed prudentum interpretatione. Vide Paullum Sentent. V. tit. 26. Quæ tamen coercitio relicta ab Augusto ? Exsilium et carcer. Ideo infra in Tiberii principatu legis 4, 14. *Pulsi tum histriones Italia* : et alibi 13, 28. *in vincla ductos fautores histrionum.* Idem ergo juris in histriones ipsos. Lips.

De modo lucaris. Lucar, merces histrionum : a lucis, qui multi circa urbem, quorum reditus destinati ad ludos. Plutarchus in Quæst. r. p. 285. C. et Festus : ibique, magni patris magna proles. Pluscula adde ex Excurs. in N. Lips.

Ne domos pantomimorum. Magnum studium, ut video, romanorum in has nugas hominum, imo furor. Vestibula eorum, quasi principum, frequentabantur : adhærebant egressibus, non vulgus modo, sed eques senatusque. Plinius 29. 1., *Nullius histrionis equorumve trigarii comitatior egressus in publico erat : cum Crinas Massiliensis*, etc. Seneca Epist. 47. *Ostendam nobilissimos juvenes mancipia pantomimorum.* Idem Quæst. natural. 7, 32. *Stat per successores Pyladis et Bathylli domus. . . . . mures inter se uxoresque contendunt, uter det latus illis.* Dare latus explico, uter latero sit illis : ut hic Tacitus; *Ne egredientes, equites rom. cingerent :* ut Martialis 6, 68. *Eutychus ille tuum, Castrice, dulce latus.* Hanc insaniam quam bene notat damnatque Tertullianus! *Et enim ipsi actores* (ait, libello de spectaculis c. 22, p. 100. A.) *et administratores spectaculorum, quadrigarios, scenicos, xysticos, arenarios illos amentissimos, quibus viris animas, feminis aut illis etiam corpora sua substernunt, propter quos in ea committunt quæ reprehendunt, quam magnificiunt ? deponunt et diminuunt ignominia et capitis minutione.* Quem libens adduxi, ut eruam correctione elegantem sensum : *quibus*

mimorum senator introiret; ne egredientis in publicum equites romani cingerent; aut alibi quam in theatro spectarentur; et spectantium immodestiam exsilio multandi potestas prætoribus fieret. »

LXXVIII. Templum ut in colonia Tarraconensi strueretur Augusto, petentibus Hispanis permissum; datumque in omnes provincias exemplum. Centesimam rerum venalium, post bella civilia institutam, deprecante populo, edixit Tiberius, « militare ærarium eo

38. *Alibi quam in theatro spectarentur. Sectarentur* puto, quod proprium hac in re verbum. Satis depravatam lectionem arguit, *τὸ spectantium*, quod sequitur: neque enim credibile est, eodem vocabulo bis uti voluisse nostrum. Ann. 4, 68., *sectator domi, comes in publico.* 5, 10., *Multis sectatorum dilapsis.* 16, 22., *habet sectatores, seu potius satellites.*

viri animas, feminæ autem illis etiam corpora sua substernunt. Idque verissimum. Vir magnus, qui conatus est ante me, non attigit. Lips. — Locum Tertulliani, in nota citatum, emendatiorem exhibet Moreau.

Aut alibi. Puto, ne domi, ne in hortis. Lips.

Exsilio mulctandi. Etiam vinculis. Infra, 13, 28. Ex hoc decreto patrum nata lex, quæ Pandectis insita. lib. 48 de pœnis, lege 28. *Solent quidam, qui vulgo se juvenes appellant, in quibusdam civitatibus, turbulentibus se adclamationibus popularium* (ita vocat locum ipsum, ubi spectabat populi plebs) *accommodare, qui si amplius nihil admiserint, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculis eis interdicitur. Quod si correcti in eisdem deprehenduntur, exsilio puniendi sunt.* Ait ecce diserte, Exsilio; ut hic noster. Lips.

Templum ut. . . . Tarraconensi. Mansit ad templum ad ævum Hadriani. In ejus vita c. 12, *Tarraconem hiemavit, ubi sumptu e suo ædem Augusti restituit.* Item in Severi vita c. 3. Somniavit sibi dici, *ut templum Tarraconense Augusti, quod jam labebatur, restitueret.* Antea jam vivus aram illic habuerat; de qua, et palma ibi enata, jocus ejus in Fabio 6, 3, 77. Quod sequitur, *Datumque in omnes provincias exemplum*, cave acceperis, quasi literarum exemplaria diffusa et transcripta ad omnes provincias, cum Vertranio: sed hoc ait, exemplo Tarraconensium monitos alios, ut peterent impetrarentque idem. Lips. Templum illud hodieque multi Tarraconensium numi servant, inscripti DEO AUGUSTO.

Centesimam. Dico ad 2, 42. Lips. Add. Burman. de Vectig. P. R. p. 70, et ad Sueton. Cal. c. 15. Ern.

Militare ærarium. Cujus inventor Augustus. Suet. c. 49. Id factum anno 759, ex Dionis 55, 25. Zonaras 10. 37. Agrippæ Postumi damnati bona in ærarium militare relata ait. Propriique huic ærario præfecti. Tacitus de P. Vitellio A. 5, 8. Lapis in Samnio, L. NERATIO. C. F.

subsidio niti : simul imparem oneri rem publicam, nisi vicesimo militiæ anno veterani dimitterentur. Ita proximæ seditionis male consulta, quibus sedecim stipendiorum finem expresserant, abolita in posterum.

LXXIX. Actum deinde in senatu ab Arruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina et lacus, per quos augescit. Auditæque municipiorum et coloniarum legationes : orantibus Florentinis, « ne Clanis, solito alveo demotus, in amnem

19. *Verterentur flumina. Averterentur* malim : sic apud Claudian. in Cons. Honor. 4, 683., *Jusserat averso fluvium migrare meatu.* Tamen *vertere* pro *avertere* non est insuetum nostro. Sic 2, 42., *versa Cæsarum sobole.*

VOL. PROCVLO. PRAEF. AERARI. MILITARIS. LIPS.

Impari oneri rem p. Quo enim citius dimittebantur (expresserant autem ut decimosexto anno) eo plura et statim repræsentanda præmia. Ideo id indultum, revocatum. LIPS.

Sexdecim stipendiorum finem. Freinsh. putat multo convenientius restitui posse *sextodecimo stip.* ut error iste natus sit ex numerorum nota. Aliud enim esse, *sexdecim stipendiorum finem* : et omnium stipendiorum totiusque militiæ *finem sextodecimo stipendio* circumscriptum. Fateor sic posse accipi : sed non posse aliter accipi, et quidem pro eodem, quod substituit Freinshemius, metuo dicere. *Finis sexdecim stipendiorum* est finis militiæ complexus non plura stipendia, quam sexdecim, sistens in sexdecim stipendiis completis. Nempe *finis alicujus* non tantum est, quo finitur aliquid, sed etiam qui quodve finit. Sic Cicero Off. 1, 16. *Vulgaris liberalitas referenda est ad illum Ennii finem*, id est, quem Ennius facit vel statuit. Sic *finis sexdecim stipendiorum*, quem sexdecim stipendia statuunt. GRON.

Actum in senatu. Tacitus hic et supra duobus modo commissam eam curam scripsit At Dio auctor quinqueviros a Tiberio constitutos, qui Tiberis inundationes arcerent verterentque. Vide ejus verba 57, 14. actis anni 768. Cur opus fuerit nova electione, nescio : quia præfecerat pridem Augustus. Sueton. c. 37. In monumentis frequenter, CVRATOR. RIPARVM. ET. ALVEI. TIBERIS. LIPS.

An ob moderandas .... flumina. Pronum foret pro *ob* conjicere *ad*, quæ duæ particulæ sæpe in libris permutantur. v. Drakenb. ad Liv. 37, 27., et est *ad* in hac forma usitatissimum. Sed nihil definire audeo. Quod autem legendum Heinsius putat, *averterentur*, verbum est proprium in hac re. Itaque si Ciceronem tractarem, hoc esse ab auctoris manu dicerem. In Tacito non audeo sine libris. ERN. — * Consentit Wopkens. — Vide Ind. in vocab. *ob*, quod optime habet.

Arnum transferretur, idque ipsis perniciem adferret. » Congruentia his Interamnates disseruere : « pessum ituros fecundissimos Italiæ campos, si amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus, superstagnavisset. » Nec Reatini silebant, Velinum lacum, qua in Narem effunditur, obstrui recusantes : « quippe in adjacentia erupturum : optume rebus mortalium consuluisse naturam, quæ sua ora fluminibus, suos cursus, utque originem, ita fines dederit : spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra et lucos et aras patriis amnibus dicaverint. Quin ipsum Tiberim nolle, prorsus accolis fluviis orbatum, minore gloria fluere. » Seu preces coloniarum, seu difficultas operum, sive superstitio valuit, ut in sententiam Pisonis concederetur, qui nil mutandum censuerat. Prorogatur Poppæo Sabino provincia Mœsia, additis Achaia ac Macedonia.

LXXX. Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitæ in iisdem exerci-

Idque ipsis p. adferret. H. e. *quum, quandoquidem id.* Negligentiam hanc in primis post partic. *ne* amat romanus sermo. Latinus latinius corr. *id quod.*

Interamnates. Cod. med. dabat *Antemanates*, ex quo Pichena fecit *Antemnates*. Audacius primi editores; et vere, puto.

Sacra et lucos. Nam fluvii priscis inter deos : et res notior, quam ut exemplis firmetur. Lips.

Patriis amnibus. Loquitur de fluviis, ut de diis, unde etiam mox *accolas Tiberis* vocat. *Amnes patrii* sunt, a majoribus culti, quorum cultus a majoribus traditus est. Ern.

Ut in sententiam Pisonis. Ita omissa nunc res. Nerva tamen postea, sive Trajanus, ad arcendos fatales hujus fluvii et non sine omine auctus, fossam duxit. De qua Plinius senat Epp. 8, 17. *Tiberis alveum excessit et quamquam fossa, quam providentissimus imperator fecit, exhaustus, premit valles, innatat campis, quaque planum solum, pro solo cernitur.* Legerim, *quaque planum, solus pro solo cernitur.* Lips.

Ac Macedonia. Sic MS. et sic antea c. 70. Fidem præstamus etiam in his minutioribus. Ut supra cap. 36. reddidi *sive omnia;* c. 43, *et filium;* aliquoties, *sedecim*, non *sexdecim*, ex qua tamen scriptura c. 78. commentum suum ducebat Freinsh.

Id quoque morum Tiberii fuit. Sueton. Tib. c. 41. Ern.

tibus aut jurisdictionibus habere. Caussæ variæ traduntur; alii « tædio novæ curæ semel placita pro æternis servavisse; » quidam « invidia, ne plures fruerentur. » Sunt qui existiment, ut callidum ejus ingenium, ita anxium judicium. Neque enim eminentis virtutes sectabatur, et rursum vitia oderat: ex optimis periculum sibi, a pessimis dedecus publicum metuebat. Qua hæsitatione postremo eo provectus est, ut mandaverit quibusdam provincias, quos egredi urbe non erat passurus.

LXXXI. De comitiis consularibus, quæ tum primum, illo principe, ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim: adeo diversa non modo apud auctores,

Aut jurisdictionibus. Provincias inermes sic appellat, a præcipuo in iis præsidum munere, quod sola fere jurisdictione implebatur. Lips. In veteri re publica *imperio* et *potestate* distinguebantur præsides provinciarum. *Cum imperio* erant proconsules fere, h. e. cum exercitu et potestate belli gerendi, et quidem in provinciis vel majoribus, vel infestioribus a finitimis hostibus: *Cum potestate* autem fere proprætores in provinciis minoribus, aut pacatis, et ab hoste tutis. Potestas erat in jurisdictione. Cicero ad Q. fr. 1, 1, 7. *Mihi quidem videtur non sane magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota jurisdictione maxime sustineri*, Ciceronis autem provincia erat prætoria. Cum ergo commutata re publ. minores provinciæ et pacatæ essent proconsulum, majores, et ubi exercitus, a legatis Cæsarum pro prætore administrarentur, intelligi potest, h. l. commode provincias has per exercitus, illas per jurisdictionem exprimi. Poterat dicere, eosdem legatos et proconsules. Ern.

Ita anxium judicium. V. ad c. 73. extr. Ern.

Ut mandaverit quibusdam. Cf. Suet. in Tib. c. 63. Ceterum alii alias caussas tradunt. Sueton. c. 41. ignaviam et negligentiam rei publ. Joseph., A. 6, 5. ed. Haverc., honestiorem longe: studium parcendi sociis et provincialibus. Historici imitantur populum fere: pro suo quisque ingenio, studiis, moribus, interpretatur quidque. Ern.

Quos egr. urbe non erat passur. Pingitur ambiguitas consilii. Mandavit quibusdam provincias, quos, sive metu seu aliqua alia caussa, Romæ retinere ante statuerat. Multi hoc perperam interpretantur.

Tum primum. Secundo anno Tiberii, quo primum designavit Coss. Nam proximo priori destinarat Augustus. *Deinceps* int. de reliquis annis ejusdem Tiberii, non de successoribus ejus. Conf. Dio 58, 20.

sed in ipsius orationibus reperiuntur. Modo, subtractis candidatorum nominibus, originem cujusque et vitam et stipendia descripsit, ut, qui forent, intelligeretur: aliquando, ea quoque significatione subtracta, candidatos hortatus, ne ambitu comitia turbarent, suam ad id curam pollicitus est. « Plerumque eos tantum apud se professos, disseruit, quorum nomina consulibus edidisset: posse et alios profiteri, si gratiæ aut meritis confiderent. » Speciosa verbis, re inania, aut subdola; quantoque majore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infensius servitium.

Descripsit. Est verbum proprium, quo utuntur, cum de aliquo non nominatim dicitur, sed tamen ita ut, qui sit, intelligatur. Sed boni auctores, velut Cicero, fere jungunt accusativo personæ: *describere aliquem.* Vide exempla in Clave Cic. in h. v. ex qua ratione dicendum erat: *origine quemque et vita, et stipendiis descripsit:* h. e. commemoranda origine, moribus et stipendiis. Sed vulg. a Tacito esse puto. Ern. Nec unquam quisquam dubitavit.

Ea quoque signific. subtracta. An originis, vitæ, stipendiorum? Ut tantum nomina ederet, quorum rationem haberi vellet. Sed additur, *ne ambitu com. turbarent.* An igitur privatim aliquando candidatos suos commendare satis habuit, in senatu autem ignarum egit, simulacrum præbens liberæ electionis? Nimis hercle brevitas.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER SECUNDUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Initia belli parthici. Phraates, Vononis pater. — II. Vonones popularibus invisus. — III. Ab Artabano pulsus, ad Armenios profugus. — IV. In Armenia mutatio regum. — V. Germanicus invidia Tiberii revocatus, Germanos confestim aggredi parat. — VI. Classis ejus. Rhenus. — VII. Irruptio in Cattos. Ara Drusi restituta. — VIII. Fossa Drusiana. Amisia. In rebelles Angrivarios animadversum. — IX. Arminii cum fratre colloquium : — X. inde ira et jurgium. — XI. Visurgim transeunt Romani. Batavorum discrimen. Cariovalda cæsus. — XII. Germanicus militum animos explorat. — XIII. Transfugis præmium pronuntiatum a Germanis, mox castris Rom. adsultatum. — XIV. Germanici somnium. Ejusque — XV. et Arminii orationes ad suos. — XVI. Locus pugnæ, campus Idistavisus. Acierum instructio. — XVII. Faustum augurium. Fuga Germanorum et clades. — XVIII. Tropæum positum. — XIX. Quo dedecore accensa gens bellum resumit. — XX. Acriter pugnatum. — XXI. Vincunt tandem Romani, quamquam ambiguo equitum prœlio. — XXII. Monumentum et titulus rerum magnificus. — XXIII. Milites classe revecti. — XXIV. Ex tempestate calamitas et pæne exitium. Recollecti naufragi. — XXV. Hac fortuna erectos denuo Germanos aggreditur Germanicus cæditque, simul aquilam varianam recipit. — XXVI. Tum

rebus infectis avocatur a Tiberio. — XXVII. Libo Drusus ab amico delatus. — XXVIII. Accusatus in senatu, — XXIX. quum patronos non reperiret, — XXX. nec tam sceleris quam vecordiæ convinci posset, novo jure servos torqueri in suum caput vidit. — XXXI. Jam frustra orato principe, Libo se ipse confecit. — XXXII. In defunctum sententiæ senatorum. Astrologi et magi ex Italia pulsi. — XXXIII. Luxus publicus leviter coercitus, quem defendit Asinius. — XXXIV. Pisonis libertas, Urgulaniæ potentia. — XXXV. De rebus proferendis certamen in senatu. — XXXVI. Asinii sententia de comitiis, a Tiberio rejecta. — XXXVII. Hortali, levamentum inopiæ suæ poscentis, orationem — XXXVIII. aspere excipit Tiberius; tamen liberis ejus nonnihil largitur. — XXXIX. Clementis servi facinus. Is Postumum Agrippam se mentitus, principi curam injicit, sed — XL. Sallustii Crispi dolo captus, occiditur. — XLI. Romæ dedicantur nova opera.

Anno proximo triumphat Germanicus. — XLII. Archelaüs rex Cappadocum in Urbem accitus, perit. — XLIII. Oriens turbatus committitur Germanico; Pisoni, feroci homini, Syria. — XLIV. Drusus in Illyricum missus, Suevis contra Cheruscos auxilium petentibus. — XLV. Ita inter se discordes Germani accinguntur ad pugnam. Arminii ad suos oratio: — XLVI. Marobodui item ad suos. Atrox prœlium. Maraboduus pro victo. — XLVII. Terræ motus in Asia. Eo adflictos sublevat Tiberius; — XLVIII. in alios non minus liberalis. — XLIX. Templa quædam dedicata. — L. Varilia majestatis postulata. — LI. De prætore substituendo contentio. — LII. Tacfarinatem et Mazippam bellum in Africa moventes fundit Camillus. Triumphalia ei decreta.

LIII. Germanici varia itinera. — LIV. Consulit in reditu Clarium Apollinem. Oraculi ratio. — LV. Piso et uxor Plancina Germanicum insectantur; etiam castra corrumpunt. — LVI. Germanicus Armeniæ regem, Cappadociæ et Commagenæ legatos imponit. — LVII. Pisonis insolentia in congressu, concilio, conviviis. — LVIII. Vonones Syria demotus.

LIX. Germanicus Ægyptum petit, improbante Tiberio. — LX. Canopus. Thebæ priscæ. — LXI. Statua Memnonis. Pyramides et alia. — LXII. Germanorum discordia, astu Drusi. — LXIII. Maroboduus, vi Catualdæ pulsus, confugit ad Romanos. Eadem mox fortuna Catualdæ. — LXIV. Rhescuporis, Cotye fratris filio oppresso, romanam divisionem egressus, illius partem appetit; — LXV. ipsoque per fraudem comprehenso, universam Thraciam occupat. — LXVI. Hinc vocatus ad caussam dicendam Cotyn occidit. — LXVII. Romam perductus et damnatus. — LXVIII. Vonones fugam tentat; at deprehensus confoditur. — LXIX. Germanicus ægrotat, scelere, ut creditur, Pisonis, — LXX. cui amicitiam renuntiat veteri more. — LXXI. Mandata familiaribus ultione, — LXXII. datisque conjugi monitis, moritur. — LXXIII. Alexandro M. comparatus et prælatus. — LXXIV. Sentius Syriæ præficitur. — LXXV. Agrippina properat in Urbem. — LXXVI. Pisoni, Germanici casu exsultanti, reditum in Syriam dissuadet filius: — LXXVII. suadet contra Domitius Celer, — LXXVIII. ac persuadet. — LXXIX. Piso vim parans in successorem Sentium, obviam fit Agrippinæ: — LXXX. castellum occupat: aciem struit: sed pellitur a Sentio: — LXXXI. tandem tutum ei iter Romam conceditur. — LXXXII. Ibi magna ob necem Germanici ira et luctus. — LXXXIII. Honores viro decreti. — LXXXIV. Livia Druso gemellos parit. — LXXXV. Scita in libidinem mulierum. Pulsa sacra Ægyptia et Judaica. — LXXXVI. Capta Vestalis. — LXXXVII. Frumento pretium constitutum. Novos honores aversatur Tiberius. — LXXXVIII. Arminii cædes et præconium.

Hæc gesta annis quatuor,

Coss. T. Statilio Sisenna Tauro, et L. Scribonio Libone. C. Cælio Rufo, et L. Pomponio Flacco. Tiberio Cæsare Aug. III, et Germanico Cæsare II. M. Junio Silano, et C. Norbano Flacco.

COMMENTARIUS.

Cælio Rufo. Reliqui hoc in loco nomen *Cælii*, infra c. 41 mutatum ab Ernestio. Nam ibi illatæ inscriptioni alia obstat ap. Gruter. CCCCXLVIII. 8.

I. Sisenna Statilio Tauro, L. Libone Coss. mota Orientis regna provinciæque romanæ, initio apud Parthos orto: qui petitum Roma acceptumque regem, quamvis gentis Arsacidarum, ut externum adspernabantur. Is fuit Vonones, obses Augusto datus a Phraate. Nam Phraates, quamquam depulisset exercitus duces-

Gentis Arsacidarum. Strabo 15, p. 702., Τοιοῦτον δὲ καὶ τὸ παρὰ τοῖς Παρθυαίοις. Ἀρσάκαι γὰρ καλοῦνται πάντες, ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν, Ὀράδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δὲ ἄλλο τι. Ubi Casaubonus, immo *Arsacidæ* vocabantur, inquit, non *Arsacæ*; et ita legendum, dictare cum grammaticorum canonas, tum Dionem, et alibi Strabonem. Idem tamen ad 12. p. 563.: Paphlagoniæ reges *Pylæmenes* vocabantur; Cappadociæ plerique *Ariarathes*; Thraciæ plurimis *Cotys* nomen fuit; Parthorum *Arsacæ*: sic ibi. Nimirum si πατρωνυμικὸν formandum sit, grammaticorum canones Ἀρσακίδης volunt, ut *Priamides, Tydides*: sed ipsi haud dubie salutabantur et se scribebant quisque, *Arsaces*, non *Arsacides*, simul imperare cœperant, etsi prius alio nomine fuissent. Sic apud Sallust. Fragmm. e l. 4. Histor. *Rex Mithridates regi Arsaci*, scribit. Is erat Phraates secundus, Pacori filius, gente *Arsacides*, nomine inter suos *Arsaces*. Dio 36, 28., τοῦ γὰρ Ἀρσάκου τοῦ τῶν Πάρθων βασιλέως ἀποθανόντος ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ Φραάτην τὸν διάδοχον αὐτοῦ προσδόκασιν οἰκειώσεσθαι. Hic Arsaces erat Pacorus quem modo nominabamus. Sic et Trogus 41, 5., testatur, memoriæ conditoris Parthos hunc honorem habuisse, *ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent.* Lapis vetus Romæ ap. Grut. CCLXXVIII, 2.

SERASPADANES. PHRAATIS.
ARSACIS. REGVM. REGIS. F.
PARTHVS.
RHODASPES. PHRAATIS.
ARSACIS. REGVM. REGIS.
PARTHVS.

Recte igitur et Strabo Ἀρσάκαι. Gron. Dionis Arsaces Appiano Sanatroces est. Pacori per illa tempora nusquam mentio. Sed de omnibus his Parthorum et Armeniorum regibus excursus vide. — De nomine Sanatrocis R. Parth. diversimode reddito apud veteres, v. Eckhel in Doctr. NN. vet. vol 3, p. 528. Numus præfert ΣΑΝΑΤΡΟΙΚΗΣ.

Depulisset exercitus. Possit alicui in mentem venire *pepulisset*. Sed vulgatum recte habet. Paullo post: *ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium.* Et h. l. sermo est de Antonio: quamquam *depellere* etiam simpliciter pro *vincere* dicitur, ut 3, 73. et alibi. Ern. Fuderat etiam Oppium Statianum et alios duces. Plut. p. 933. sqq. Dio 49, 25. Mox *venerantium officia* locutio est huic ætati propria. Dial. de Eloq. c. 29. *ambitio salutantium*, ubi male corrigunt. Agric. c. 4. *illecebræ peccantium.* Ad officia

que romanos, cuncta venerantium officia ad Augustum verterat, partemque prolis firmandæ amicitiæ miserat; haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus.

II. Post finem Phraatis et sequentium regum, ob internas cædes venere in Urbem legati a primoribus Parthis,

illa pertinebat restitutio signorum et alia quædam, uti species numi Pelleriniani Supplem. 3. aux recueils d. médailles p. 9, 34.

Partemque prolis. Quatuor filios, si Strabonicredimus, et eorum uxores duas, cum filiis item quatuor, misit Romam. Verba ejus sententiaque gemina sunt huic loco, 16. p. 748. inf. Ὁ Φράάτης καλέσας εἰς σύλλογον Τίτιον, τὸν ἐπιστατοῦντα τότε τῆς Συρίας, τέτταρας παῖδας γνησίους ἐπεχείρησεν ὅμηρα αὐτῷ, Σαραστάδην καὶ Κροσπάδην καὶ Φράάτην καὶ Βονόνην, καὶ γυναῖκας τούτων δύο, καὶ υἱοῖς τέτταρας δελίδας τὰς στάσεις καὶ τοὺς ἐπιτιθεμένους αὐτῷ. Tantum in iis emendaverim, Φράάτην καὶ Βονόνη. Fuerunt enim inter obsides Phraates et Vonones. Vide eumdem scriptorem 6. p. 288. Hac ipsa de re Justinus, 42, 5., *Sed et filii nepotesque Phraatis obsides Augusto dati.* Lips.

Haud perinde nostri metu. Utriusque facti hæc ratio est, non tantum venerationis adversus Augustum, ut Boxhornio placet: nam τὰ *firmandæ amicitiæ* nihil nisi prætextum significant. Imperaturum Parthis oportebat esse Arsacidem. Quem gravem facile destituebant, si copiam alterius haberent, eadem stirpe prognati: sin, spes erat minus ausuros, cum deesset, quem subornarent adversus præsentem, cujusque auctoritatem sequerentur. Sic Ptolemæus Physcon arcessitum maximum a Cyrenis filium Memphitem, ne eum Alexandrini contra se regem crearent, interfecit. Hoc spectavit et Nero in Britannico tollendo: *tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia summum ad fastigium genita.* Ann. 13, 17. Hic ipse Phraates, cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret: ne esset, qui rex nominari posset, adultum filium interfici jussit, teste Trogo l. c. Eandem ob caussam hos amandavit. Nam quod Josephus A. l. 18, 2., narrat, etiam verum censeo. Phraates metuebat exemplum suum: eum metum intendit mulier quasi et ipsa pro marito timens, cum revera filio locum ad successionem pararet. Species assumpta, ut firmandæ amicitiæ obsides essent. Gron.

Fidei popularium. Eadem caussa in Strabone. Nec injuria etiam liberis suis diffisus, ne suo exemplo se tollerent. Ipse enim Orodem patrem sustulerat, itemque fratres viginti novem. Josephus, A 18, 2. ed. Havercamp. missionem hanc obsidum ad Thermusæ uxoris artes refert, ut illis absentibus filio suo Phraataci regnum conficeret, quod evenit. Lips.

Sequentium regum. Adeo ergo multi interjecti inter Phraatem et filium ejus hunc Vononem? ego sane duos reperio, Phraatacem et Orodem. Sed quia confusum hoc to-

qui Vononem, vetustissimum liberorum ejus, accirent. Magnificum id sibi credidit Cæsar, auxitque opibus: et accepere barbari lætantes, ut ferme ad nova imperia. Mox subit pudor, « degeneravisse Parthos: petitum alio ex orbe regem, hostium artibus infectum: jam inter provincias romanas solium Arsacidarum haberi, darique. Ubi illam gloriam trucidantium Crassum, exturbantium Antonium; si mancipium Cæsaris, tot per annos servitutem perpessum, Parthis imperitet? Accendebat dedignantes et ipse, diversus a majorum institutis; raro venatu, segni equorum cura; quotiens per urbes

tum stemma, et multa ejus in Tacito mentio: dedi in Excurs. super eo, quod opus, litt. *A*. Lips.

Vetustissimum liberorum. Atqui in Strabone quartus ordine, minimusque ponitur. Lips. Bene monet Freinshemius, intelligendum esse de tota progenie, ex qua tum natu maximus Vonones, cum legatio mittebatur. Ern. Sane nescimus, quando perierint Seraspadanes et Rhodaspes; ac potuit jure Tacitus ad illud legationis tempus respicere. Cetera discrepantia nulla est. Strabo hunc Vononem quartum ponit ordine, an ætate, nemo dixerit: nec sciebat ipse fortasse.

Auxitque opibus. Comitatu, pecunia, alia pompa instruxit, regium in morem. Lips. Mox, *ut ferme ad nova imperia* int. solent læti esse vel lætari. Ern. *Cæsar*, Augustus. Ann. 12, 11. Missæ legationis annus ab U. C. 758 vel 759. ponitur Vaillantio et aliis, a quibus cur dissentiamus aut annum finiamus 752, nullum argumentum video.

Solium Arsacidarum. Quod et sæpius est factum, eoque velut de more, scribit Hegesippus, in oratione Agrippæ regis 2, 9., med. *Persarum superba audimus imperia, sed eorum quoque obsides vidimus: et cum ipsi pluribus nationibus imperent, offerunt liberos suos, et nobilitatem suam. Servire Romanis gaudent pro fide pacis; simul ut serviendo discant suis imperare. Offerunt vestes, monilia, elephantos quoque Romanis, unum tributum reges imponere*. Postrema huc faciunt, et emendem: *elephantos: quodque Romanis unum* (vel, *summum*) *tributum*. Lips. Claudianus Cons. Honorii 4, 214., *Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset*, etc. Apud Hegesippum, quem tentat ὁ πάνυ (Lipsius), legendum censeo: *offerunt vestes, monilia, elephantos; quodque Romanis visum est tributi genus imponere*. Vel, *visum tributorum genus imponere*. Gron.

Ubi illam gloriam. Formula desiderantis et exprobrantis bonum amissum, ut recte Freinshemius. Vid. de ea Heins. ad Ovid. Heroid. 4, 150. Ern.

Raro venatu, segni equ. cura.

incederet, lecticæ gestamine, fastuque erga patrias epulas. Irridebantur et Græci comites, ac vilissima utensilium annulo clausa: sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia; et, quia ipsorum moribus aliena, perinde odium pravis et honestis.

1. *Sed prompti aditus, obvia comitas, ignotæ Parthis virtutes, nova vitia, et, quia ipsorum majoribus aliena, perinde odium pravis et honestis.* Locus perplexus. Primo recte Muretus *ipsorum moribus*: nisi quod propius accedit ad vetustam scripturam, *ipsorum a moribus aliena*. Deinde, *ignotæ Parthis virtutes, nova vitia*, id est, virtutes sibi ignotas pro novis vitiis Parthi interpretabantur. Ita capiunt homines eruditi, et tale quid voluit noster. Sed tum concinnius foret, *ignotæ Parthis virtutes*, seu *nova vitia*, at subintelligas *habebantur*, aut *pro vitiis* potius dixisset, ut Hist. 1, 2., *pro crimine*. Verum, aut fallor, aut totus locus sic constituendus est, *ignotæ Parthis virtutes, novitate invisæ, et quia ipsorum a moribus alienæ, perinde odio pravis et honestis. Nimirum erant.* Tale illud in Vita Agr. 3, *invisa primo desidia, deinde amatur*. Ann. 11, 16., *temperantiam nulli invisam*. Mox c. 33 dixit, *idque non novum sed e vetustissimis moribus*; et Hist. 1, 75., *novitas vultus*. Plinius Ep. 9, 33., de delphine., *Constat, Octavium Avitum in litus educto.... superfudisse unguentum, cujus ille novitatem odoremque refugisset*. Deinde *odio* pro *odio erant*. Sic infra c. 70, *iræ*, pro *iræ esse*, ut doceo in notis, et 11, 17., *nec patrem rubori* ex codice Agricolæ, omissis τοῖς *illi* et *esse*. 12, 5. *Quin et incestum; ac si spernerentur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur*. Intelligo *incestum committi*, nisi mavis cum Freinshemio referre ad τὸ *metuebatur*.

Quæ tamen unica studia procerum regisque. Conf. Xenoph. Cyrop. 8, 1, 13. Lips. Conf. Sueton. Calig. c. 5.

Fastuque erga patrias epulas. Fastus h. l. est fastidium, quod proprie in cibis dicitur, et id est etiam interdum e superbia: unde *superbus dens* ap. Horat. de fastidio Serm. 2, 6, 87. Simplicem victum Persarum fastidiebat, adsuetus Romæ delicatioribus. Ern. Simplicem victum Parthis non tribuerim. In *epulis* cogita totum morem convivandi cum megistanibus. *Fastus* invidiose dicitur pro contemptu, de aliis quoque rebus quam cibis.

Græci comites. Vide Excurs. XV. ad Suet. Ern.

Annulo clausa. Signatorium annulum intellegit: sive, ut alii appellant, sigillaricium, qui habeat χαρακτῆρα. De quo Vopiscus in Aurelian. c. 50. *Uxori et filiæ annulum sigillaricium quasi privatus instituit*. Moris autem Romani, ut domi supellex penusque omnis eo signaretur: ne quid negligentia aut furto periret. Exempla in Excurs. vide litt. *B*. Lips. Vide Luciani Hermot. §. 11. et de *utensilibus* ad lib. 1, 70. Gron.

Nova vitia. Vultne ipsas virtutes ignotas, habitas pro vitiis? possit sic accipi; ut comitas illa pro vilitate fuerit: sed potius est, duo dici, ut et ignotas quasdam virtutes intulerit, et nova etiam vitia, luxum videlicet, delicias, aliaque romana. Mox, *ipsorum majoribus*: haud male etiam, *moribus*. Lips. Hoc præferunt Muretus, Freinshem. et Heinsius Obs.

III. Igitur Artabanus, Arsacidarum e sanguine, apud Dahas adultus, excitur, primoque congressu fusus, reparat vires, regnoque potitur. Victo Vonomi perfugium Armenia fuit, vacua tunc, interque Parthorum et Romanas opes infida, ob scelus Antonii, qui Artavasden, regem Armeniorum, specie amicitiæ inlectum, dein catenis oneratum, postremo interfecerat. Ejus filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, Arsacidarum vi seque regnumque tutatus est. Occiso Artaxia per

Misc. vol. IX, t. III, p. 382. *sive a moribus*. Recte recepit Gron. Quod autem ad verba *ignotæ Parthis virtutes, nova vitia*, attinet, priorem Lipsii interpretationem cum Heinsio l. c. probamus. Ceterum quod hic locum sic constituendum putat: *ignotæ Parthis virtutes, novitate invisæ, et quia ipsorum a moribus alienæ, perinde odio pravis et honestis*: id nimis recedit a vulgata scriptura, nec necessarium videtur. Sensus est: virtutes Vononis, ut prompti aditus et obvia comitas, quia ignotæ ante Parthis in regibus, pro novis vitiis habebantur, omninoque et prava et honesta ejus instituta odio erant, propterea quod a moribus ipsorum aliena erant. Ern. In verbis *et quia* etc. latet explicatio quædam prioris sententiæ, Tacito non infrequens mos. Lipsio forsan amor brevitatis imposuerat.

Reparat vires. Fuga capta ad montes Mediæ, ait Joseph. 18, 2, 4., ed. Havercamp. Lips.

Perfugium Armenia. Primo Seleucia. Vide eumdem scriptorem l. c. Lips.

Ob scelus Antonii. Vere scelus, nec enim censori Tacito ludus et jocus, ut hodie, fallere fidem. Artavasdes autem Antonium expeditione parthica deseruisse visus, fallacibus ab eo literis excitus, in vincla habitus, et in triumpho Alexandriam ductus est. Vide Dionem 49, 39 et Plutarchum, p. 939. D. Lips. Cur Parthis infida fuerit, pro noto omittit, properans statim ad scelus Antonii.

Artavasden. Artabazen Græci scriptores vocant, Jos. B. J. 13, extr. Dio Cass. 54, 9., et alibi, Plutarchus in Crass. p. 554, sed idem in Anton. p. 939, et Strabo 11, p. 524 et 530., *Artavasden*. Ern.

Occiso Artaxia. Josephus hunc Artaxiam filium facit Artabazis: ita enim appellat pro Artavasde, ut alibi etiam Plutarchus. Occisum eum a propinquis non dicit, dicit a Tiberio et Archelao pulsum. Horatius gloriam tribuere Tiberio videtur non pulsi solum, sed etiam occisi, Epist. 1, 12, 26. Sueton. Tib. c. 9, *Ducto ad Orientem exercitu regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit*. Dio historiam confundit, et Artabazem nominat pro Artaxia; Tigranem facit ejus fratrem 54, 9. Res autem ita habet. Artavasdes sive Artabazes, duum filiorum pater, Artaxiæ et Tigranis: ille major natu. Adi Joseph.

dolum propinquorum, datus a Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum a Tiberio Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis, more externo, in matrimonium regnumque. Dein jussu Augusti impositus Artavasdes, et non sine clade nostra dejectus.

IV. Tum C. Cæsar componendæ Armeniæ deligitur. Is Ariobarzanem, origine Medum, ob insignem corporis formam et præclarum animum, volentibus Armeniis præfecit. Ariobarzane morte fortuita absumpto, stirpem ejus haud toleravere: tentatoque feminæ imperio, cui nomen Erato, eaque brevi pulsa, incerti solutique, et magis sine domino quam in libertate, profugum Vononem in regnum accipiunt. Sed ubi minitari Artabanus, et parum subsidii in Armeniis, vel, si nostra vi defenderetur, bellum adversus Parthos sumendum erat; rector Syriæ, Creticus Silanus, excitum

15, 4, 3., ed. Havercamp. Lips. De Horatii loco v. Ruhnkenium ad Vell. 2, 94. p. 384. quam caussam tamen ampliandam duco.

Datus.... deductusque. Proprie *datus*. Hoc verbo in numis Augustum usum ad Suet. Tib. c. 9. observatum Torrentio et aliis. *Deducere* plane exprimit Josephi κατάγειν. Sed Suet. l. c. dicit *regnum Armeniæ Tigrani restituit*. Id si proprie capias, falsum est: sed *restituere* ibi capio pro *dare*. Vid. viros doctos ad Vell. 2, 32., et sic verbum hoc postea sæpe usurpatum etiam in constitutionibus principum. Vid. Glossar. Nomic. Cod. Theodos. h. v. Ern. Quomodo in isto genere confundi possint *restituere* et *dare*, verba per se diversa satis, nec optimis scriptoribus commutata, facillime apparet. Etiam Dio l. c. habet. ἀποκαταστῆσαι.

More externo. Qui mos etiam Ægyptiis aliisque barbaris ad Orientem. Lips.

C. Cæsar. Fil. Agrippæ, in reditu ex illa provincia mortuus. De Artavasde paullo ante v. Exc.

Magis sine domino. Nam libertas legibus et magistratibus suis constat, et imperii certa forma. Itaque sine domino esse possunt, nec tamen liberi proprie dicendi. Lips. Gallofranci nuper exemplum dederunt.

Artabanus. Qui Orodem sive Herodem filium suum regem iis dedit. Josephus 18, 2, 4., ed. Havercamp. qui etiam hanc rem fusius exsequitur, paullum tamen a Tacito diversus. Lips.

custodia circumdat, manente luxu et regio nomine. Quod ludibrium ut effugere agitaverit Vonones, in loco reddemus.

V. Ceterum Tiberio haud ingratum accidit, turbari res Orientis; ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret, novisque provinciis impositum, dolo simul et casibus objectaret. At ille, quanto acriora in eum studia militum, et aversa patrui voluntas celerandæ victoriæ intentior, tractare prœliorum vias, et quæ sibi tertium jam annum belligeranti sæva vel prospera evenis-

In loco reddemus. Reddidit hoc ipso libro c. 68. Lips.

Novis provinciis. Accurate. Non enim uni provinciæ præpositus, sed omnibus, quæ in Oriente, sive. ut c. 43. dicit, quæ mari dividuntur, cum imperio proconsulari. Ern.

Dolo simul. Dolo, quem ipse meditabatur, et in longinquis locis veneno tollere, obscuriore sic fama. Lips. *Objectare* imitatione Virgilii dixit Æn. 2, 751. Nam omnino sæpe hunc imitatur. Ern.

Tractare prœliorum vias. Heinsius l. c. conjiciebat *prœliorum dubia*, ut dixit noster Hist 2, 33., pro quo alibi est *incerta prœliorum* ibid. 77, — et *incerta belli.* Ann. 4, 23.* Accommodatius ad scripturam vulgatam et eodem sensu *vices*, Acidalius. At mihi videtur Tacitus his verbis non idem dicere, quod sequentibus, sed potius, Cæsarem consultasse de modo belli cum Germanis gerendi, quæque optima esset ratio belli illius bene gerendi, et quidem comparandis et prosperis et adversis, quæ sibi antea in illo bello evenissent; unde colligebat, optimum fore, si per mare ingrederetur hostium fines. Res mihi videtur esse plane ex iis, quæ sequuntur: *fundi Germanos.... media in Germania fore:* in quibus explicatur, quomodo Germanicus consultarit de bello, h. e. tractarit prœliorum vias. *Via* est modus rei gerendæ, tractandæ, consequendæ. Cic. Ep. 4, 13., *omnes vias prosequar, quibus putabo ad id, quod volumus, pervenire posse;* et ad Q. fr. 1, 1., *omnes vias pecuniæ norunt.* Or. 1, 19., *docendi ratio et via.* Similiter Græci κόρυς, *μύθων οἶμους* dicunt, de quo diximus ad Callimachi H. in Dianam. Imitatus est Thucydidem 1, 122., ὁδοὶ τοῦ πολέμου. Ern. Haud probabiles sunt talium imitationum suspiciones. Neque ap. Thucyd. ὁδοὶ aliud est quam ἐφορμαί. H. l. *vias* proprie intell., non modum *belli gerendi*, etsi *viam* sic usurpat Justin. 31, 5, ac Tac. ipse *viam morum.* Optime Allemandus: *cogitare quibus* viis *hostem ad pugnam eliceret.*

Quæ sibi tertium jam an. bell. Immo plures. Nam continenter in Germanos bellum gessit, a clade Vari: excepto anno consulatus. Sed Tacitus a postrema ejus missione annos

sent : « Fundi Germanos acie et justis locis : juvari silvis, paludibus, brevi æstate et præmatura hieme : suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum, damno armorum adfici : fessas Gallias ministrandis equis : longum impedimentorum agmen opportunum ad insidias, defensantibus iniquum. At, si mare intretur, promptam ipsis possessionem, et hostibus

numerat, quæ fuit exacto consulatu ejus, sub Augusti mortem. Lips.

Sæva vel prospera. Verius hic esset, *scæva*, id est, sinistra. Lips. Fuit cum lascivirent in hoc vocabulo passim inculcando ingenia : sed raris processit. *Sævum* est interdum grave, durum, asperum, crucians : et sic utique non ex sententia et optatis. Sic : *sæva tempestas*, *sævus dolor*, *sævæ catenæ*, *sæva paupertas*, *necessitas*. *Fortuna sævo læta negotio*, gaudens adversa secundis miscere. Sallustius in Catil. c. 26, *quoniam, quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.* Quid hoc aliud quam *sæva?* et omnia, quam *adversa?* Gron.

Acie et justis locis. Nove dictum, pro æquis locis. Lips. Male hoc ipsum conj. Brot. *Justa l.* sunt idonea ad pugnandum : talia sunt *æqua*, plana.

Damno armorum adfici. Satis defendi vulgatum verbis, quæ leguntur 1, 71., *quod cuique promptum*, *arma*, *equos*, etc. Et hanc historiæ partem, suaque in ea verba, maxime respexisse auctorem posteriori loco putem. Ut enim ibi instrumentum utrumque belli, et arma et equos accepisse dicit Germanicum, ita hic tacite secum queri utriusque damno exercitum per expeditionem terrestrem affici. Gron. Adde Ryckium, simili modo adversantem absurdo commento Boxhornii, *armentorum*, quod iste dictum putabat de *equis*. At Muretus vocabulum plane deletum volebat, male offensus, ut opinor, junctura illa, *spatiis itin. affici.*

Promptam ipsis possessionem. Nam triremes et classem in Rheno, et ad Oceanum, ordinariam Romani habebant. At eo ævo Germani navigiorum rudes : mox quam didicerunt! Saxones, Normanni, et piratarum illa agmina dicant : qui Europam per sæcula aliquot magnis classibus cladibusque infestarunt. Lips. Nihil mutandum cum Acidalio et Boxhornio, qui volunt *profectionem*. Facile Romanis, inquit, occupatu esse *mare*. Nam *possidere* est occupare interdum. Cæsar B. G. 4, 7., *vel sibi agros attribuant vel patiantur eos tenere, quos possederint.* Liv. 24, 45. sub f., *Caussam nactus erat, tam divitis hominis bona possidendi vendendique*, id est, invadendi vel occupandi. Idem 31, 31., *Urbem ad quam defendendam missa erat, per scelus possedit.* Neque aliter noster in vita Agric. c. 18. Gron. Restat tamen hic scrupulus, quod et in his et in aliis similibus locis verbum *possidendi*, aut *possessionis*, semper hanc vim adjunctam habet, ut id, quod invaditur,

ignotam: simul bellum maturius incipi, legionesque et commeatus pariter vehi: integrum equitem equosque per ora et alveos fluminum media in Germania fore.»

VI. Igitur huc intendit: missis ad census Galliarum P. Vitellio et C. Antio, Silius et Anteius et Cæcina fabricandæ classi præponuntur. Mille naves sufficere visæ, properatæque: aliæ breves, angusta puppi proraque, et lato utero, quo facilius fluctus tolerarent: quædam planæ carinis, ut sine noxa siderent: plures appositis utrimque gubernaculis, converso ut repente

in potestatem redigatur ac pro nostro teneatur: quod est ab h. l. alienum: præterquam quod huic significationi adjectivum *ignota* non satis aptum videtur. Enimvero ex antecedentibus clarum est, non hic de occupatione esse sermonem, sed de itinere, per quod ingredi Romanus possit fines hostium. Id erat infestum terra et grave, per mare facile et tutum; quod hostibus improvisum erat, nec sciebant, hac hostes venturos. Igitur non negem mihi valde *profectionem* blandiri. Cetcrum Heinsius malebat mox *ut hostibus ignotam;* sed mihi prior illa ratio melior videtur, et stylo Taciti magis consentanea. Ern. *Possessio* vel actio est τοῦ κατέχεσθαι i. e. *occupandi*, vel status et conditio τοῦ κατέχεσθαι, *habendi:* si prius, a verbo *possido;* si posterius, a *possideo*. Locus autem, quem prœlio delectum occupavimus, hostique eripuimus, noster habetur, utpote in potestate nostra. Jam de agro, de loco prœlii intell. sunt verba, si quidem: cursu maritimo Romanis facile fore occupare hostilem agrum, æqua loca ad Visurgim seu *media in Germania*, ipsis insciis Germanis. Sic si explicasset Gronovius, nullus scrupulus restaret, nisi forte in verbis. *hostibus ignotum*. Verum quum *possessionem* de actione dixerit, aliter non potuit loqui. Si quid durum residet, in brevitate est, sed aptum rei et stylo hujus scriptoris.

Maturius incipi. Quare? nam et triremibus æstas exspectanda erat. Sed causam credo in commeatibus, de quibus adjungit. Quia enim tarda æstas et messis in Germania, hæc exspectanda erat, ob frumenta et pabula: aut magna mole et mora, identidem ista subvehenda. Lips.

Cantio. Suspectum est viris doctis haud immerito nomen, in quo emendando sine libris frustra laboratur. Omnibus aliis tamen conjecturis præferam ursinianam, quam et defendit Ryckius, *C. Antio*. Vid. Ryckii not. am, si lubet. Ern. Sic dedi cum Broterio.

Breves, angusta puppi. Breves opponit *longis* navibus, id est, triremibus, et describit lato alveo, angusta prora et puppi, uno verbo naves hodie maris nostri. Lips.

Appositis utrimque gubernaculis.

remigio hinc vel illinc adpellerent : multæ pontibus stratæ, super quas tormenta veherentur, simul aptæ ferendis equis aut commeatui, velis habiles, citæ remis, augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem. Insula Batavorum, in quam convenirent, prædicta, ob faciles adpulsus, accipiendisque copiis et transmittendum ad bellum opportuna. Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur : ad Gallicam ripam latior et placidior et adfluens; verso cognomento

Id quidem genus navigii binis gubernaculis, hodie invisum. At noster iterum describit, H. 3. 47., vocatque *camaras*. Conf. Germ. c. 44. Reperio et apud Suidam prisci scriptoris verba, nescio an hanc ipsam rem narrantis: Πλοῖα μονήρη, ἅ ἐστιν ἃ καὶ δίκροτα κατεσκευάσαντο. Τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς πρύμνης καὶ ἐκ τῆς πρώμης ἑκατέρωθεν πυλαλίοις ἤσκηντο, ὅπως αὐτοί τε μὴ μεταστρεφόμενοι καὶ ἐπιπλέωσι καὶ ἀναχωρῶσι, καὶ τοὺς ἐναντίους ἐν τῷ παράπλῳ καὶ ἐκπλῳ αὐτῶν σφάλλωσιν. Lips. Adde Schefferi R. Nav. 2, 5. Idem videndus *de navibus constratis*, quarum mox mentio, l. c. Mox in *super quas* etsi satis commode intelligi possunt *naves*, tamen magis placet legi *quos*, ut referatur ad *pontes*. Ern. Minime necessaria mutatio. *Pontibus str.* est pro simplici adjectivo; repugnat etiam reliqua constructio. Est : *et vehendis tormentis apta, et fer. e.*

Augebantur. Sine caussa hoc verbum tentatur a Faerno et Mureto aliisque, corrigentibus *agebantur*, quod verbum non convenit ultimis *in speciem ac terrorem*. Sensus est: cum accederet etiam militum alacritas, augebatur species ac terror classis. Alacritas militum intelligitur e clamore maxime. Virg. Æn. 4, 411, 5, 140., etc. Ern. — * Cf. Agr. c. 30.

Prædicta. Vid. infr. ad c. 79, unde intelliges frustra amicum Ryckii conjecisse *dicta*. Ern.

Accipiendisque copiis. Si qua alia insula, in hac mundi pila. Lips.

Transmittendum ad bell. opp. Acidalius corrumpit rem elegantissimam, cum legi vult *transmittendis, ad bellum opportuna*. Ovid. Metam. 12, 25. Neque enim hoc mutare ausim. Plinius in Panegyr. c. 12. Gron Mox malim *miscetur*: quamquam et aliis locis conjunctivus sic τῷ *donec* jungitur. Ern. Postposita præpositio et subito mutata structura errori Acid. caussam dabat. In posterum nemo hic hærebit

Vahalem accolæ dicunt; mox id quòque vocabulum mutat *Mosa* flumine, ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur.

VII. Sed Cæsar, dum adiguntur naves, Silium legatum cum expedita manu irruptionem in Cattos facere jubet: ipse audito, castellum Luppiæ flumini adpositum obsideri, sex legiones eo duxit. Neque Silio ob subitos imbres aliud actum, quam ut modicam prædam, et Arpi, principis Cattorum, conjugem filiamque raperet: neque Cæsari copiam pugnæ obsessores fecere, ad famam adventus ejus dilapsi: tumulum tamen, nuper varianis legionibus structum, et veterem aram Druso sitam

Vahalem. J. Gron. in Cod. Medic. reperit *Vahalam*, quod negat mutandum fuisse. Ern. At nusquam legitur ea terminatio vocabuli, quamvis inconstanter scripti in Cæs. B. G. 4, 10., Pacat. Paneg. Theodos. c. 5. Ceterum hic est anacoluthon, cui signa parentheseos parum medeantur, quum nominativi quodammodo pendeant a verbo *mutat*. Paullo ante forsan expung. *et* ante *adfl.*

Dum adiguntur naves. Conf. 11, 18. Gron. Adde H. 2, 83; 3, 47; 4, 22. Ern.

Duxit. Nisi valde fallor, Tacitus scripsit *ducit. Cæsar.... Silium.... jubet: ipse ducit.* Sic c. 25, init. C. *Silio.... imperat: ipse.... irrumpit.* Junguntur quidem interdum præsens et perfectum ut c. 32. init. *bona inter accusatores dividuntur, et præturæ extra ordinem.... datæ.* Sed locus ille huic non est similis. Adde ad 15, 5. Ern. Satis simile erit mox c. 20. *Seio tradit equitem campumque: peditum aciem ita instruxit* etc. et sic locis pluribus. Ut 1, 39., in Cod. erat *recepit*, non *recipit*, quod ab Ernestio inductum, ut leviculum, patienter tuli adeoque repetii. *Castellum Lupp. appositum* Aliso est, de quo mox.

Tumulum nuper. De quo supra 1, 62. Tumulus ille, non aliud quam κενοτάφιον fuit: habesque hujus ritus illustre apud Xenophontem exemplum Anab. 6, 4, 6., ubi inane sepulchrum constituitur militibus defunctis, quorum reliquiæ non faciles repertu. Et apud Virgil. Æn. 3, 303. sqq. Lips.

Veterem aram Druso. Druso mortuo cenotaphium decretum ad Rhenum ipsum. Dio 55, 2. et Suet. Claud. c. 1. Nescio an huic tumulo adjuncta ara: apparet, quia Suetonius ait, *supplicarent.* Volunt id cenotaphium ad Moguntiacum fuisse. Repugnat hic locus, qui constituit inter Lupiam et Rhenum. Sed et Ravennæ sepulchrum Drusus habuit, a Claudione ejus F. an ab Augusto ipso exstructum? Cujus memoria in lapide prisco, ibi: TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAES. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. DESIG. III. IMP. III. P. P.

disjecerant. Restituit aram, honorique patris princeps ipse cum legionibus decucurrit, tumulum iterare haud visum: et cuncta inter castellum Alisonem ac Rhenum novis limitibus aggeribusque permunita.

DEDIT. OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC. VII. COLLEGII. FABR. M. R. HS. ɔɔ. N. LIBERALITATE. DONAVIT. SVB. HAC. CONDICIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. ET. IBI. EPVLENTVR. DVM TAXAT. IN. V. ID. IVLIAS. QVOD. SI. NEGLEXERINT. TVNC. AD. VIII. EIVSDEM. COLLEGII. PERTINERE. DEBEBIT. CONDICIONE. SVPRADICTA. Lips. Add. Intpp. ad Suet. l. c. Sed honorarius tumulus, qui ibi memoratur, ab hac ara diversus sit necesse est. Nam haec est in finibus hostium, ubi annua illa cerimonia fieri non potuit, de qua tradit Suetonius. Oudend. ad Suet. hanc aram eandem facit cum honorario tumulo Suetonii et distinctam putat a monumento Moguntiaco, de quo vid. quos ipse laudat. Ern. Equidem assentior Oudendorpio. Alii *sitam*, exstructam, ab ipso *Druso* explicant, locis usi dicam an abusi 3, 38. et 6, 41. Quorum locorum prior satis docet, talem graecismi ambiguitatem de industria vitari; posterior facilem medelam habebit, si ex voc. QVAE literam A repetas. Quamquam ibi nulla ambiguitas est prae illa nostri loci. Denique alieno jussu exstructi monumenti major religio, restitutionisque et decursus ratio probabilior est.

Cum legionibus decucurrit. Antiquissimi inventi decursio in funere illustrium virorum. Homerus in funere Patrocli, Virgilius Pallantis descripsit 11, 188. Livius Poenis etiam usitatam ostendit 25, 17. in morte Gracchi. Conf. Lucan. 8, 735. et Stat. 6, 213. sqq. Lips. — Exemplum decursus ejus exhibet basis columnae Antonini Pii, quam sub Clemente XI. detectam descripsit Vignolius 4. Rom. 1705. Sinistro autem, non dextro, orbe factum, docet Statius Theb. 6, 215. — * Bahrdt pessime decursionem funebrem reddit *einer Todtengang*.

Inter castellum Alisonem. Distinguendum videri, *castellum, Alisonem, ac Rhenum*, pronuntiavit Vertranius: et recte, ad mentem Dionis 54, 33. Nam scribit a Druso castellum exstructum ad Lupiae et Alisonis (* hod. *Alme*) confluvia, quod opinor ipsum esse, quod dixit noster obsessum fuisse. Velleio tamen 2, 120., loci nomen Aliso est, et Ptolemaeo 2, 11., Ἄλισον inter Germaniae urbes. *Vesaliam* hodiernam faciunt. Lips. Apud Muretum *Aliso* fluvius est, qui in Mosellam erumpit. Quod ne quem inducat in errorem, sciendum, esse quidem fluvium Alisonem, non tamen Mosellae, sed Luppiae, qui et ipse longe infra confluentes Rheni et Mosellae in Rhenum exit, sese miscentem; porro hic a Tacito non *Alisonem* fluvium, sed castellum, situm propter eum fluvium, eodem nomine, (* hod. Elsen) intelligi. Gron. Sic etiam Cluverius Germ. ant. 3, 9. Adde Monumenta Paderb. p. 2. sqq. et ibid. in Paneg. p 62. sqq. Ern. — Castellum id prope Vesaliam fuisse, docet Mannert. t. 3, p. 103. coloniam Agrippinam contra. Id Alting. hodie *Aalsum* vocari scribit ad Rheni et Amisarae confluentes. Aliud castellum ejus nominis fuisse structum ad confluentes Alisonis, hodie *Lise* et

VIII. Jamque classis advenerat, cum, præmisso commeatu, et distributis in legiones ac socios navibus, fossam, cui *Drusianæ* nomen, ingressus, precatusque Drusum patrem, « ut se, eadem ausum, libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret; lacus inde et Oceanum usque ad Amisiam flumen secunda navigatione pervehitur. Classis Amisiæ relicta,

Luppiæ prope hodiernum *Liborn* suspicatur Mannert. cum Gatterero p. 565.

Fossam, cui Drusianæ nomen. Fossas Suetonius plurali nomine dixit; sed unam solam fuisse constat: ideoque rectius *fossa Drusiana* singulari numero adpellatur Tacito, ut videtur Cluverio; qui augeri supra modum opus a Suetonio putat. Sed vide dicta ad Suet. Claud. c. 1. et scriptores ibi laudatos. Ern. Sic alii *fossam* in Gallia *Marianam*, alii *fossas Mar.* appellant; non ut augeant rem, sed ex solo usu latinitatis, ut in opere paullo majore.

Precatusque Drusum patrem. Qua superstitione ante prœlium ad Isson *victor Atheniensium Philippus pater invocabatur* ab Alexandro, Curtius 3, 10. Apud Silium 15, 203. *Ac supplex patrios compellat nomine manes, Este duces bello et monstratam ducite ad urbem.* De Africano loquitur in Hispania res gerente. Gron.

Eadem ausum. Ita est. Nam et Drusus classe Oceanum tentavit; immo et pugnam navibus conseruit in Amasia fluvio, vicitque Bructeros. Strabo 7. p. 290. Εἶσι δὲ μεταξὺ καὶ ἄλλοι ποταμοὶ πλωτοί, ἔν τε τῷ Ἀμασίᾳ Δροῦσος Βρουκτέρους κατενανμάχησε. Sed et Petrarcha auctor, arcum triumphalem Romæ sibi visum Druso Neroni huic inscriptum: e quo fracto hos dumtaxat versus a se lectos: ..... *ad divortia Rheni Pervasi hostiles depopulatus agros. Dum tibi Roma decus æternaque sudo tropæa, Ister pacatis lenior ibit aquis.* Lips. Pro *ausum*, melius *ausurum* existimabat Ernest. Perperam. Audere jam cœpit, qui viam ingressus est.

Lacus inde. Lacus nominas semper plures, ut 1, 60. At hodie unus, quod mare meridionale appellant. Apparet autem clare, gentes ibi terrasque fuisse paribus lacubus interstinctas. Lips. Cannegieter in opiis lit. ad Isaiam P. I. p. 70. sic: *Lacus inde, et, Oceanum usque, ad Amisiam fl. s. n p.* Ern.

Pervehitur. B. Rhenanus malebat *prævehitur.*

Classis Amisiæ relicta. Locus mihi ambiguæ sententiæ et perplexæ. Vidi qui sic vellet. Classem relictam in ripa citeriore (aspectu Galliæ dico): et in hoc culpari Germanicum, quod non in ripa ulteriore. Pontibus enim tunc nihil opus fuisset, quibus nunc junxit amnem, et dies plures absumpsit. Simplex hæc sententia, fateor, et ex primo verborum aspectu. At qui scrutetur, valde, vereor, repugnet. Primum si classis in citima ripa posita: quomodo apte annectitur, militem transpositum in terras dextras? Sane eo positu, si quid ego capio, uti amnis classi lævus fuit, ita et terræ trans amnem. Dein-

lævo amne; erratumque in eo, quod non subvexit; transposuit militem, dextras in terras iturum: ita plures dies efficiendis pontibus absumpti. Et eques quidem ac

de, quis hic (malum) Germanici et Romanorum stupor, classem non appellere ad ulteriorem ripam, in flumine jam noto: et vanam illam operam sumere in exstruendo ponte? præsertim re nulla aut hoste impediente. Tertio, si ea res, cur *pontes* multitudinis numero nominat? potuit enim et debuit transmitti ponte uno. Cur *subvehendi* verbo utitur, cum verius *transvehendi?* Nescio an hæc diluent. Mea de Taciti mente mens est: Classem relictam in ulteriore ripa fluminis, uti debuit: sed tamen in ima et mari proxima quod non debuit. Quomodo igitur tunc, inquies, amnis illi lævus? ex positura nempe navium, quas verisimile est quiescentes eas et in statione habuisse. Nempe proras in Oceanum verterunt, tanquam redituræ, nec alira scilicet progressuræ. Pone autem milites in iis et vectores ut solet, facie ad proram versa: nonne sic lævus iis amnis et terræ in quas transponuntur dextræ? Peccatum tamen a Germanico, quod humilibus et haud tentibus illis locis militem exposuerit (debuisset longius subvehere): in quibus transeundis opus pontium structura. Ad mare enim æstuaria; non sic supra. Lips. Simplicissimum mihi videtur cum Cluverio, Freinshemio, aliis, *Amisiam* intelligere de loco, non fluvio, *lævum amnem* de ripa læva, seu quæ læva esset ex Oceano advenientibus. Non in dextra ripa expositus exercitus, quod iter ibi impeditius esse constaret. Sed ei incommodo occurrere debebat Germanicus, non itinere in læva parte faciendo, sed longius adverso flumine progrediendo, h. e. subvehendo exercitu. Ceterum locus utique scaber est. Inprimis in verbis: *quod non subvexit: transposuit m. d. i. terras iturum.* Si *transposuit* tollas, omnia plana sint. Error fuit et peccatum in eo, quod militem non longius subvexit in flumine, ut eum statim in dextris exponere posset, nec opus haberet pontibus. Ern. — Ptolemæus 2, 11. inter Germaniæ oppida numerat Amisiam vel Amasiam long. 31, 30. lat. 51, 30. Stephanus etiam habet Ἀμισσεύς. Prope oppidum *Sæst* fuisse locatam, vult Mannert. t. 3. p. 556. Berkelio *Embda* videtur potius fuisse in notis ad Stephanum, quod loco Taciti satis convenit. Joh. Frid. Grouvius in epist. ad N. Heinsium in Syll. Burmanni vol. 3. p. 53. Amisiam loci nomen esse concoquere se posse negat.

Erratumque . . . subvexit. Hæc quasi quandam σαρκασμὸν putans, nihil scabrum video; nisi quod elegantior fortasse auctor scripsisset, *Classe A. relicta . . . transposuit m.* Alii male expl. *dupliciter* erratum, *primum* quod non subvexerit, *tum* quod *non* transpos. Pertinet hoc ipsum verbum *transp.* ad sinistram ripam, ut recte viderunt Intpp. modo laudati. Ad rem conf. Bucher. Belg. Rom. 3, 6. et Mannerti Geogr. III. p. 104. sqq.

* *Transposuit . . . iturum.* Milit. in terras dextras iturum, transposuit in sinistras. Kr.

Effic. pontibus. Aut per enallagen dictum, ut ap. Sueton. *fossæ*

legiones prima æstuaria, nondum adcrescente unda, intrepidi transiere: postremum auxiliorum agmen, Batavique in parte ea, dum insultant aquis, artemque nandi ostentant, turbati, et quidam hausti sunt. Metanti castra Cæsari Angrivariorum defectio a tergo nuntiatur: missus illico Stertinius cum equite et armatura levi, igne et cædibus perfidiam ultus est.

IX. Flumen Visurgis Romanos Cheruscosque interfluebat. Ejus in ripa cum ceteris primoribus Arminius adstitit, quæsitoque, « an Cæsar venisset? » postquam adesse responsum est, « ut liceret cum fratre conloqui, » oravit. Erat is in exercitu, cognomento Flavius, insignis fide, et amisso per vulnus oculo paucis ante annis, duce Tiberio. Tum permissum; progressusque

Drusinæ, aut etiam pontes super æstuaria et paludes facti, ut placet Cluverio. Sed illud melius. Sic mox c. 11, *pontes in Visurgi*. Plancus ap. Cic. ep. 10, 23., dicit, se *pontes, quos fecerat in Isara*, interrupisse. Atqui is unus fuit, ipso teste ep. 18, 15. Ern. Ex lege sermonis judicari hoc non potest. Dicuntur interdum *pontes*, ut *horti*, ut *fossæ* etc. Sed hic locorum situs favet propriæ significationi.

Batavique in parte ea. Cæsar B. G. 1, 13., Livius 38, 25. Gron. Batavi, qui inter has copias auxiliares erant. Broterius *in parte ea* expl. in iis æstuariis.

Angrivariorum defectio. Illos haud multo ante in Rom. societatem perductos puta a Germanico, eorum sedes peragrante. Id Tac. ex hac narratione suspicari nos volebat: quæ non admodum insolens ratio est. Conf. tamen Mannertum l. c.

Flumen Visurgis. Mutua Romanorum Germanorumque clade nobilis amnis, cui famam præcipue Tacitus dedit: et ipse Tacito (mirum fatum) vitam. Nam quinque hi primores libri inventi Corbeiæ, quod monasterium ad Visurgim est. Atque illinc depromptum vere hunc thesaurum quæstor quidam pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis. Lips.

Cognomento Flavius. Jus civitatis R. acceperit necesse est, qui nomen romanum acceperit. Ern. Nisi potius scribendum est *Flavus*, uti cognomen constanter præbet ter repetitum. Quod plane verum puto. Idem Med. cod. mox habuit *Cheriovalda*, sicut *Chattos* pro *Catti* habet Beroald. ad modum *Cheruscorum*, *Cheruscorum*. Nec hoc spreverim.

Tum permissum, progressusque. Muretus *tum* delet: Heinsius: (*in misc. Obs. vol. 9, p. 383.*) *tum*, ut *permissum*. Vir doctus ap. Ryckium:

salutatur ab Arminio : qui, amotis stipatoribus, « ut sagittarii, nostra pro ripa dispositi, abscederent, » postulat; et postquam digressi, « unde ea deformitas oris? » interrogat fratrem. Illo locum et prœlium referente : « quodnam præmium recepisset? » exquirit. Flavius « aucta stipendia, torquem et coronam aliaque militaria dona memorat; » irridente Arminio vilia servitii pretia.

X. Exin diversi ordiuntur : hic « magnitudinem romanam, opes Cæsaris, et victis graves pœnas; in deditionem venienti paratam clementiam; neque conjugem et filium ejus hostiliter haberi : » ille « fas patriæ, libertatem avitam, penetralis Germaniæ deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et adfinium, denique gentis suæ desertor et proditor quam imperator esse mallet. » Paullatim inde ad jurgia prolapsi, quo minus pugnam consererent, ne flumine quidem interjecto cohibebantur, ni Stertinius adcurrens, plenum iræ, « armaque et equum » poscentem Flavium adtinuisset. Cernebatur contra minitabundus Arminius, prœliumque denuntians. Nam pleraque latino sermone interjaciebat, ut qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.

id tum permissum. Heinsiana ratio cogeret etiam *τὸ que* delere. Mureti ratio melior : nisi respici aliud tempus a Tacito putemus, quo tales congressus non permissi. Ern. *Tum* transitioni servit; alibi *ibi tum* et similia. Omisso illo abruptior foret oratio, præsertim quum verba, *Erat.... Tiberio* sic interposita sint, ut etiam signis dirimi queant.

Diversi ordiuntur. Uterque caussas suas et consilia proferre cœpit, diversa inter se et contraria.

Penetralis Germaniæ deos. Valet, *penetrales*, prisco scribendi more : id est, *penates*. Et tamen vis quædam in verbo est, quasi intimos penates. Lips. Hæc vis nulla est, ut vidit Pichena. *Penetrales* plane synonymi sunt penatibus : nisi quod illud poetis proprium olim fuit, auctore Cicerone N. D. 2, 27. Adde Heins. ad Silium 15, 18. *Penates* sunt *dii* patrii, ut satis notum est. Tirones videant dicta in Clave Cic. in h. v. Ern. — Plane sic Seneca Œd. v. 265. et in Phœnissis v. 340.

XI. Postero die Germanorum acies trans Visurgim stetit. Cæsar, nisi pontibus præsidiisque impositis, dare in discrimen legiones haud imperatorium ratus, equitem vado tramittit. Præfuere Stertinius, et e numero primipilarium Æmilius, distantibus locis invecti, ut hostem diducerent. Qua celerrimus amnis, Cariovalda, dux Batavorum, erupit: eum Cherusci, fugam simulantes, in planitiem saltibus circumjectam traxere: dein coorti et undique effusi, trudunt adversos, instant cedentibus, collectosque in orbem, pars congressi, quidam eminus proturbant. Cariovalda, diu sustentata hostium sævitia, hortatus suos, ut ingruentes catervas globo frangerent; atque ipse in densissimos irrumpens, congestis telis, et suffosso equo, labitur, ac multi nobilium circa: ceteros vis sua aut equites, cum Stertinio Æmilioque subvenientes, periculo exemere.

XII. Cæsar, transgressus Visurgim, indicio perfugæ cognoscit, « delectum ab Arminio locum pugnæ: convenisse et alias nationes in silvam Herculi sacram, ausurosque nocturnam castrorum oppugnationem. » Habita indici fides; et cernebantur ignes: suggressique propius speculatores, « audiri fremitum equorum immensique et inconditi agminis murmur, » attulere. Igitur, pro-

Haud imperatorium ratus. Cæsar B. G. 4, 17. *Cæsar his de caussis, quæ commemoravi, Rhenum transire decreverat: sed navibus transire neque satis tutum esse arbitrabatur* etc. Gron.

E numero primipilarium. Vid. infr. 4, 72. Ern.

Planitiem saltib. circumjectam. Non quæ saltus ambiat, quomodo accipiendum esset e vulgari consuetudine loquendi, sed, quam saltus cingant. Nove dictum. Verbum *trahere* autem proprium est in hac re. Ern.

Collectosque in orbem. Conf. Livius 4, 28. et 22, 29. Gron.

Sævitia. I. e. vehementia, impetus: ut 1, 67. monuit jam Ryck. Ern.

Herculi sacrum. Qualis iste Hercules, intelligetur e libro de moribus Germanorum c. 9. Ern.

pinquo summæ rei discrimine, explorandos militum animos ratus, quonam id modo incorruptum foret, secum agitabat: « Tribunos et centuriones læta sæpius quam comperta nuntiare; libertorum servilia ingenia; amicis inesse adulationem; si concio vocetur, illic quoque, quæ pauci incipiant, reliquos adstrepere. Penitus noscendas mentes, cum secreti et incustoditi, inter militaris cibos, spem aut metum proferrent. »

XIII. Nocte cœpta egressus augurali, per occulta et

Explorandos militum animi. rat. Eustathius ad Il. β. vers. 73. Ὅτι δίμις τοῖς στρατηγοῖς ἐστιν ὅτε πειρᾶσθαι τῶν στρατιωτῶν πρὸ τοῦ πολέμου, εἴτε οἰκεία γνώμη πολεμοῦσιν, εἴτε ἀνάγκη· τοῦτ' ἐστιν εἴτε προθύμως ἔχουσι πολεμεῖν, εἴτε καὶ μή· ὡς ἂν προθύμους μὲν ὄντας, ἐπιῤῥώσειαν εἰς πλέον, μὴ προθυμουμένους δὲ εἰς δέρος ἀγάγοιεν. GRON.

Foret. Heinsius (* in Misc. Obs. v. 9. p. 383.) ingeniose: *ferret*; — sc. efficeret, obtineret, consequeretur*. Sed in vulgato nihil est, quod offendere debeat. ERN. Nec satis latinum esset *ferret*. *Incorrupta exploratio* dicitur, ut *judicium incorruptum* et alia. Secus Wopkens.

Penitus noscendas mentes. Penitus, ex Apuleii Met. 11. *Penita mente conditum*, legit Pricæus p. 242. Sed Tacitus Ciceronem sequi maluit. De Orat. 1, 5; Brut. 48; Hor. Epist. 1, 18, 80. GRON.

Egressus augurali. Nihil muto. In castris romanis ad dextram prætorii augurâculum fuit, ubi duces auspicarentur et ex pullis auguria captarent: quod Græcis οἰωνιστήριον est. Hyginus MS. verbis tamen corruptis: *Auguratorium parte dextra prætoriatur a principalem agnovimus, ut dixi, ne et augurium recte capere potest, parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat ad exercitum felicia hospicio adloquatur.* Ita Tacito auguralis ara commemoratur in castris Corbulonis, 15, 30. Erudito tamen viro, *egressus augustali*, legend. videtur: quia in Quintiliano scriptum 8, 2, 8., *Carmen funebre, proprie nœnia: et tabernaculum ducis, augustale.* Non idem mihi videbatur. LIPS. Vir ille eruditus Vertranius est, cui frustra adstipulatur Mercerus ad Alexandri dies gen. 1, 12.

ADD. Hygini verba sic legenda sunt: *Auguratorium parte dextra prætorii ad viam principalem adponemus, ut dux in eo augurium recte capere possit: parte læva tribunal statuitur, ut augurio accepto insuper ascendat, et exercitum felici auspicio adloquatur.* Romæ ad D. Joannis Lateran. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. II. COS. III. P. P. AVGVRATORIVM. DILAPS... Tacitus ostendit, ita tabernaculo imperatoris adjunctum et continuatum fuisse, ut ignaris vigilibus e prætorio ingredi potuerit. Nisi verius est a parte hac sanctiore et auspiciis, quæ unius imperatoris erant. totum

vigilibus ignara, comite uno, contectus humeros ferina pelle, adit castrorum vias, adsistit tabernaculis, fruiturque fama sui: cum hic « nobilitatem ducis, decorem alius, plurimi patientiam, comitatem, per seria, per jocos eundem animum, laudibus ferrent, reddendamque gratiam in acie, » faterentur: simul, « perfidos et ruptores pacis ultioni et gloriæ mactandos. » Inter quæ unus hostium, latinæ linguæ sciens, acto ad vallum equo, voce magna, « conjuges et agros et stipendii in

prætorium *augurale* adpellatum, atque ita hic a Tacito adpellari: verba quidem id facile persuadeant. Cum enim dicit *egressum augurali* Germanicum *per occulta et vigilibus ignara*, non *per augurale*, innuit jam ante fuisse et tensionem habuisse in loco, qui *augurale* dicebatur. Et solitum veteribus, augustis ejusmodi locis, quo major inesset religio, a parte sanctiore nomina indere. Sic capitolium quondam *auguraculum* dictum fuisse, Festus scribit: *Auguraculum adpellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur.* Nescio, anne et Quintilianus confirmet hanc sententiam loco sæpius a viris doctis citato, sed non satis explicato: *Carmen funebre proprie nænia et tabernaculum ducis augustale.* an fuerat *augurale?* Josephus B. Jud. 3, 5., constitutum inter media principum tabernacula prætorium s. στρατήγιον ταῦ παραπλήσιον sit fuisse. Hactenus Schelius ad Hyginum p. 52. Adde Burmann. ad Quintil. l. c. Ern. Haud dubie prior illa ratio præstat. Est, quasi dixisset: *Egressus augurali via occulta et v. ignota.* Quod offendit Schelium, id ipsum vel in primis ad morem Taciti pertinet. Wopk. Titulus citatus extat apud Grut. p. 128, c. 4. — Vir eruditus, de quo hic Lipsius, est Vertranius.

Ferina pelle. Quare ferina pelle? ut habitum mentiretur Germani, credo, qui plerumque pelliti. Germani autem multi non in castris solum, sed, ut opinor, inter ejus custodes. Lips. Mox Heinsius in Advers. 2, 11., *castrorum vices* i. e. vigilias ex eleganti doctrina probat ita dici; ita vero scribendum non adprobat. Wopkens.

Hic nobilitatem ducis, decorem alius. Sumpsit a Xenoph. Cyrop. 3, 1, 41. Gron.

Reddendamque gratiam. Sic Patroclus ad milites, Iliad. π, 270. Diodorus in excerptis lib. 35, p. 608. Wess. de Mario: μεγάλην εὔνοιαν ἐν τοῖς στρατιώταις περιεποιήσατο· πάντες γὰρ τῆς εὐεργεσίας χάριν ἀποδιδόντες ἐν ταῖς κατὰ τοῦτον μάχαις φιλοτιμότερον ἠγωνίζοντο, συναίξοντες αὐτοῦ τὴν ἡγεμονίαν. Hanc qui debere se gratiam non putarent, Appio Claudio duce vincere noluerunt. Gron.

Ultioni et gloriæ mactandos. Petronius similiter c. 81, *noxio sanguine parentabo injuriæ meæ.* Ern.

dies, donec bellaretur, sestertios centenos, si quis transfugisset, » Arminii nomine pollicetur. Incendit ea contumelia legionum iras : « veniret dies, daretur pugna ; sumpturum militem Germanorum agros, tracturum conjuges : accipere omen, et matrimonia ac pecunias hostium prædæ destinare. » Tertia ferme vigilia adsultatum est castris, sine conjectu teli, postquam crebras pro munimentis cohortes et nihil remissum sensere.

XIV. Nox eadem lætam Germanico quietem tulit : viditque sè operatum, et, sanguine sacro respersa

Sestertios centenos. Intellige aureum Romanum (confer H. 1, 24., et Sueton. Oth. 4) 25 denarios, nostros imperiales vel unciales tres ipsos, Philippos duos et dimidiatum. Genera autem ista numorum et copiam quin ab ipsis habuerint Romanis, dubitare nefas. Nam, ut integræ cohortes aut manipuli transirent, qui numero suo difficilem solutionem facere possent, ne Arminius quidem speravit. Gron.

Tracturum conjuges. Ne quis putet legendum *rapturum*, quod ipsum locum haberet, et sic est supra c. 7. Verbum *trahere* eleganter in hac re, et efficacius altero illo, dicitur. Virgil. Æn. 2, 402. Ern.

Matrimonia. h. l. sunt uxores. Sic ap. Suet. Cæs. c. 51 : *matrimonia provincialia* sunt uxores provincialium : ubi v. Burmann. Adde Duker. ad Flor. 1, 1. Lipsium ad Ann. 12, 65. Sed ab initio videntur sic dixisse, ut semper aliquis simul respectus ad conjugium esset id, quod proprie dicitur. In Suetonii quidem loco, quem adtulimus, potest etiam hæc interpretatio locum habere, ut nec a matrimoniis provincialium violandis abstinuerit, adulterandis eorum uxoribus. Similiter capi possunt verba Taciti l. c. *quod conjugium principis devotionibus petivisset ;* i. e. conjugem principis, et hoc ipso conjugium ejus. Sed deinde paullatim, ut fit, etiam dictum simpliciter de uxore, sine tali respectu ad conjugium, ut in loco Taciti, in quo jam versamur. Atque sic esset etiam in loco Livii 10, 23., ubi quidam libri scripti habent : *convocatis plebeiis matrimoniis :* idque probant nonnulli viri docti, sicque laudat etiam thesaurus Gesneri. Sed adsentior prorsus Drakenborchio, qui dubitat, Livium sic scripsisse, et in textu servavit *matronis*. Ern.

Nihil remissum. Qualis facies rerum 1, 65. Wopk.

Viditque. Muretus deleri volebat *τὸ que*. Melius Acidalius, et Heinsius, qui corrigebant : *vidit quippe se etc.* Sed nec hoc necessarium. Nam etiam *τὸ que* ponitur explicandi vi, præsertim apud historicos. Vide Drak. ad Liv. 2, 56. Noster infra c. 59, *sed cura provinciæ prætendebatur : levavitque pretia frugum etc.* Adde ad 12, 64. Ern. Locus hic male citatur. — * Wopkens. explicat *cum vidit*, vel *qua vidit :* similem con-

prætexta, pulchriorem aliam manibus aviæ Augustæ accepisse. Auctus omine, addicentibus auspiciis, vocat concionem, et, quæ sapientia prævisa, aptaque immi-

2. *Quæ sapientia prævisa. Sapienter provisa.* Deinde *elata humo virgulta* præterierit, quam *enata. Elatum* enim *humo*, quod terra altius exsurgit.

junctionis vim notat, c. 64. 13, 22. 1, 51. 2, 52. 3, 46. 6, 35. 13, 41. et apud alios.

Se operatum. Operandi verbum ad sacra. Tibullus 2, 5. *Tunc pubes operata Deo.* Curtius 8, 10. *Per dies decem Libero patri operatum habuit exercitum.* Restitui apud Livium 10, 39. *Dum hostes operati superstitionibus concilia secreta agunt, Anitorgum oppidum de Samnitibus vi cepit.* Ita meus codex: vulgo superati. Lips. Cf. Brisson. ad Tibull. 2, 19. — * *Se operatum.* scil. *Jovi*, ni addas *vidit quippe se operatum:* erat enim Germanicus augur. sic Heins. misc. obs. vol. 9, p. 383.

Quod ait, *respersam prætextam:* scire licet, pontifices, immo sacerdotes omnes, cum diis facerent, prætexta usos: Germanicus autem Augur. Lampridius in Alex. 40. *Accepit prætextam etiam cum sacra faceret, sed loco pontificis maximi, non imperatoris.* Appianus Ἐμφυλ. 1, 54. Οὕτω μὲν Ἀσκλλίων στρατηγῶν τε καὶ στέφεσθαι, καὶ ἱερὰν καὶ ἐπίχρυσον ἐσθῆτα ἐς ἣν θυσίας ποιησίμενος, ἀμφὶ δευτέραν ὥραν ἐσφάζετο ἐν ἀγορᾷ μέσῃ παρὰ ἱεροῖς. Quinctilianus declamat. 340. *Ego vobis allego etiam ipsum illud sacrum prætextarum, quo sacerdotes velantur, quo magistratus: quo infirmitatem pueritiæ sacram facimus ac venerabilem.* Spartianus in Hadr. 26. *Natali suo ultimo cum Antoninum commendaret, prætexta sponte delapsa caput ei operuit:* ubi corrigo, *aperuit:* quia sacrificabant capite velato. Adi et Zosimum 4, 36., ubi delata ad Gratianum Christianum principem prætexta pontificia, et spreta. Ab hac mente Plinius placari purpura Deos scripsit, respiciens scilicet ad prætextam 9, 60. *Distinguit ab equite curiam, diis advocatur placandis, omnemque vestem illuminat.* Lips.

Sanguine sacro. Cod. Flor. Jac. Gron. inspectus *sacri;* quod non spernam. *Sacrum* pro hostia dici, vel tritum illud, *inter sacrum et sexum*, docet. Ern. In tali formula parum momenti est; vulg. scripturam certissimam habeo. Wopk.

Addicentibus auspiciis. Nove dictum: nam proprie aves dicuntur addicere, non auspicia. Liv. 1, 36, et sæpe. Ern.

Quæ sapientia prævisa. Recte Freinsh. quæ commoda, quasque opportunitates ad futuram pugnam providentia sua comparasset. Sed hic sensus exigit, ut *provisa*, non *prævisa*, legamus; aliud enim *prævidere*, aliud *providere;* illud animadvertere futurum est, hoc consulere in futurum. Gron. Probant Ryckius et Heinsius. Recte. Est enim verbum proprium in hac re. Vide Sallust. Jug. 49: *quæ ab imperatore decuerint, omnia suis provisa.* ubi v. Cortius. Ern. Nullum in tota concione Germanici verbum est, quo commoda a se parata aut quidquam providentia sua curatum me-

senti pugnæ, disserit : « Non campos modo militi romano ad prœlium bonos, sed, si ratio adsit, silvas et saltus. Nec enim immensa barbarorum scuta, enormis hastas, inter truncos arborum et enata humo virgulta perinde haberi, quam pila et gladios et hærentia corpori tegmina. Denserent ictus, ora mucronibus quærerent : non loricam Germano, non galeam; ne scuta quidem ferro nervove firmata, sed viminum textus, sed tenuis, fucatas colore, tabulas : primam utcumque aciem hastatam; ceteris præusta aut brevia tela : jam corpus, ut visu torvum et ad brevem impetum validum, sic nulla vulnerum patientia : sine pudore flagitii, sine cura

moret. Ut potius sese parent futuræ necessitati, milites suos hortatur, ea disserens, quæ sapienter prævideret et animadverterat ex usu futura. Neque proprie providet sapientia, sed prævidet. Wopk.

Immensa barbarorum scuta. Dicimus in Germania, infra. Lips.

Enata. Heinsius l. c. vult *elata*; sed bene habet vulgatum.

Haberi. Geri, tractari : unde *habilis*, qui facile tractari potest, εὐμετακίνητος, Liv. 7, 10., *habilis gladius ad propiorem pugnam.* Id. 22, 46., *gladii brevitate habiles.* Adde Gronov. ad Liv. Epit. lib. 57. Ern.

Hærentia corpori tegmina. Vide ad c. 21. Ern.

Densarent. Jac. Gron. in optimo cod. reperit *denserent*, quod sæpe mutatum in *densarent.* Vide Drak. ad Sil. 10, 15. Sed poetarum verbum est, et hic potuit a librario antiquario induci. Itaque nihil mutem. Ern. Ob id ipsum mutavi, quia antiquior forma est. Vide Gifanii ind. Lucret. v. *densere* et Heins. ad Ovid. Fast. 3, 820. Rariores in grege librariorum erant tales antiquarii; neque vulgaris illa forma usquam apud Tacitum extat, etsi nec hæc reperitur. Wopk.

Ora mucron. Notum illud Cæsaris : *miles faciem feri.*

Nervove. Id est, corio, tergore boum. Erant scuta inducta corio et ære. Ovid. Met. 12, 97., *quod et æs et proxima rupit Terga novena boum.* Adde Silium 4, 293., ubi similiter *nervus* pro corio dicitur. Ern.

Sed viminum textus. Sallust. Frag. Hist. 4. *Soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmæ equestris armabat.* Virg. Æn. 7, 633. *flectuntque salignas Umbonum crates.* Ubi Servius : Ut dicit Sallustius de Lucanis *qui de vimine facta scuta, recentibus detractis coriis, quasi glutino adolescebant.* Gron.

Primam utcumque. Vide in Germania. Lips.

Ad brevem impetum validum. Similiter de Gallis Livius 5, 44. 10, 28. Ern.

Nulla vulnerum patientia. Viden-

ducum, abire, fugere : pavidos adversis, inter secunda non divini, non humani juris memores. Si tædio viarum ac maris finem cupiant, hac acie parari : propiorem jam Albim, quam Rhenum ; neque bellum ultra : modo se, patris patruique vestigia prementem, iisdem in terris victorem sisterent. »

XV. Orationem ducis secutus militum ardor : signumque pugnæ datum. Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari : « Hos esse Romanos, variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint : quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus, infensis rursum hostibus, adversis diis objiciant,

3. *Pars onusta vulneribus tergum.* Græcismus est familiaris latinis scriptoribus. Cur ergo sollicitant? Sic 1, 50., *latera concædibus munitus.* Ann. 4, 28., *Cornutum falsa exterritum.* 6, 9., *clari genus.* c. 5, *cuncta revincebatur.* c. 42, *cetera degener.* c. 43, *adlevatur animum.* 12, 3., *juvenem alia clarum.* 13, 35., *adnotatus miles.... ita præriguisse manus*, pro *manibus.* Vide Gronov. ad Hist. 1, 42 et 85. Deinde opinor *haud* excidisse. *Haud aliud sibi reliquum.*

tur adumbrata e Thucydide, qui Brasidam inducit hortantem suos contra Illurios : eosque iisdem moribus fingit 4, 126. Lips.

Patris patruique. Drusi et Tiberii. Lips.

Iisdem in terris sisterent. Iterum e Virgilio sumptum Æn. 3, 117., *tertia lux classem Cretæis sistet in oris.* Ern.

Onusta vulneribus tergum. Omnino aut *onustum*, aut *terga* scribendum, placet Mureto, Acidalio, quod miratur Heinsius, cum noto et usitato auctori nostro græcismo dicatur : *pars onusta vulneribus tergum.* Viri docti non potuerunt hoc ignorare : quis enim omnino ignorat? Sed cum *pars* referatur ad *objiciant hostibus* etc., viderunt, requiri accusativum *onustum vuln. tergum*, vel *onusta vulneribus terga*, ut mox, *pars fractos artus.* Neque ullo modo constructio constat, nisi in primo illo membro intelligas *sit* vel *sint*, quod mihi verum videtur. Ern. Non mihi. *Pars* bis positum et in eadem forma orationis unum sibi verbum postulat; atque adeo *objiciant* æque bene ad *terga* refertur, quam ad *artus.* Tacitum modos constructionum variare constat, sed non ad istum modum. *Terga* autem convenientius puto quam *tergum.* Vitio plures causas esse potuerunt. Wopk.

Adversis diis. Ita correxi : vulgo, *odiis.* Lips. Et sic plane cod. Med. Ern.

nulla boni spe : classem quippe et avia Oceani quæsita, ne quis venientibus occurreret, ne pulsos premeret : sed, ubi miscuerint manus, inane victis ventorum remorumve subsidium. Meminissent modo avaritiæ, crudelitatis, superbiæ : aliud sibi reliquum, quam tenere libertatem, aut mori ante servitium ? »

XVI. Sic accensos et prœlium poscentes in campum, cui *Idistaviso* nomen, deducunt. Is medius inter Visurgim et colles, ut ripæ fluminis cedunt, aut pro-

Nulla boni spe. Arbitror Tacitum dedisse : *nulla bona spe.* Sic Latini semper, quod sciam ; nunquam *spes boni.* Ern. Bipontinus heic nugatur, quum *boni* pro nominativo haberi jubet. Wopk. Verum ipse post tacite errorem agnovit, adlato Cic. loco in præf. ad t. 1. §. 23. ex orat. pro red. in Sen. c. 5.

Avia Oceani. Hic locus mire confirmat emendationem Burmanni ap. Liv. 10, 2., *avio itinere* legentis pro *altero.* Sic infra c. 68., *avia saltuum.* Mox melius foret : *neu pulsos premeret.* Ern. Duplicatum *ne* gravius est magisque ex more. Cap. 21., *non protenderet, non colligeret.* Rectius monitum supra ad 1, 10. Wopk.

Aliud sibi reliquum. Omnes aliquid deesse putant : quid ? non convenit. *Nihil* vel *non* Rhenanus, Vertranius, Ferretus ; *haud* Heinsius ; *an* Lipsius ; *nec* Acidalius et Ryckius ; *quid* Ursinus, tanquam e MS. cujus auctoritatem in dubium m rito vocat Ryckius. Grotio autem placebat *aliud quid.* Possis etiam conjicere *quid* pro *aliud.* Quæ conjecturæ omnes parem prope verisimilitudinem habent, eaque de caussa nihil licet definire. Ern. Sæpissime abest particula interrogandi, ubi aperta est interrogatio. Doctorum sedulitatem et certamen jure mirere. Wopk.

Idistaviso nomen. Ea loca in peregrinatione vidi, et vel scriptoris hujus caussa curiosius lustravi. Animus autem mihi dicit, hunc ipsum campum esse, qui infra Bremam, mare versus, pulchre lateque se pandit, inter flumen et colles saltusque circumjectos. Non potest aptior pugnæ magnæ planities, et pro Taciti hic descriptione. Distat ab oppido Brema duobus circiter Germanicis milliaribus, circa pagum, qui *Vegesackus* dicitur. Lips. Locus videtur longius distasse Brema, quippe austro propior. Wopk. Broterius eum quærit prope Hamelen trans Visurgim, ubi veteris nominis memoriam in arce *Eisdorp* et monte *Deister* manere perhibet. D'Anville, t. 1, p. 125. Geogr. Anc. refert fere ad Hastenbeck, quod victoria Gallorum a. 1757 celebre reddidit. Ast Mannert. t. 3, p. 109., eum ponit inter oppida Minden et Ulotho.

Ripæ fluminis resistunt. Eleganter utrumque verbum dicitur in tali descriptione, ut *refugere* apud Plin. 5., ep. 6., *occurrere* apud eundem, alia epistola, et alia apud alios. *Cedere ripæ fluminis,* sive flumen ipsum

minentia montium resistunt, inæqualiter sinuatur. Pone tergum insurgebat silva, editis in altum ramis, et pura humo inter arborum truncos. Campum et prima silvarum barbara acies tenuit: soli Cherusci juga insedere, ut prœliantibus Romanis desuper incurrerent. Noster exercitus sic incessit: auxiliares Galli Germanique in fronte: post quos pedites sagittarii: dein quatuor legiones, et cum duabus prætoriis cohortibus ac delecto equite Cæsar: exin totidem aliæ legiones et levis armatura, cum equite sagittario, ceteræque sociorum cohortes. Intentus paratusque miles, ut ordo agminis in aciem adsisteret.

dicitur, cum sinum facit aversum a campo; *montes resistere*, cum longius prominent in campum. Frustra Freinsh. volebat: *ripæ flumini*. Ripæ cum flumine cedunt campo, ut fiat latior. ERN. Non sat ista congruunt. Mihi videtur *ripæ* in dandi casu positum et sensum esse: *ut colles ripæ fl. vel cedunt vel resistunt*. Ita scil. ibi campus fit latior, hic angustior. *Colles* ad utrumque verbum bene refertur.

Intentus paratusque. Libenter hæc duo verba jungunt Livius et, quem noster imitatur, Sallustius Cat. 27. *hortari, ut semper intenti paratique essent*. Jug. 49, ubi v. Cortius. ERN.

Ut ordo agminis in aciem. Peccatur hic vulgo distinguendo. Quid est enim, *ut ordo agminis*, si a sequentibus separetur? Hinc suspiciones et mutationes doctorum. Uno spiritu lege: *ut ordo agminis in aciem ad sisteret*. (Editiones antiquæ, in his Rhen. Aldi, Lipsii prima ista verba uno tractu exprimunt.) hoc est, pro se quisque intentus ac paratus, ut, sicunde adparuisset hostis, aut signum dux daret, omne agmen presso pede staret acie structa, vel ad excipiendum, vel ad invadendum hostem. Sic infra: *hic pedes adstitit*. *Adsistere in aciem* est incessum sistere, atque inhibere formata acie, vel ita, ut stent in gradu milites ad prœliandum. Genus quoque loquendi haud vulgare. *Ut adsisteret in aciem*, est, ut adsisteret fieretque acies, vel essetque stabilis et firma acies. Sic Apuleius 3, p. 55., *fixus in lapidem steti gelidus*, ex certa Mich. Piccarti emendatione: et lib. 4. p. 72., *jacens in mortuum*. Quæ significant, defixus et quasi lapis factus: jacens et quasi mortuus. Claudianus quarto Honorii consul. 616. *Tristis conditio pulsata fronte recedit. In civem rubuere genæ*. Ubi dubium est, voluerit auctor, sic ut adscripsimus, an, *recedit In civem: rubuere genæ*. Neutrum enim improbum: sive hoc malis, quod erit, servilis conditio recedit, et fit civis: sive illud, quo exponitur, civis fit et suffunduntur genæ. *Sic relinqui in prata* Plinio 18, 28. quod

XVII. Visis Cheruscorum catervis, quæ per ferociam proruperant, validissimos equitum incurrere latus, Stertinium cum ceteris turmis circumgredi, tergaque invadere jubet, ipse in tempore adfuturus. Interea pulcherrimum augurium, octo aquilæ, petere silvas et intrare visæ, imperatorem advertere. Exclamat, « Irent, sequerentur romanas aves, propria legionum numina. » Simul pedestris acies infertur, et præmissus eques pos-

non aratur, ut pratum fiat : et eidem c. 29. *in callum præcoquuntur acini : tundi in pollinem* 19, 5. *in farinam* 33, 7. *tundi in exitum ptisanæ*, ut exiret quasi ptisana, Tertulliano. De incesu hujusmodi locus est insignis Sallustii B. Jug. 49., quem incepimus explicare in Omissis Observ. 4, 10. valde infeliciter tractatus Salmasio in Reliquis de re militari, p. 70 et 71, et 107. Gron.

Imperatorem advertere. Sic H. 3, 48. *Advertit ea res Vespasianum*, et Livius 1, 12. emendante me ; *Adverteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo viri.* Nam hactenus *averteratque*, scriptum reperias, ignorantia historicæ dictionis. Ceterum, illud mirum, unde hic aquilæ nostris terris haud temere visæ. Ac subvereor, ut falsa species objecta Germanico ; aliæque alites fuerint. Lips. Pygargos fuisse, *aren*, credibile est, quas etiam Plinius 10, 3., in aquilis numerat, suntque in istis regionibus non raræ, ut Aurelius ad h. l. tradit. Ern. Pygargus, quem vulturem albicillam vocat Linnæus, in iis terris utique reperitur ; gregatim vero evolare haud solet. Militari fraude suis imposuit Germanicus, ut sæpe factum. Idem de Statii loco dicendum Theb. 3, 531. Romanis et Germanis fuisse n eduliis pygargum, Aurelius notat. *Jean-le-blanc* dicitur Gallis.

Sequerentur Romun. aves. Aquilas intellegit, quæ a C. Marii ævo propriæ Romanis. De quibus in Excursu C. Lips.

Legionum numina. Ita H. 3, 10., *Mox conversus ad signa et bellorum Deos.* Dionysius Hal. de iisdem 6, 45. Τιμιώτατα γὰρ Ῥωμαίοις ταῦτα ἐστὶ στρατείας, καὶ ὥσπερ ἱδρύματα θεῶν ἱερὰ νομίζονται. Adeo autem signa pro diis, uti per ea miles juraret. Livius 26, 48. *Obstringere perjurio non se solum summque caput, sed signa militaria et aquilas, sacramentique religionem.* Tertull. Apol. 16. *Religio Romanorum tota castrensis signa veneratur, signa jurat, signa omnibus diis præponit.* Exemplum ejus sacramenti egregium apud Lucanum 1, 374, ubi Lælius Cæsari :... *per signa decem felicia castris, Perque tuos juro quocumque ex hoste triumphos.* Immo et adorata ea. Disce e Sozomeno Eccl. Hist. 1, 4., ubi de labaro. Σεμνὸν δὲ τοῦτο τιμιώτατον, καθότι καὶ τοῦ βασιλέως ἡγεῖσθαι, καὶ προσκυνεῖσθαι νενόμιστο παρὰ στρατιωτῶν. Lips. Ti. Plautius silvanus ignotos ante aut infensos p. r. reges signa romana adoratvros in ripam qvam tvebatur perdvxit. Sic in marmore ap. Grut. p. 453.

tremos ac latera impulit: mirumque dictu, duo hostium agmina, diversa fuga, qui silvam tenuerant, in aperta; qui campis adstiterant, in silvam ruebant. Medii inter hos Cherusci collibus detrudebantur: inter quos insignis Arminius manu, voce, vulnere sustentabat pugnam: incubueratque sagittariis, illa rupturus, ni Rætorum Vindelicorumque et gallicæ cohortes signa objecissent. Nisu tamen corporis et impetu equi pervasit, oblitus faciem suo cruore, ne nosceretur. Quidam, « agnitum a Chaucis, inter auxilia romana agentibus, emissumque » tradiderunt. Virtus seu fraus eadem Inguiomero effugium dedit; ceteri passim trucidati: et plerosque, tranare Visurgim conantes, injecta tela, aut vis fluminis, postremo moles ruentium et incidentes ripæ operuere. Quidam turpi fuga in summa arborum nisi, ramisque se occultantes, admotis sagittariis, per ludibrium figebantur: alios prorutæ arbores adflixere. Magna ea victoria, neque cruenta nobis fuit.

Vulnere. Quo modo vulnere? nempe demonstrando vulnere suo: cujus adspectu ad imitationem fortitudinis incenderentur. Ern.

Illa rupturus. Fortasse legendum, *erupturus*, suspicati Muretus et Ursinus. Frustra. Licet intelligere *aciem*, sive potius *se*: quod dicitur pro *erumpere*. Virgilius, qui dixit G. 4, 368., *unde se erumpit Enipeus*, idem 3, 428., *amnes rumpuntur fontibus*: quamquam et in illo loco codd. quidam habent *se rumpit*. Sed nota res est hodie. Ern. Aurelius volebat: *illac erupturus*. Commode tamen ellipsis admitti potest. Verbi usus et ap. Pomponium de aqua pluvia arcenda: *Si in meo fundo aqua rumpat, quæ ex tuo fundo venas habeat.* — * Wopk. *illa irrupturus.*

Moles ruentium. Heins. ad Silium 14, 554., malebat *irruentium*. Frustra. Fugientium est *ruere*: multitudo eodem ruentium oppressit priores. Ern.

Alios prorutæ arbores. Prorutæ arbores sunt succisæ: idque probat partim vis verbi, de qua ad lib. 1, 68., partim exempla similia. Vide locum Silii a Grutero advocatum 5, 480. Dio 37, 2. Συχνοὶ δὲ καὶ κατὰ τὰς ὕλας σχιδασθέντες ἡμέρας μὲν τινὰς ἀπὸ τῶν δένδρων ὑπερυφόλων ὄντων ἀποτοξεύοντες διεγίνοντο· ἔπειτα δὲ καὶ οὗτοι ὑποτμηθέντων τῶν δένδρων ἐφθάρησαν. In hunc quoque usum militi Romano secures in promptu, ut videre est Ann. 3, 46. Idem intu-

XVIII. Quinta ab hora diei ad noctem cæsi hostes decem millia passuum cadaveribus atque armis opplevere; repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant. Miles in loco prœlii Tiberium imperatorem salutavit, struxitque aggerem, et in modum tropæorum arma, subscriptis victarum gentium nominibus imposuit.

XIX. Haud perinde Germanos vulnera, luctus, excidia, quam ea species, dolore et ira adfecit. Qui modo abire sedibus trans Albim concedere parabant, pugnam volunt, arma rapiunt: plebes, primores, juventus, senes agmen romanum repente incursant, turbant. Postremo deligunt locum, flumine et silvis clausum,

tum suffugium cuidam dat Silius 7, 669. Gron.

Repertis i. sp. e. catenis. Fecit idem M. Antonius apud Florum 3, 7., qui *Cretam invasit cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus quam arma portaret.* Fecit Flaminius, in Polybio 3, 82., qui suos ita vanitatis implevit, *ut plures essent, qui ἁλύσεις καὶ πέδας καὶ τοιαύτην παρασκευὴν ferrent, quam qui arma.* Sed utriusque quis exitus? qui nunc Germanorum. Nec aliter solet magnus ille Deus, qui dejicit, quidquid vane se adtollit. Lips.

Tiberium imperatorem salutavit. Oportuerat Germanicum ipsum, qui dux et auctor facti. Sed Augustus ut auspicia servavit sibi; sic honorem omnem rei a ducibus suis legatisve gestæ. Nam qui ductu quidem suo, alienis tamen auspiciis vicerat, ne antiquitus quidem imperator salutabatur, aut triumphabat. Hoc adulans suo principi Horatius voluit 4, 14, 33. Et ab hac re statim, in tropæi inscriptione legis, *Exercitum Tiberii Cæsaris ea monimenta sacravisse:* non, Germanici, qui ducebat. Lips. — Fiebat hoc apud imaginem principis. V. Plinius in Panegyr. c. 56.

In modum tropæorum. Egregie huc facit Virgilius Æn. 11, 5. item Juvenalis Sat. 10, 133. Statius Theb. 2, 707.

Subscriptis gentium nominibus. Exemplum in tropæo Alpium Augusti apud Plinium 3, 20 (24). Is titulus differt ab eo, qui arcum triumphalem Segusinum ornat, exhibitum a Scip. Maffeio in Append. Musei Veronensis ad p. 234. Iste Plinio memoratus videtur fuisse positus in Comit. Nicæensi in pago Torbia. Dedit Gruterus p. 226, 7., ejus initium.

Locum, fl. et s. clausum. Mannert. t. 3, p. 113., locum istum inter Visurgim et lacum Steinhuderium prope Abbatiam Luccensem, vulgo Lockum, definit.

arta intus planitie et humida : silvas quoque profunda palus ambibat, nisi quod latus unum Angrivarii lato aggere extulerant, quo a Cheruscis dirimerentur. Hic pedes adstitit : equitem propinquis lucis texere, ut ingressis silvam legionibus a tergo foret.

XX. Nihil ex his Cæsari incognitum : consilia, locos, prompta, occulta noverat, astusque hostium in perniciem ipsis vertebat. Seio Tuberoni legato tradit equitem campumque : peditum aciem ita instruxit, ut pars æquo in silvam aditu incederet, pars objectum aggerem eniteretur : quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. Quibus plana evenerant, facile irrupere : quis impugnandus agger, ut si murum succederent, gravibus superne ictibus conflictabantur. Sensit dux imparem cominus pugnam, remotisque paullum legionibus, funditores libratoresque excutere tela et proturbare hostem jubet.

Quod arduum, sibi, cetera legatis permisit. Durior syllepsis. E verbo *permisit* intelligendum in priori membro *sumpsit, delegit.* Sed alia exempla passim in Græcis et Latinis occurrunt : et quædam alibi a nobis notata sunt. Vid. infr. c. 29. Ern. Adde Perizon. ad Sanctii Min. 4, 8, p. 713. Arntzen. ad Plin. Paneg. 4, 2. Nihil facilius. Wopk.

Murum succederent. Muretus, *ut si muro succederent :* quod rejiciunt recte Ursinus, Pichena. Adde Oudendorp. ad Cæsarem B. G. 2, 6. Nam et alii cum accusativo dixerunt *succedere.* Ern. Recteque et proprie. Nam *murum succedere* est subire, scandere ; *muro succedere*, accedere, Sic Ryckius. Wopk. — Vereor, ut sat certum sit discrimen. Promiscue uterque casus ponitur. Et vel hinc mutatione non opus. V. Liv. 23, 44. 31, 45. Immo Serv. ad Virg. ecl. 5, 6., *succedere cum accus.* dicit signare prope accedere ; *cum dativo*, subire, intrare. — * Vid. Wassium ad Sall. frag. 3, 15 ; et Oudend. ad Cæs. B. G. 2, 6.

Libratoresque. Sunt, qui tormentis hastas aut lapides excutiunt : quia librant scilicet, et jactus arte expendunt. Sic H. 3, 23., *vincla ac libramenta tormentorum* adpellat. Hoc verius, quam referri ad *libralia :* quod suspicabar Poliorc. Dial. 4, 3. Lips. J. Gron. hic et ad 13, 39., in MS. repetit *libritores :* quod ille in textum recepit, fretus etiam analogia, ut sit, cum et dicatur *librile, libripens, librilla.* Non ausus sum sequi Gronovium, cum in Plinio omnes libri, quod sciam, habeant *librator :* et dicuntur h. l. non a *libra*, ut in Plinio, sed a *librando. Libratores* etiam sunt Cod.

Missæ e tormentis hastæ, quantoque conspicui magis propugnatores, tanto pluribus vulneribus dejecti. Primus Cæsar cum prætoriis cohortibus, capto vallo, dedit impetum in silvas: collato illic gradu certatum. Hostem a tergo palus, Romanos flumen aut montes claudebant: utrisque necessitas in loco, spes in virtute, salus ex victoria.

XXI. Nec minor Germanis animus; sed genere pugnæ et armorum superabantur: cum ingens multitudo artis locis prælongas hastas non protenderet, non colligeret, neque adsultibus et velocitate corporum uteretur, coacta stabile ad prœlium: contra miles, cui scutum pectori adpressum, et insidens capulo manus, latos barbarorum artus, nuda ora foderet, viamque strage hostium aperiret: imprompto jam Arminio, ob continua pericula, sive illum recens acceptum vulnus tardaverat. Quin et Inguiomerum, tota volitantem acie, fortuna magis, quam virtus, descrebat: et Germanicus, quo magis adgnosceretur, detraxerat tegimen capiti, orabatque,

Theod. L. 13, t. 4, l. 2. Cod. Just. L. 10, t. 64, l. 1. Adde Schwarsium ad Plinii Paneg. 13, et nos ad 13, 39. Ern.

Genere pugnæ. Liv. 31, 35. et 32, 10. Gron.

Non colligeret. Colligere hastam est *reducere*, quam ante protenderas, ut hostem ferires: atque hæc contraria sunt, *protendere et colligere hastam*. Ita Turnebus recte. Adv. 3, 25. Ern.

Scutum pectori. Diversum a Germanico. Illud planum, non sic tegebat: hoc incurvum corpori adhærebat et circumfundebatur. Lips.

Insidens capulo. Pulchre et significanter dictum, in minoribus gladiis. In oblongis, quibus ritu Gallorum Germani utebantur, non eadem manus habitudo: neque firmiter aut tenet gladios, aut regit. Lips.

Nuda ora. Nam, ait noster in Germ. c. 6., *vix uni alterive cassis aut galea*. Lips.

Detraxerat tegimen. Idem video Cyrum minorem fecisse in pugna illa sibi extrema: cujus caussam tamen Xenophon Anab. 1, 8, 4., ambigue refert ad morem Persarum, qui nudis capitibus pugnam inibant. Lips. *Tegimen*, quod supra c. 14, de scuto dictum, h. l. de galea capiendum, res ipsa docet. Ern.

« insisterent cædibus : nil opus captivis, solam internecionem gentis finem bello fore. » Jamque sero diei subducit ex acie legionem faciendis castris : ceteræ ad noctem cruore hostium satiatæ sunt : equites ambigue certavere.

XXII. Laudatis pro concione victoribus, Cæsar congeriem armorum struxit, superbo cum titulo: DEBELLATIS INTER RHENVM ALBIMQVE NATIONIBVS EXERCITVM TIBERII CÆSARIS EA MONIMENTA MARTI ET JOVI ET AVGVSTO SACRAVISSE. De se nihil addit, metu invidiæ, an ratus, conscientiam facti satis esse. Mox bellum in Angrivarios Stertinio mandat, ni deditionem properavissent : atque illi supplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepere.

XXIII. Sed, æstate jam adulta, legionum aliæ itinere terrestri in hibernacula remissæ : plures Cæsar classi impositas per flumen Amisiam Oceano invexit. Ac primo placidum æquor mille navium remis strepere, aut velis impelli : mox atro nubium globo effusa grando, simul

Conscientiam facti satis esse. Sufficere vel sapienti vel sibi. Cic. Philipp. 2, 44., *satis in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus erat.* Merito autem ambiguum relinquit, utra caussa Germanicum moverit : Prior et modestiam et prudentiam ejus decet ; posterior literas et magnitudinem animi. Sic de socero suo Tacitus c. 8. *Factis*, si haberent libri, tolerarem : sed vulgatum mutari non placet. GRON. *Factis* in MS. reperit J. F. Gron. Mox pro *mandat* videtur legendum *mandabat.* Adde c. 23., extr. ERN. Cave mutes. Id præsens satis ex more nostri. Similia apud poetas. Ovid. Met. 3, 311., *intonat et misit.*

Sed æstate jam adulta. Sæpe ita loquitur noster, imitatione aperta Sallustii : quam phrasin operæ est semel a juventute intellegi, ex servianis notis, ad illud, *Vere novo* Georg. 1, 43. *Id est*, ait, *primo mense Martio. Nam veteres per singula tempora anni, quæ in tres menses dividuntur, observant, ut sic dicant : primum mensem, novum ver : secundum, adultum : tertium, præceps. Ita de hieme, æstate, autumno : sic semper Sallustius.* Simile, quod Græci annum partiuntur. Ἴστασθαι τοῦ ἔτους, μεσοῦντος, ἢ λήγοντος. LIPS. Imo ap. Thucyd. 2, 19., τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος. Cf. H. Junii animadv. 1, 19., in Grut. lamp. t. 4, p. 347.

Placidum æquor. Sallust. fragm. e L. 3. *Cohors una mari placido a duobus prædonum myoparonibus circumventa.* GRON.

Effusa grando. Sub quam, occulta

variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire: milesque pavidus, et casuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempestive juvat, officia prudentium corrumpebat. Omne dehinc cælum et mare omne in austrum cessit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenso nubium tractu validus, et rigore vicini septemtrionis horridior, rapuit disjecitque naves in aperta Oceani, aut insulas saxis abruptis vel per occulta vada infestas. Quibus paul-

caussa, semper, ut aiunt, Oceanus intumescit. Lips.

Dum turbat nautas. Curt. lib. 7, 9. *Vacillantesque milites, et, ne excuterentur, solliciti nautarum ministeria turbant.* Gron.

Prudentium. V. ad 1, 70. Ern.

Mare omne in austrum. Non abnuo de vero austro: nam ille a terra naves in mare interius rapiat: quod ostendit factum, cum subdit, *disjecitque naves in aperta Oceani.* Procul igitur a litore: cui notus impegisset. Facit eodem, quod de *insulis longius sitis* adjungit: et potest *Orxades* intelligere, aut potius eas, quæ haud procul litore Frisico hodieque extant. Nam quod *longinquas* facit; fama et redeuntes hæc auxerunt, ac timidis insolitisque maris ita visæ. Lips. Schutzius in progr. scripto Ienæ a. 1781., cui adstipulatur J. Sev. Vater in anim. in locos quosd. ex Mid. Demosth. orat. Tacito etc. 8. Ien. 1796., emendat: *in æstum cessit.* Scilicet consederunt procellæ, cessavit grando, vis æstus s. fluxus dominata est, et navis humidis paludosisque terris, profundis amnibus, qui illic in mare effunduntur, Vidro s. Unsingi, Amisia, Visurgi, Albi, rigore vicini septentrionis vel proprie thrasciæ horridior, rapuit disjecitque naves in aperta Oceani. Favent huic expositioni sequentia: *postquam mutabat æstus*, ubi de refluxu sermo.

Qui tumidis Germaniæ terris. Pichena intelligit, montosis. Etiam in Agric. 5, 10., *terræ montesque caussa ac materia tempestatum:* idque probat Burm. ad Ovid. Her. 5, 138., *in immensis, qua tumet Ida, jugis. Tumores terræ* pro tumulis etiam Frontinus dixit; ut lexica docent. Pro Rhenani et Faerni conjectura *humidis* dici potest, *tumidas terras* nimis poetice dici, et in istis regionibus raros aut nullos montes. V. Lipsium ad c. 24. Ern. Ex mente Schutzii unice vera lectio *humidis terris.* Quo facit et locus nostri in Germ. 5, ab Hillero adlegatus in Racem. 23. Contra *fumidis*, quod idem conjectat, nullo modo ferendum.

Insulas saxis abruptis. Pichena sic e MS. cum vulgo esset *abruptas.* Perpetua prope est in hoc verbo variatio in libris, velut ap. Lucret. 2, 214., et Virgil. Æn. 3, 198., in *abruptis nubibus ignes*, ubi alii libri *abrupti*, quod quidam defendunt et illi præferunt, veluti Greechius ad Lucret. Vide Drakenb. ad Sil. 3, 196. *Abruptas* ortum credo a correctore, qui

lum ægreque vitatis, postquam mutabat æstus, eodemque, quo ventus, ferebat; non adhærere ancoris, non exhaurire irrumpentis undas poterant: equi, jumenta, sarcinæ, etiam arma præcipitantur, quo levarentur alvei, manantes per latera, et fluctu superurgente.

4. *Quo levarentur alvei manantes per latera.* Locus haud dubie corruptus et variis obnoxius conjecturis. Putabam aliquando, *alvei mutantes latera.* Sic *mutare latus* dicuntur ægri, qui decumbentes nunc in lævum, nunc in dextrum latus jactantur: de quo ad Virgil. 3, 511. et Ovid. Met. 13, 937. Sulpicius Severus Epist. 3, de B. Martino ægrotante., *Cum a presbyteris, qui ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpusculum lateris mutatione relevaret.* Naves hæ *instabiles* dictæ Maroni Georg. 4, 195; et Ovidio Met. 2, 164. Sed cum *mutare* jam præcesserit, forte fuerit a manu Cornelii, *alvei alternantes latera*, vel *innatantes alterno latere.* Juvenalis Sat. 12, 30., *Quum planus fluctu medius foret alveus, et jam Alternum puppis latus evertentibus undis Arboris incertæ, nullam prudentia cani Rectoris conferret opem.* Senec. Natur. Quæst. 6, 6., *Sicut in navigiis evenit, ut, si inclinata sunt et ubiere in latus, aquam sorbeant, quæ in omni onere eorum, quo velut, si immodice depressa sunt, aut superfunditur, aut certe dextro sinistroque solito magis surgit:* et mox, *sicut in fluminibus ac mari videmus accidere, ut incrementum aquæ, quotiens navigia desidunt, in lateribus maxime appareat. Inclinantes in latera* dixit noster Ann. 14, 5., *Jussum dehinc remigibus in latus inclinare atque ita navem submergere.* Sic rectius codex Agr. quam vulgati, *in unum latus inclinare. Innatare* etiam apud Livium 21, 26., *alveos informes (nihil dummodo innare aquæ et capere onera possent, cursus) raptim faciebant.* Silius 6, 522., *pinuque innante cavata Æquore et immensa curva trabe findimus undas.* Sic Dausquejus, non *juvante.* Senec. de Benefic. 6, 32., *fracta classis, et intra paucos dies natavit nova.*

adcommodare ad sequens *infestas* volebat. MS. lectio est etiam ap. Beroald. Rhen. Aldum, Gryph. Erm. Ut quædam navium forsan in britannicam oram et adjacentes insulas raptæ, sic aliæ ad eas videntur dilapsæ, quæ Frisiorum litori circumjacent, immo quæ ad Daniam nunc spectant, ori Albis vicinæ, ubi a Germanis capti Romani Angrivariorum ope redemti. Ita non male Vater.

Eodem quo ventus ferebat. Non male etiam, *eodemque quo ventus*, atque ita jam didici in Florentino esse. Livius 26, 45. *Acer etiam septemtrio ortus inclinatum stagnum eodem quo æstus ferebat.* Lips. *Mutabat* pro *mutabatur* admitto; non *ferebat* pro *ferebatur*, ut vult Freinsh. Est enim genus loquendi proprium, et *fert æstus*, ut *fervo* dicitur *vis* (de quo ad Liv. 39, 27), ut *ferentis venti.* Intelligimus et fluctus, et quicquid deprehenderat. Gron. *Eodemque quo* recte receptum a Pichena et seqq. editoribus. Sed sic jam dederant Beroald. Aldus, Rhen. Gryph. Erm.

Præcipitantur. Etsi scio inconstantem esse Tacitum in usu temporum, tamen h. l. probabile videtur, eum scripsisse *præcipitabantur*, quia antecedit *poterant*, et sequitur *levarentur.* Erm. Male. Work.

Alvei manantes. Nec displicuit

XXIV. Quanto violentior cetero mari Oceanus, et truculentia cæli præstat Germania, tantum illa clades novitate et magnitudine excessit, hostilibus circum litoribus aut ita vasto et profundo, ut credatur novis-

5. *Tantum illa clades novitate et magnitudine excessit.* Ni fallor, *tantum alias illa clades.* Ut apud Maronem Ecl. 1, 25., *Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes.* Deinde, *ut credatur novissimum, et sine terminis mare;* non *sine terris.*

loribi *nantes.* Lips Mihi vero neo placet *nantes:* et multo magis miror Freinshemio *manare* proprie esse natare. Tacitus significat, cum depressæ oneribus naves profundius mare secarent, earum summa latera propius abfuisse ab ejus superficie: atque eo plus aquæ a superurgente fluctu accepisse: levatas igitur oneribus, ut labra laterum extarent altius aquis, et sic minus adsilientium undarum acciperent. In quo hoc est paullo insolentius, quod alvei *manare* dicuntur, cum proprie manent ipsa liquida. Sed non caret id auctoribus, et manant etiam, in quibus liquidum fluit. Sic Livius 1, 59., *manantem cruore cultrum:* Ovidius Met. 6, 312., et Seneca Herc. fur. 391, *marmora manantia lacrimas*, de Niobe: aic Plinius 14, 20., *arbores succo manantes.* Sunt ergo *alvei manantes per latera* irrumpentem aquam magna copia recipientes. Gron. Adde Drakenb. ad Liv. l. c. Heins. ad Ovid. l. c. Similis est usus τοῦ *perfluere*, quod proprie dicitur de liquore, sed etiam de vase, ut in illo Terentii Eun. 1, 2, 25., *plenus rimarum sum, hac et illac perfluo*, pro quo male Bentleius reposuit *perpluo.* Itaque non opus cum Heinsio (Misc. obs., vol. 9, p. 384) legere vel *alternantes latera*, vel *innatantes alterno latere*, etiam propterea, quod hic non tam de jactatione navis sermo est, quam de aqua irrumpente per latera, propter quam levanda erat navis, ne ὑπέραντλος fieret. Ern. Ex locis adlatis optime huc facit Senecæ locus, ubi itidem verbum absolute positum: *mœstus Phrygio manat in Sipylo lapis.* — Eodem fere modo Hegesippus 5, 29., *natabant pavimenta sanguine.*

* *Excessit.* Hic absolute ponitur sine casu ut Vit. Agr. c. 46, et apud alios. Wopkens.

Aut ita vasto et profundo. Freinsh. cum antiquorum somnium esse dicit de Oceano terram undique cingente, vix adsequor, quid sibi velit: nam terram undique mari cingi, non antiquorum magis, quam horum hominum est somnium, si somnium est. In Taciti verbis aliquid agnosco, quod somnium veterum vocare possis: quale et apud M. Senecam Suasor. 1. *Ita est rerum natura: post omnia Oceanus: post Oceanum nihil.* Sed illæ ipsæ terræ, quas propiorum sæculorum navigatio deprehendit: quæque trans Oceanum nos coercentem jacent, Oceano cingi et contineri non desinunt. Timide autem suspicabar scripsisse Tacitum: *ita vasto et profundo, ut credatur novissimum ac sine terris, mari.* Gron. Felix conjectura et calculo digna, quam in textum recipere nullus dubito. — * Wopk. probat *mari*, vel hoc *mari* cum sequentibus nectit.

simum ac sine terris, mari. Pars navium haustæ sunt; plures apud insulas longius sitas ejectæ: milesque, nullo illic hominum cultu, fame absumptus, nisi quos corpora equorum eodem elisa, toleraverant. Sola Germanici triremis Chaucorum terram adpulit, quem per omnes illos dies noctesque apud scopulos et prominentis oras, cum « se tanti exitii reum » clamitaret, vix cohibuere amici, quo minus eodem mari oppeteret. Tandem relabente æstu et secundante vento claudæ naves raro remigio, aut intentis vestibus, et quædam a validioribus tractæ, revertere: quas raptim refectas misit, ut scrutarentur insulas. Collecti ea cura plerique: multos Angrivarii nuper in fidem accepti, redemptos ab interioribus reddidere: quidam in Britanniam rapti, et remissi a regulis. Ut quis ex longinquo revenerat, « miracula narrabant,

6. *Aut intentis vestibus.* Immo *restibus* tales, quæ remulco trahuntur. Naso in Fastis *contentum funem* dixerat 4, 297. *Sedula fune viri contento brachia lassant*: de nave, quæ magnam matrem advehebat. Hist. 2, 34., *Anchorarum funes non extenti fluitabant.* Lucanus 2, 621., *Ut tremulo starent contentæ fune carinæ.* Plaut. Rud. 1, 3, 37., *quia videmus, ad saxa navem ferrier, properans exsolvi restim.*

Ejectæ. Verbum proprium et elegans de naufragiis, quam significationem inlustrat Gronov. ad Liv. 44, 19. Ern.

Elisa. Heinsius l. c. post alios mavult *enisa*, ne mortuos equos comedisse videantur. Sed primo nulla necessitas est, elisa corpora de mortuis intelligere. Nam etiam *ejectus* de mortuis dicitur, ut ap. Cic. Pis. 19, *ejectum cadaver*, et de iis, qui vivi enatarunt. Deinde, dixisset, opinor, *enisorum.* Ern. — * Wopk. *allisa* vel *illisa.*

Scopulos et prom. Quantum ego vidi vel audivi, non sunt in eo tractu litorales scopuli. Est mollis aut arenosa terra, nec nisi arte aut opere clara. Lips.

Claudæ naves. Livius 37, 24., *Contemplatus Eudamus hostes claudas mutilasque naves apertis navibus remulco trahentes.* Gron. Virgil. Æn. 5, 271. *Amissis remis atque ordine debilis uno.* Ern.

Aut intentis vestibus. Juvenalis 12, 67., *inopi miserabilis arte cucurrit Vestibus extentis.* Noster H. 5, 23., *simul captæ lintres sagulis versicoloribus haud indecore pro velis jubebantur.* Hæc Aurelius. Unde patet, frustra Heinsium, Misc. obs. 8, 9., conjicere *restibus*, de navibus fune tractis statim separatim dicit. Ern.

vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas; « visa, sive ex metu credita. »

XXV. Sed fama classis amissæ, ut Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coercendum erexit. C. Silio cum triginta peditum, tribus equitum millibus ire in Cattos imperat: ipse majoribus copiis Marsos irrumpit: quorum dux Malovendus, nuper in deditionem acceptus, « propinquo luco defossam varianæ legionis aquilam modico præsidio servari, » indicat. Missa extemplo manus, quæ hostem a fronte eliceret; alii, qui, terga circumgressi, recluderent humum: et utrisque adfuit fortuna. Eo promptior Cæsar pergit introrsus, populatur, exscindit non ausum congredi hostem, aut, sicubi restiterat, statim pulsum; nec unquam magis, ut ex captivis cognitum est, paventem. Quippe « invictos, et nullis casibus superabiles Romanos » prædicabant, « qui perdita classe,

7. *Ut Germanos ad spem belli, ita Cæsarem ad coercendum, erexit.* Subintelligi debet ad coercendum Germanos, non bellum: sic vetustiores loquebantur.

Inauditas volucres. Nec eæ quidem sunt. Libuit istis apud ignaras aures, in his et sequentibus, τραγῳδεῖν, et narrare, quæ noster merito ambigit, *visa, sive ex metu credita.* Immo nec visa, nec credita, sed vanitate efficta. Lips. — * Wopk. vulg. tuetur.

Propinquo loco. Malim, *luco.* Hic autem inventa aquilarum una, et supra lib. 1, 60., altera. Ergo receptæ nunc omnes, quia tertia servata militis astu. Florus tamen scripsit 4, 12., *Signa, et aquilas duas adhuc barbari possident: tertiam signifer.* etc. Parum considerate, nisi ex Livii persona et ætate loqui hominem placet. Lips. Tertiam Claudii demum tempore receptam tradit Dio 60, 8. Vide Ryckium ad h. l. Ern. Suspectam Taciti et Dionis fidem habet Freinsh. ad Flori. l. c.

Non ausum congredi hostem. Legerim hæc et sequentia, *non auso c. hoste, pulso, pavente.* Lips. Sed et Hist. 5, 16., *exscindere hostem* dixit. Simile Agric. 22, *vastare nationes.* Ern.

Superabiles Romanos prædicabant. Meo judicio τὸ *prædicabant*, quod Acidalius ab interprete esse putabat, non est nisi Taciti, et verbum pro materia lectum. Neque vero Lipsius audiendus. Quin quæsita

amissis armis, post constrata equorum virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferocia, et veluti aucti numero irrupissent.

XXVI. Reductus inde in hiberna miles, lætus animi, quod adversa maris expeditione prospera pensavisset. Addidit munificentiam Cæsar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. Nec dubium habebatur, labare hostes, petendæque pacis consilia sumere, et, si proxima æstas adjiceretur, posse bellum patrari: sed crebris epistolis Tiberius monebat, « rediret ad decretum triumphum, satis jam eventuum, satis casuum: prospera illi et magna proelia: eorum quoque meminisset, quæ venti et fluctus, nulla ducis culpa, gravia tamen et sæva damna intulissent. Se novies a D. Augusto in Germaniam missum plura consilio, quam vi perfecisse. Sic Sugambros in deditionem acceptos;

elegantia est: nec novum profecto possessoris nomen pro re possessa poni. Sic ap. Virg. Æn. 2, 311, *jam proximus ardet Ucalegon*. Adde Observ. 4, 24., *Hostem* igitur *non ausum congredi* est loca et res hostis non ausi congredi etc. Gron.

In Iliona miles. Vera correctio Beroaldi, *in hiberna miles*, ex Taciti verbis ipsis. Rhenanus, qui *Juhiona* legit, et ego qui serio olim refelli, digni ambo qui piemur. Lips. Rhen. ipse, in edit. secunda a. 1544, emendationem probavit

Se novies in Germaniam. Non toties in proprie Germaniam: quære in historiis et examina: sed intelligit sumitque una missiones, opinor, in Pannoniam et Illyricum. Lips. Boxhornius conjiciebat: *toties* Ern.

Sic Sugambros. Id accidit Tiberio ipso duce. Vide Dionem 55, 6., in cujus verbis menda, Cantabrique appellantur in Germania, qui revera Sugambri: ut monui olim Antiq. Lect. 1, 6., Sueton. Aug. 21. *Suevos et Sugambros dedentes se in Gallias traduxit, et in proximis Rheno agris collocavit*. Eutropius 7, 9., *Tiberius* cccc. m. *captivorum ex Germania transtulit, et supra ripam Rheni in Gallia collocavit*. Isidorus non obscure indicat, hos ipsos esse, qui, Burgundiones postea appellati, largiter potuerunt. *Burgundiones*, inquit, *quondam a Romanis subacta interiore Germania per castrorum limites positi a Tiberio Cæsare, in magnam coaluerunt gentem, atque ita nomen ex locis sumpserunt, quia crebra per limites habitacula constituta, burgos vulgo vocant. Hi postea rebelles effecti Romanis, plusquam* LXXX *cc. armatorum ripas Rheni flu-*

sic Suevos regemque Maroboduum pace obstrictum. Posse et Cheruscos, ceterasque rebellium gentes, quando romanæ ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui. » Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modestiam ejus adgreditur, alterum consulatum offerendo, cujus munia præsens obiret. Simul adnectebat, « si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriæ, qui, nullo tum alio hoste, non nisi apud Germanias adsequi *nomen imperatorium*, et deportare lauream posset. » Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea, seque per invidiam parto jam decori abstrahi intelligeret.

XXVII. Sub idem tempus e familia Scriboniorum Libo Drusus defertur, moliri res novas. Ejus negotii initium, ordinem, finem curatius disseram; quia tum

minus insederunt, et nomen gentis obtinuerunt. A quo tamen diversus it Ammianus 28, 5. qui originem eorum a Romanis trahit: *Gratanter ratione genina principis acceptæ sunt litteræ; prima, quod jam inde temporibus priscis sobolem se esse Romanam Burgundi sciunt: dein, quod salinarum finiumque causa Alemannis sæpe jurgabant.* Lips. De orthographia nominis vid. Duker. ad Flor. 4, 12., et Oudend. ad Suet. Aug. 21, qui probat *Sygambros*. Ibi etiam de Suevis vide. Ern. Apud Eutropium legendum XXXX. M. patet ex Suetonio Tib. 9.

Maroboduum. V. Vellei. 2, 108, 109. Ern.

Romanæ ultioni consultum esset. Esset posui, pro *est*, Muretum secutus et Pichenam, quod latinitatem requirere quivis videt. Verba hæc in MSS. confundi solere, nemo nescit. Ern.

Nullo tum. Scribendum arbitror *nullo dum*: non enim e persona Taciti, sed Tiberii dicuntur. Pro *nullus dum* etiam apud Liv. 29, 11., irrepserat *nullus tum*, quod mutatum a Rhen. et aliis. Vid. ibi Drakenh. Ern, In textu expressi *dum*.

Deportare lauream posset. Id est, triumphare. Triumphantes enim ascendere capitolium soliti, et laurum, quam manu tenebant, quæque in fascibus lictorum, deponere in gremio Jovis: arbitri scilicet victoriæ et auctoris. Plura in Excursu D. Lips. In lucerna sepulcrali ap. Passerium t. 1, tab. 27, laurea in gremio Jovis sedentis deposita rem egregie inlustrat.

Disseram. Ne quis tentet emendare *edisseram*, quod in hac constructione usitatius est, et alibi quoque contra libros a viris doctis inductum; etiam *disserere* cum accu-

primum reperta sunt, quæ per tot annos rem publ. exedere. Firmius Catus, senator, ex intima Libonis amicitia, juvenem improvidum et facilem inanibus, ad Chaldæorum promissa, Magorum sacra, somniorum etiam interpretes impulit: dum « proavum Pompeium, amitam Scriboniam, quæ quondam Augusti conjunx fuerat, consobrinos Cæsares, plenam imaginibus domum » ostentat: hortaturque ad luxum et æs alienum, socius libidinum et necessitatum, quo pluribus indiciis illigaret.

sativo dicitur Livio. Vid. Drakenb. ad 41, 6., et Salustio Cat. 5, quem imitatur noster. Vid. etiam Cortium ad l. c. Ern.

Dum proavum Pompeium. Ante lucem quærere occepi hoc stemma, et vereor, ut concubium noctis sit, priusquam pertingam. Cur Liboni huic proavus Pompeius, scio; cur Cæsares consobrini. In Scribonia amita hæreo, quæ ex historiis quidem adstruitur saltem matertera major; nisi placet amitæ nomine abusum Tacitum esse. Si non est, sequitur, ut paternum genus etiam (nam de materno constat) huic adolescenti e Scriboniis sit. Et suadet hercle nomen: quia Tacito dicitur Scribonius Libo Drusus. Censeo L. Scribonio Liboni, qui consul cum M. Antonio fuit, fratrem fuisse alium Scribonium, cujus nepos iste: ita, inquam, ut maritus Pompeiæ Scribonius aliquis fuerit. Liquere res nisi ex genesi non potest: quam in Exc. Vide E. Lips.

Amitam Scriboniam. Digna lectu de tota hac re apud Senec. epist. 70. Lips.

Proavum Pompeiam, amitam Scriboniam. Prope temerarium est, in his aliquid audere. Video tamen, Scriboniam Augusti etiam Seneca appellari hujus Drusi *amitam*. Video et Dioni 48, 16., et Appiano B. Civ. 5, 139., Scribonium Libonem consulem A. U. 719, dici socerum Sex. Pompeii. Hujus igitur Scribonii filius, si Pompeiam duxit, sororis suæ filiam duxit, quæ Romanis non erant justæ nuptiæ. Nec vero Pompeiam Sex. F. possum putare, quam cum Fausti liberis conservatam Hirtius B. Afr. 95. Florus 4, 2, 90. (haud dubie falso) interfectam cum patruelibus e Sulla scribunt; quod vult Rupertus (Reines. ep. 48.), etsi alibi Hirtiusam Magni, Flori Pompeiam Sexti filiam facit. Utrobique profecto eadem designatur, et Magni filia, Cn. et Sexti soror. Relinquitur, ut suspicemur, si possimus, Sexto aliam fuisse uxorem, ex qua genuerit Pompeiam. Libonis Drusi matrem, antequam Scriboniam duceret. Gron. Adde Ryckium ad h. l. Ern.

Conjunx fuerat. Heinsius l. c *fuerit:* bene, si e persona Firmii Cati dicta sunt. Sed potest accipi saltem hoc, *quæ... fuerat*, e persona Taciti dictum. Vid. ad 1, 53. Ern.

Et necessitatum. Necessitates sunt

XXVIII. Ut satis testium, et, qui servi eadem noscerent, reperit, aditum ad principem postulat, demonstrato crimine et reo, per Flaccum Vesculariam, equitem romanum, cui propior cum Tiberio usus erat. Cæsar indicium haud aspernatus. Congressus abnuit : « posse enim, eodem Flacco internuntio, sermones commeare. » Atque interim Libonem ornat prætura, convictibus adhibet, non vultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat) cunctaque ejus dicta

sumptus vel impensæ. Et hoc confirmant loca duo posteriora : ut et quæ 1, 11., *vectigalia et necessitates*. *Angustiæ* autem, quæ vox tantopere placet hic Freinshemio, quid aliud sunt quam egestas, inopia? Quæ sequitur quidem immodicos sumptus, sed non petitur ex destinato, neque ad societatem placet. Quam belle igitur, *socius libidinum et egestatis!* Immo prodigentiæ sumptuum. Proponit ei avitam nobilitatem, ob quam ostendit, eum posse ad imperium pervenire : modo se dignum illo præstet munificentia et conviviis gratiam quærendo (eo efficacioribus, quod ab hac ambitione remotus esset triparcus Tiberius), nec parceret pecuniæ, vel si mutuandum gravibus sub usuris esset quod donaretur (sic enim et Julius auctor dominationis fecerat) : atque ostenderet sese adjutorem consilii, quod dederat, ipse, quasi pro Libone laborans, similiter faciebat, luxuriosus et damnosus; revera, ut plures conscii fierent temerariæ ambitionis, per quos Libonem convinceret. Gron. Non possum hic accedere magno Gronovio. *Necessitates* de impensis dici, scio, sed de necessariis, ut 1, 11., et locis ibi a Lipsio allatis, non, quæ fiunt luxuriæ caussa : neque impensarum, quæ sunt impensæ, et quoad sunt necessariæ, aliquis socius esse potest, nisi forte hoc sensu, ut partem conferat. Manifeste *libidines* referuntur ad *luxum* : ergo et *necessitates* ad *æs alienum*. Et sic accepere Lipsius l. c. et Freinsh. Ern. Rectiora dat Hillerus, qui Racem. 23, *libidinosas necessitates* sive sodalitates intelligit; ex quibus plura, quæ Tacitus dicit, indicia oriri poterant. *Necessitas* sic eo sensu, quo alias *necessitudo*, sumitur, ut ap. Cic. pro Roscio Am. 24, et pro Sulla 1. Conspirat et A. Gell. 13, 3. — Cum Hillero faciunt Broterius et Lamallus.

Reperit. Aurelius: *reperti* : probant Freinsh. et Heinsius l. c. qui insuper vult : *et qui e servis*. Vulgatum quoque commodum est, etsi altera illa ratio frequentior apud nostrum. Ern. — * Wopkens. vulgatum tuetur e locis similibus c. 41. 6, 31. 15, 59.

Per Flaccum Vesculavium. Qui tamen infra 6, 10., est Vesculavius Atticus insidiarum in Libonem internuncius. Lips.

factaque, cum prohibere posset, scire malebat : donec Junius quidam, tentatus, ut infernas umbras carminibus eliceret, ad Fulcinium Trionem indicium detulit. Celebre inter accusatores Trionis ingenium erat, avidumque famæ malæ. Statim corripit reum, adit consules, senatus cognitionem poscit : et vocantur Patres, addito, consultandum super re magna et atroci.

XXIX. Libo interim, veste mutata, cum primoribus feminis circumire domos, orare adfines, vocem adversum pericula poscere, abnuentibus cunctis, cum diversa prætenderent, eadem formidine. Die senatus, metu et ægritudine fessus, sive, ut tradidere quidam, simulato morbo, lectica delatus ad fores curiæ, innisusque fratri, et manus ac supplices voces ad Tiberium tendens, immoto ejus vultu excipitur. Mox libellos et auctores recitat Cæsar, ita moderans, ne lenire, neve asperare crimina videretur.

XXX. Accesserant, præter Trionem et Catum accusatores, Fonteius Agrippa et C. Vibius, certabantque,

Et vocantur patres. Faernus legebat : *Senatus cognitionem poscit : advocantur patres.* Frustra. *Vocari* in tali re dicitur senatus, non *advocari.* Tum hic transitus per *et* frequens Tacito et aliis. Ern.

Veste mutata. Sordidatus. Cic. Pis. 41. A. Gell. 3, 4.

* *Vocem.* Id est patrocinium, defensionem. Wopk. Sic Porc. Latro contra Catil. c. 23, 27. Vell. 2, 66.

Eadem formidine. Omnes enim timebant principis offensam. Lips.

Simulato morbo. Vere ægrotasse Dio narrat 57, 15.

Lectica delatus. Quod receptum in solis ægris. Nam lecticæ quamquam jam vulgatæ, tamen spernebantur adhuc a curiæ aditu. Sueton. de Tib. 30. *Nunquam curiam nisi solus intravit : lectica quondam introlatus æger comites a se removit.* Lips.

Innisusque fratri. Puto L. Scribonio Liboni, qui hoc anno consul. Lips. Parum id probabile videtur Ryckio.

Manus .... voces tendens. Vid. ad 3, 20. Ern.

Libellos et auctores. Libellos, qui continerent crimina : *auctores*, qui indicia fecissent. Ern.

C. Vibius. Libri scripti et editi

cui jus perorandi in reum daretur: donec Vibius, quia nec ipsi inter se concederent, et Libo sine patrono introisset, singillatim se crimina objecturum professus, protulit libellos, vecordes adeo, ut consultaverit Libo, an habiturus foret opes, quis viam Appiam Brundi-

habent *C. Livius*, pro quo Lipsius conjiciebat *Clavius*. Post omnes consensere ex Ann. 4, 28, 29. rescribendum *Vibius*. Idque ita evidens est, ut non dubitarim cum Ryckio recipere. Dissentiunt in prænomine, cum aliis C., aliis Q. placeat; sed quia 4, 13. 28. sine prænomine in scriptis nominatur, ut etiam dedit Gronovius, optimum duxi cum Ryckio servare *C. Vibium*. ERN.

Certabantque cui jus. Ut quondam in caussa Verrina Cicero et Cæcilius: idque genus caussæ *divinationem* vocabant. ERN.

Singillatim se crimina. Ut fecit Cicero in Verrem, actione prima, et fieri voluit Nero. V. Suet. Ner. 15. et quæ ibi diximus. ERN.

Vecordes adeo. Hoc vitio Libonem non absolvo. Vereor tamen, ne Tacito hic exciderit, quale Floro 1, 7. cum πίχνασμα Tarquinii, eminentia papaverum capita demetentis, *superbiam* vocavit. Speciem stultitiæ obscendi agnosco: sed sub eâ rem atrocem velatam diffiteri nequeo. Nec tam stolida quam perplexantis ea oratio videtur, qui rogare aperte non auderet, an majorem habiturus esset, quam quisquam privatorum: ad quantam accederet forsan nemo, propinquius tamen nemo accederet principe: denique an principatu potiturus esset? Omnis superlatio, quam vocant rhetores, exprimit, quod fieri non quit, ut quod summum veri est, intelligamus. Darius pecuniam deferebat Alexandro, *quantam tota Macedonia caperet*. Et solent in consultationibus istis perplexim loqui, dum vanum e re in dubios exitus veniæ patrocinium præparant, qui spei vetitæ indulgent. Sic iste patrum nostrorum memoria consulebat, an in capitato argento suam faciem quandoque visurus esset. GRON.

Quis viam Appiam. Non temerè de via Appia consultavit vanum caput, quia ea inter romanas vias longissima, et quasi regina, ut ait Statius Sylv. 2, 2, 12..... *qua limite noto Appia longarum teritur regina viarum*. Sed pertinuitne eâ Brundisium usque? Negat Frontinus de Aquæductibus, qui ultra Capuam non porrigit, *Appia aqua*, inquit, *inducta est ab Ap. Claudio censore, qui et viam Appiam a porta Capena usque ad urbem Capuam muniendam curavit*. Adfirmat tamen hic Tacitus, et Strabo prolixe 5. p. 233. et 6. p. 283. et Horatius Ep. 1, 18, 20. *Brundisium melius Numici via ducat, an Appi*. alique. Omnes bene. Nam Appius ipse non hercle ultra Capuam perduxit. Ne potuit quidem, ut fines tunc erant imperii romani. Perduxit postea sive C. Gracchus tribunus, qui pleraque vias fecit, refecit; sive C. Cæsar, qui curator viæ Appiæ non leviter in eam impendit: sive Augustus: de quo inscriptiones priscæ, S. P. Q. R. QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT. Nam certum aliquid non

sium usque pecunia operiret. » Inerant et alia hujuscemodi, stolida, vana : si mollius acciperes, miseranda. Uni tamen libello manu Libonis nominibus Cæsarum aut senatorum additas atroces vel occultas notas, accusator arguebat. Negante reo, agnoscentes servos per tormenta interrogari placuit. Et, quia vetere senatusconsulto quæstio in caput domini prohibebatur, callidus et novi juris repertor, Tiberius, mancipari singulos actori publico jubet : scilicet, ut in Libonem ex servis, salvo senatus-consulto, quæreretur. Ob quæ posterum diem reus petivit : domumque digressus, extremas preces P. Quirino propinquo suo ad principem mandavit.

alii, non ego inveni. Lips. Plura dat On. Panvin. in descr. U. R. apud Græv. A. R. t. 3. p. 252.

Atroces vel occultas. Quæ ad mortem eorum pertinerent, aut cædem. Lips. Potius ad defixiones magicas spectasse videtur Ryckio, quo faciunt dicta ad c. 27. et 28. Cf. et c. 69.

Vetere senatus-consulto. Quando et a quo latum id SC. quæro ? Sane antiquum est, et Cicero pro Dejot. 1. et pro Mil. 22. referre videtur ad morem majorum potius quam ad legem. Derogatum ei legi antiquitus, in caussa incesti. Pro Milone ib. Jurisconsulti excipiunt etiam adulterii crimen, fraudati census et majestatis. l. 1. C. de quæstion. l. 9. c. 41. Lips.

Novi juris repertor Tiberius. Immo infamia hujus inventi penes Augustum : erratque noster, si non errat Dio 55, 5. Ὅτι δὲ οὐκ ἐξὸν ἦν δοῦλον κατὰ δεσπότου βασανισθῆναι, ἐκέλευσεν ὁσάκις ἂν χρεία τοιοῦδέ τινος γίνηται, τῷ δημοσίῳ αὐτὸν, ἢ καὶ ἑαυτῷ ἀπαράσκισθαι, ὅπως ἀλλότριος τοῦ κρινομένου ὢν ἐξετάσηται, οἱ μὲν ἠτιῶντο, ὅτι ὁ νόμος τῇ τοῦ δεσπότου μεταλλαγῇ καταλύεσθαι ἐμελλεν. Lips.

Actori publico. Mancipari, mancupio tradi : ἀπαράσκισθαι sive vendi, dixit Dio. Supra 1, 73. *Hortisque venditis statuam Augusti simul mancipasset.* Cf. 3, 67. Sed quis *publicus actor* ? non alius, quam publicus sive servus sive libertus : proprio tamen munere, qui res rationesque rei publ. administrabat. Plura in Exc. F. Lips.

* *Scilicet... ut... quæreretur.* Hæc verba, utpote interpolata, expuncta cupi. Mendoza. V. Burm. syll. epistol. t. 2. p. 59.

P. Quirinio propinquo suo. Est P. Sulpicius Quirinius, qui Æmiliam Lepidam habuit uxorem : unde adfinitas. Nam ipse ignobilis. Lips. *Quirino* est in cod. in prima Beroald. et Aldina, ut notavit J. Gron. Sic habent etiam edd. Frobenianæ. Atque sic Latini in inscriptionibus et alibi. Itaque non dubitavi, hanc scripturam post Ryckium et J. Gron. recipere. Adde Duker. ad Flor. 4, 12.

XXXI. Responsum est, « ut senatum rogaret. » Cingebatur interim milite domus, strepebant etiam in vestibulo, ut audiri, ut adspici possent : cum Libo, ipsis, quas in novissimam voluptatem adhibuerat, epulis excruciatus, vocare percussorem, prensare servorum dextras, inserere gladium : atque illis, dum trepidant, dum refugiunt, evertentibus adpositum mensa lumen, feralibus jam sibi tenebris, duos ictus in viscera direxit. Ad gemitum collabentis adcurrere liberti : et, cæde visa, miles abstitit. Accusatio tamen apud patres adseveratione eadem peracta, juravitque Tiberius, « petiturum se vitam quamvis nocenti, nisi voluntariam mortem properavisset. »

XXXII. Bona inter accusatores dividuntur : et prætura extra ordinem datæ his, qui senatorii ordinis erant. Tunc Cotta Messallinus, « ne imago Libonis ex-

Sic volebat et Matius in Verisim. Ern. Ryckius bene et ad numum provocat. Vide Vaillant NN. fam. tab. 135.

Milite domus. Qui necessitatem ostenderent, et sponte aut vi pereundum. Lips.

Strepebant etiam in vestibulo. Velim, *strepebantque jam in v.* Gron. Ante Pichenam erat *strepebantque etiam*, velut in ed. Lips. Sed vett. edd. inde a Beroaldo omnes *strepebant etiam.* Ern. Heinsius l. c. malebat *jam et in v.*

Vocare percussorem. I. e. aliquem, cujus manu periret. Hic locus confirmare potest suspicionem nostram de loco Suetonii Ner. 47. Ern.

Adpositum mensa. Groslotius *mensæ*, vel *in mensa.* Hoc melius. Sed *in* potest intelligi, ut alibi. Ern.

Properavisset. Scilicet sibi. Cf. Brouckh. ad Tib. 4, 1, 205.

Prætura extra ordinem. An supra numerum eos prætores adjectos vult? certe enim unius prætura tantum vacabat. An potius, in annum proximum destinatos eos, extra sortem aleamque comitiorum ? Lips. Posterius verius. Ern. Sic et Pisonis accusatoribus aliis sacerdotia, uni suffragium ad honores, promissa 3, 19. insignia prætura Crispino decreta 11, 4., quæstoria Narcisso 11, 38., consularia Nymphidio, triumphale decus Petronio, Nervæ, Tigellino 15, 72. Proh scelera, nec nostro sæculo ignota !

Tunc Cotta Messalinus. Cotta hic inter notas et vibices ejus secli, filius, ut Plinius ait 10, 22. Messallæ oratoris, patris optimi, degener proles.

sequias posterorum comitaretur, » censuit : Cn. Lentulus, « ne quis Scribonius cognomentum Drusi adsumeret : supplicationum dies » Pomponii Flacci sententia constituti. « Dona Jovi, Marti, Concordiæ, utque iduum septembrium dies, quo se Libo interfecerat, dies festus haberetur, » L. P. et Gallus Asinius, et Papius Mutilus, et L. Apronius, decrevere : quorum auctoritates adulationesque retuli ; ut sciretur, vetus id in re publ. malum. Facta et de mathematicis magisque Italia pellendis senatus-consulta : quorum e numero L. Pituanius saxo dejectus est : in P. Marcium consules, extra portam Exquilinam, cum classicum canere jussissent, more prisco advertere.

De imaginibus in funere, deque hoc interdicto, non repeto ea, quæ scripsi in Electis 1, 24. Sic Bruti et Cassii imagines abolitæ, infra libro 3, 76. Lips.

Ne quis Scribonius. In prænominibus simile quid olim factitatum. V. Liv. 6, 20. Sueton. Tib. 1. Ern.

Ut dona Jovi, Marti. Delendam *ut* particulam putat Freinsh. recte, ut opinor. Alterum *utque* fecit, ut putaret librarius, in principio *ut* excidisse. Frn. Omisit et Crollius, bene. Expunxi.

L. P. et Gallus Asinius. Vereor, ut elapsum exscriptori sit aliquod nomen. Divinabam olim *L. Pætus, Gallus Asinius.* Pætos sane illo ævo in senatu fuisse, docet 15, 6., ubi Cæsonius Pætus. Quid si etiam, *L. P. et Gallus Asinii ?* ut prænominibus distinguat plures ejus gentis. Nam Asinii aliquot senatores, immo consulares, uti infra dicam. Lips. Fortasse. *L. Piso et Gallus Asinius.* Gron. *L. Publius* dedit Ryckius : quod probari non potest. Freinsh. etiam conjicit *Plancus* vel *Paullus.* Frustra viri docti ingenium exercent in hoc loco : quando nulla veri ansa datur, nisi una litera initialis, quæ pluribus nominibus est communis. Divinatio in talibus est, non judicium. Ern.

Facta et de mathematicis. Immo repetita potius. Nam veteri lege edictoque pridem amota e re publ. illa pestis. Adde quæ in Exc. G. Lips. De abusu nominis mathematicorum vide A. Gell. 1, 9.

Saxo dejectus est. Tarpeio. Ita dicebant, sine alia additione, Plautus Trin. 2, 1, 30., *Qui in amore* (malim *amorem*) *præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat.* Lucret. 3, 1028. Lips.

Extra portam Exquilinam. Supplicia pleraque apud Romanos sumi solita extra portas : credo, ne frequenti sanguine et cæde contaminari oculi civium, aut delibari videretur libertas. Exempla in Exc. H. Lips.

Classicum canere. Non cuilibet e

XXXIII. Proximo senatus die multa in luxum civitatis dicta a Q. Haterio, consulari, Octavio Frontone, prætura functo : decretumque « ne vasa auro solida ministrandis cibis fierent : ne vestis serica viros fœdaret. » Excessit Fronto, ac postulavit « modum argento, supellectili, familiæ. » Erat quippe adhuc frequens senatoribus, si quid e re publ. crederent, loco sententiæ promere. Contra Gallus Asinius disseruit : « Auctu imperii adolevisse etiam privatas opes ; idque non novum,

plebe doctorum notus mos. Cum civi rei capitalis dies dicta esset, classicum in celeberrimis urbis locis canebat, et postremo ante januam damnati. Plutarchus in Gracchis p. 836. Sen. de Ira 1, 16. In Commentario M. Sergii apud Varronem L. L. 5. *Quo die comitia erant, in arce classicum canat, endo* (sic emendo) *circumque mœros, et ante privati hujusce T. Quinctii Trogi scelerosi hominis hosticum* (lege *hostium*) *cantat, et ut in campo cum primo luci adsit.* Seneca iterum huc respexit Epist. 17. Puto et Lucilius, hoc versu trochaico Sat. 26, 32. *Rauco concionem sonitu et curvis cogant cornibus.* Nec Romæ solum et inter cives servatus ille mos : sed etiam in provinciis, nisi fallunt me declamatores (et hercle vereor, ut animi ingeniique caussa fallant) apud Senecam patrem Controv. 25., de Flaminio, qui inter cœnam notum punivit. Capito : *Fit a præcone silentium : abhibentur deinde legitima verba : canitur ex altera parte classicum.* Cassius Severus : *Si tribunal conscenderit convivali veste : ii cum classicum canere debeat, symphoniam canere jusserit.* Lips. Posteriora hæc male Cassio Severo tribuuntur : inspice locum Senecæ.

More prisco. Supplicium prisci moris quale, pete a me ad 15, 60. Lips.

Prætura functo. Qui munus scil. ipsum gesserat, alii tum erant prætorii, nomine tenus, prætoria insignia adepti, ut bene monet Freinshem.

Ne vasa auro. Vide luxum ejus ævi, et gratulare sæculo nostro. Dio 57, 15., paullo communius id concipit : quasi interdicta omnia vasa auri, nisi quæ ad sacra. Lips.

Ne vestis serica. Nolim erres : distincta genera vestium olim, byssina, bombycina, serica : quæ persequor et evolvo in Exc. I. Lips. Male interpretes reddunt per *habits de soie.*

Excessit. In dicenda sententia rei, de qua agebatur, aliud quid addidit. infra c. 38., id nostro est *egredi relationem.* Cf. 4, 74. 13, 49.

Modum argento. Id est, certum pondus numerumque definiri voluit : tot pondo argenti, tot servos, talem supellectilem. Lips.

Erat quippe. De hoc more vide Obs. mearum 1, 22. Gron.

sed e vetustissimis moribus. Aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam; et cuncta ad rem publ. referri: qua tenui, angustas civium domos; postquam eo magnificentiæ venerit, gliscere singulos. Neque in familia et argento, quæque ad usum parentur, nimium aliquid, aut modicum, nisi ex fortuna possidentis. Distinctos senatus et equitum census, non, quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent, taliaque ad requiem animi, aut salubritatem corporum

Aliam apud Scipiones pecuniam. Larga significatione pecuniam dixit, ut lex decemviralis, et jurisconsulti. Lips.

Cuncta ad rem publ. referri. Aliter hæc dicta, quam vetere latinitate. Intellige: omnia esse talia, qualis res publica ejusque conditio. Ern.

Gliscere singulos. Vir nobilis corrigit, *gliscere in singulos*: ut suppleatur, *magnificentiam*. Nam *gliscere singulos* Latine non dici putat; certe non explicare, quod auctor dicere voluerit: nisi forte senserit, unumquemque indulgere sibi et velut in lubrico ferri. Nimirum putavit, *gliscere* Latinum esse Gallicum *glisser*: quæ multum differunt. *Gliscere* Latinis est crescere. Vid. Nonium c. 1. Et sæpe sic usurpat ipse Tacitus. Hic *gliscere singulos*, est augeri opibus, crescere paratu et nitore instrumenti rerumque necessariarum ad victum et cultum. Gron. Adde Gebhard. et Drakenb. ad Liv. 6, 14. Ern.

Talesque ad requiem animi. Quid est illud, *tales?* Censeo rescribendum, *dignationibus antistent, aliisque, quæ ad requiem.* Ideo (inquit bonus patronus luxuriæ) repertum discernere censum senatorum equitumque a plebe: non solum ut loco, ordine, dignitate præmineant, sed etiam supellectile, veste, aliisque quæ animo aut corpori cara. Potes etiam legere, *ita aliis quæ ad.* minusque recedes a scriptura. Lips. Distinguo et lego: *non quia diversi natura, sed ut locis, ordinibus, dignationibus antistent et aliis, quæ ad requiem animi aut salubritatem corporum parentur.* In qua oratione multiplex ἔλλειψις obscuritatem facit, et occasionem mendo dedit. Intelligendum enim inter τὰ *sed ut* ex superioribus τὸ *quia*, et post τὸ *dignationibus* ex sequenti τὸ *antistent* intra idem comma; denique ante τὸ *antistent* particula comparativa. Est enim integrum: *non quia diversi natura sint, sed quia, quemadmodum locis, ordinibus, dignationibus antistant, sic antistent et aliis.* Gron. Sic ante emendarat Grotius, idque receptum a Ryckio: quod non sum ausus imitari, quia altera Lipsiana: *sed ut l. o. d. antistent, ita aliis, quæ*, non minus probabilis; quam etiam probavit Pichena, qui testatur se in cod. Med. reperisse *talisque*. Ern. *Talisque* ortum per errorem ex *taliaque*, ut visum Hillero

parentur. Nisi forte clarissimo cuique plures curas, majora pericula subeunda; delenimentis curarum et periculorum carendum esse. » Facilem adsensum Gallo, sub nominibus honestis, confessio vitiorum et similitudo audientium dedit. Adjecerat et Tiberius, « non id tempus censuræ : nec, si quid in moribus labaret, defuturum corrigendi auctorem. »

XXXIV. Inter quæ L. Piso « ambitum fori, corrupta judicia, sævitiam oratorum, adcusationes minitantium » increpans, « abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure. » Testabatur : simul curiam relinquebat. Commotus est Tiberius, et, quamquam mitibus verbis Pisonem permulsisset, propinquos quoque ejus impulit, ut abeuntem auctoritate vel precibus tenerent. Haud minus liberi doloris documentum idem Piso mox dedit, vocata in jus Urgulania, quam supra leges amicitia Augustæ extulerat. Nec aut Urgulania obtemperavit, in domum Cæsaris, spreto

Racem. 25. Ceterum hic quisque suo sensu abundet.

Confessio vitiorum. Possit legi *consensio.* Lips. Absit, ut mutemus, quod pulcherrime dictum est. Neque vero hæc confessio est Galli, ut censuit Freinsh. qui παραφράζει. *Huic Asinii orationi non difficulter assensi sunt reliqui, qui, quod ipsi similiter animati essent, gratum habebant exstitisse virum primarium, qui iisdem, quibus ipsi tenebantur vitiis, teneri se confiteretur, et tamen obtegendæ eorum turpitudini honesta nomina reperire potuisset.* Immo, impudentia, inquit, plurium, qui prætextu et vocabulis *commodorum* et *necessariorum* luxuriam suam tantum non prodebant, et palam confitebantur, et quod hæc istis similes audiebant. *Confessio* est illorum, qui post Gallum sententias dixere : *similitudo audientium* est illorum, qui non sunt locuti, sed verbo aut manu promissa assensere, aut denique pedibus in eam sententiam iere. Defendere turpia instar confessionis est insitorum vitiorum Ludit pari suavitate 14, 11, *adverso rumore Seneca erat, quod oratione tali confessionem scripsisset.* Gron.

Liberi doloris. Eleganter. Sic ap. Cic. 12. ep. 28. *liber in ulciscendo. Liber dolor* est, cum ea dicas, facias, quæ dolor suadet, nihil timens cujusquam odium, aut iras etc. Ern.—*Cf. Horat. Epod. 4., Quinct. 11, ab init. 18, 2. Declam. Wopk.

Pisone, vecta; aut ille abstitit, quamquam Augusta « se violari et imminui » quereretur. Tiberius hactenus indulgere matri civile ratus, ut, « se iturum ad prætoris tribunal, adfuturum Urgulaniæ, » diceret, processit palatio, procul sequi jussis militibus. Spectabatur, occursante populo, compositus ore, et sermonibus variis tempus atque iter ducens: donec, propinquis Pisonem frustra coercentibus, deferri Augustæ pecuniam, quæ petebatur, juberet. Isque finis rei; ex quâ neque Piso inglorius, et Cæsar majore fama fuit. Ceterum Urgulaniæ potentia adeo nimia civitati erat, ut testis in caussa quadam, quæ apud senatum tractabatur, venire dedignaretur: missus est prætor, qui domi interrogaret: cum, virgines vestales in foro et judicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit.

XXXV. Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret, Cn. Pisonis et Asinii Galli super eo negotio diversas sententias noscere. Piso, « quamquam afuturum

8. *Missus est prætor.* An *misso prætore.*

Spreto Pisone. Hoc quoque exquisita latinitate. Spernere dicuntur leges, judices, accusatores, qui se impune peccare posse putant, fiducia potentiæ, opum etc. Horat. Epod. 4., de libertino: *In quatuordecim sedilibus contemto Othone sedet*, ubi v. Bentl. Adde Clav. Cicer. in v. *contemnere*. Similiter καταγελᾶν νόμου dixit Lucian. in Toxari c. 2. Ern.

Ille abstitit. In cod. Gron. testatur esse *illi abscissit*. Unde conjicere licet a Tacito fuisse *abscessit*, quod eundem sensum habet. Xenoph. Mem. Socr. 2, 9., de Archidemo accusante sycophantas Critonis: ὁ δὲ οὐκ ἀπηλλάττετο, *non abscessit*, non omisit, aut deposuit accusationem. Ern.

Missus est prætor. Quod in egregiis personis observari Paullus jubet D. 12, 2. l. 15. De jurejur. *Ad personas egregias, eosque, qui valetudine impediuntur, domum mitti oportet ad jurandum.* Lips.

Res eo a. p. P. Pithœus Adv. 2, ult. *res tum prolatas* ob ferias messium et vindemiarum tempore indici solitas perhibet; Crollius in eo caussam quærit, quod princeps se afuturum dixerat, unde mox *res dilatæ* narrentur. Rerum dilationi actus earum opponitur. Cf. Suet. Aug. 32.

Quamquam abfuturum se dixerat. Omnino sic legendum. Atqui non

se dixerat Cæsar, ob id magis agendum, » censebat, « et, absente principe, senatum et equites posse sua munia sustinere, decorum rei publ. fore. » Gallus, quia speciem libertatis Piso præceperat, « nihil satis illustre, aut ex dignitate populi romani, nisi coram et sub oculis Cæsaris: eoque conventum Italiæ et adfluentis provincias præsentiæ ejus servanda, » dicebat. Audiente hæc Tiberio ac silente, magnis utrinque contentionibus acta: sed res dilatæ.

XXXVI. Et certamen Gallo adversus Cæsarem exortum est. Nam censuit, « in quinquennium magistra-

abfuit, ut e seqq. colligas. Ita est: sed dixerat, ut sæpe, et hæc talia ex usu aut caussa simulabat. Lips. In cod. Med. est *afuturum*: quod recepi. Millies litera *b.*, temere addita huic verbo, et sublata per codd. a viris doctis. v. Gebh. et Drakenb. ad Liv. 4, 2. 26, 41., et qui ibi laudantur. Ceterum etiam J. Gron. in MS. se reperisse testatur mox *agendas*, *senatum* et *posse*. Unde Taciti scripturam hanc facit: *ob id magis agendas censebat*, *et*, *absente principe*, *senatum et equites posse sua munia sustinere*, *decorum rei publicæ fore*. Mirandum est, Beroaldum et Pichenam hoc non vidisse, et uno versiculo illum ter mutasse lectionem codicis, sine caussa. Ceterum in utraque lectione aliquid duri est in verbis *ob id magis*. Post *quamquam* intelligi debere *tamen*, clarum est. Ei non satis convenit *ob id magis*: sed desideratur *haud minus*. Haud mutari potuisse in *ob id*, facile intelligitur; *magis* autem et *minus* sæpe permutata esse in libris scriptis observarunt viri docti. Vide quos laudat Drakenb. ad Liv. 45, 24. Cetera, *et.... senatum.... posse*, sunt meliora, eaque recepi. In ed. Rhenani est vitio operarum *adfuturum*, quod in Aldinam hinc irrepsit. Ern. Probarem cum Gron. et Crollio *agendas*, ni a voce *res* nimis procul abesset. Recte se habet vulgatum. Sic et *ob id magis* non mutandum. Sensus est: *multo magis* absente principe agendum. Ratio patet.

Senatum et equites p. sua munia s. Equitum munia sunt judicia. Nam, etsi judiciorum administratio communis tum fuit senatui et equiti: tamen usus loquendi tulit, ut equitibus, nomine quidem, solis tribueretur. Sic *decuriæ equitum* de judicibus ap. nostrum 14, 20., et Sueton. Tib. 41., ubi v. quæ diximus in Excursu: quæ non convelluntur iis, quæ contra dixit Oudend. Adde in pr. Plinium H. N. 33, 2. Ern.

Servanda. Habeo, quo vulgatum tuear: malim tamen *servandas*. Gron. Ceterum in MS. unico est ante *et ei adfl.* Ern. *Ei* necessario exprimendum judicat Crollius. Sufficit intelligi.

Censuit in quinquennium. Non a

tuum comitia habenda : utque legionum legati, qui ante prætoram ea militia fungebantur, jam tum prætores destinarentur : princeps duodecim candidatos in annos singulos nominaret. » Haud dubium erat, eam sententiam altius penetrare, et arcana imperii tentari.

se id invenit Gallus, sed imitari decretum C. Cæsaris voluit, de quo Appianus, in persona M. Antonii, Civil. 2, 128., Ἡμεῖς γὰρ αὐτοὶ σχεδὸν ἅπαντες, οἱ μὲν ἤρξαμεν ὑπὸ τῷ Καίσαρι· οἱ δὲ ἴσι ἄρχομεν, αἱρετοὶ πρὸς ἐκείνους γενόμενοι· οἱ δὲ ἐς τὸ μέλλον ἄρχειν κεχειροτονήμεθα. Ἐς γὰρ πεντακοσίους, ὡς ἴστε, καὶ τὰ ἀστυνικὰ ἡμῖν καὶ τὰ ἐπήσια, καὶ τὰς τῶν ἐθνῶν ἢ στρατοπέδων ἡγεμονίας διετάξατο. De quo etiam Suet. sentit in Julio 76. *Magistratus in plures annos ordinavit.* Lips. Id Vitell. 11, *Comitia in decem annos ordinavit.* Ern.

Utque legionum legati. In exercitu duplices legati, consulares et prætorii. Consularis toti exercitui, prætorius legioni uni præsidebat. At ecce Gallus, quia multæ legiones, et plures sane quam quotannis prætores (nam ad 25 aut 26 illo ævo erant); Gallus, inquam, hic blanditum legatis ivit, et, ut putabat, Cæsari. Voluit illos, qui ab eo præpositi ante prætoram, jamtum prætores designatos eo ipso facto esse, et sequenti anno inire. Quid amplius? *duodecim candidatos in singulos annos a principe nominari.* Sed cujus rei candidatos? Legationis, an prætoræ? Si istud, tum augeatur valde prætorum numerus, aut certe prætoriorum : quod tamen Gallus callide suasit novo reperto, quia Cæsar juraverat, Ann. 1, 14., se numerum duodenarium in prætoribus non excessurum. At nunc potest excedere, sed alio titulo et mantello. An placet legationis candidatos accipi? et ut Cæsar quotannis omnes illos nominet, solusque comitia hæc peragat? Neque id sperno : sed asprevit valde Tiberius, qui totum hoc caput ejus sententiæ nec refutatione, immo nec repetitione, dignum censuit : et in oratione rejicit prius caput tantum, de magistratibus in quinque annos. Lips. Immo prius verum est. *In annos singulos* intellige de quinque annis, in quos magistratus ordinandi ex ipsius sententia. Ita princeps nominabit candidatos 60, et quidem candidatos sine repulsa et ambitu designandos, ut loquitur 1, 15., utrum prætoræ tantum, an etiam consulatus, aliorumque magistratuum, non dixerim. Etenim qualis consulum creatio fuerit tum, incertum, auctore ipso Tacito 1, 81. Sed tamen et ibi candidatorum mentio. Itaque credam, non de sola prætura locum intelligendum esse. Ab initio quatuor candidatos nominaverat l. c. adulator duodecim concedi vult. Ern.

Arcana imperii. Quare? Quia validi nimis illi electi fuissent, et potuissent tractu in principem coire. Item odia serebantur in ipsum, et fortasse conspiratio, a repulsis. Et sane ea mens Taciti : quod verba illa mox ostendunt : *favorabili oratione vim imperii tenuit;* quæ resoluta igitur, et

Tiberius tamen, quasi augeretur potestas ejus, disseruit: « Grave moderationi suæ, tot eligere, tot differre. Vix per singulos annos offensiones vitari, quamvis repulsam propinqua spes soletur : quantum odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur : unde prospici posse, quæ cuique tam longo temporis spatio mens, domus, fortuna? superbire homines etiam annua desig-

velut enervata fuisset, illa sententia. Nam addo etiam, inter arcana imperii esse, ut princeps gratiæ et beneficii sit potens : vix aut non esset, in tam longum tempus honoribus semel datis. Lips. Alii aliter explicant hunc locum. Mihi sic videtur. *Arcana imperii* et *dominationis* apud Tacitum, id quod comparandis locis ceteris, infra 59. H. 1, 4. intelligi potest, sunt artes ab Cæsare et Augusto, suggerente in primis Mæcenate, inventæ, ad imperium summum et comparandum et retinendum, et instituta Cæsarum eodem comparata. *Arcana* vocantur, quia non in vulgus nota erant, sed occultabantur, ne animadverterentur consilia dominandi, et quod sub iis dominandi cupiditas, et vis ipsa dominationis latebat. Ergo sensus verborum Taciti hic videtur esse: omnibus apparebat, istam sententiam pertinere ad res, quæ in deliberationem senatus non cadebant, et de quibus sententiam dicere senatores non consuessent, sed propriæ essent imperatoribus. Nam magistratus ordinare in plures annos, candidatos nominare, erat inventum Cæsaris et Augusti, pertinens ad dominationem comparandam et retinendam. Igitur an et in quot annos ordinandi magistratus essent, quot candidati nominandi in singulos annos, imperatoris erat videre et decernere, non senatus. Ea porro sententia patefieri artes dominandi, quas occultas esse volebant imperatores. Bis ergo peccabat Gallus. Primo, quod in senatu decerni volebat, in quot annos comitia haberentur, quod fuerat imperatorum ante, auctore Cæsare : deinde, quod significabat etiam adulatione illa, qua duodecim candidatorum nominandorum potestatem Tiberio fieri volebat, non ignorare se, in eo esse aliquid, quod ad augendam potentiam excogitassent imperatores. Nam ignorari istas suas artes volunt dominandi cupidi, nec de iis verba fieri, quibus sibi exprobrari dominationem putant. Atque ad hunc fere modum interpretatur hunc locum etiam Ryckius. Ern.

Quasi augeretur. In Medicæo *auretur* legitur, voce admutilata. Illa vera lectio. Augebatur enim potestas, cum in ejus manum comitia tot annorum, nova ratione, darentur. Lips.

Grave moderationi suæ tot. Nam ante ita moderatus erat, ut quatuor tantum nominaret. 1, 15. Ern.

Mens, domus, fortuna. Quæ mens? utrum nimirum bona, an animus rei publ. infensus 4, 70. 6, 24. non ex hac tantum continuatione spei, sed undecumque. *Domus*, familia, gens, cognatio et necessitudines : nam et horum peccata poterant efficere, ut

natione: quid? si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges, quæ sua spatia exercendæ candidatorum industriæ, quærendisque aut potiundis honoribus statuerint.

XXXVII. Favorabili in speciem oratione vim imperii tenuit. Censusque quorundam senatorum juvit. Quo magis mirum fuit, quod preces M. Hortali, no-

aliquis in suspicionem veniret, et potestas ei male credi videretur. *Fortuna*, res familiaris, integra an attenuata. Gron.

Honorem per quinquennium agitent. Sermo ad invidiam rem augens. Ut 1, 69., *Compressa a muliere seditione.* Et paullo ante: *confessio vitiorum.* Designati a gerentibus magistratum potestate, non dignatione, neque gratia differunt: imo majorem sæpe gratiam habent, ut plerumque, a quibus speratur. Adorant ferme solem orientem, et semper, quæ sperant homines, ampliora sibi fingunt, quam præsentia vel inveniunt vel æstimant. Unde non mirum, si et ipsi sumerent superbiam quasi meritis quæsitam. Liv. 33, 46. Cic. in Verrem 1, 7. Verebatur igitur haud injuria, ne quis eorum, qui tot annos in oculis et exspectatione hominum fuissent, vires colligeret ad invadendum imperium. Gron.

Spatia exercendæ. Tot mensibus aut diebus petant, et in candida sunto: tot deinde adepti gerant. Neque enim solenniter petere toto anno licebat. Atque hoc est *spatium exercendæ candidatorum industriæ*, olim legibus finitum. Lips.

Censusque quorundam senatorum. Suet. Vesp. 17. Punctum posui post *tenuit.* Est enim nova sententia. *Quo* est præterea, deinde. V. dicta ad Suet. Ner. 38. Sic infra 52., *circumferrent. Compulerantque etc.* Ern.

Preces M. Hortali. Ortalus scribitur in Suet. Tib. 47. Ortalus igitur Hortensiæ gentis cognomen. Cicero ad Atticum 4, 15. *Ortalus in ea causa fuit, cujusmodi solet.* Infanda quædam de hoc ipso, nisi fallor, Hortensio Valerius Max. narrat 3, 5, 4. sed vocat Corbionem. Anne igitur scribendum *Hortalus Corbio?* an corrupta ea vox, substituendumque, *Ortalus?* alterum certe horum. Principio etiam Valerianæ narrationis emendo, *in maximo et ingeniorum et civium amplissimorum proventu.* Facio judicem nostrum Pighium, cui scriptor hic non medicinam debet, sed vitam. Sed hic Ortalus Hortensii nepos, numquid ex filio? Apparet; nam et Valerius diserte Hortensium eum appellat. Attamen filius magni illius oratoris, bello civili Brutino periit, præmature. Velleius 2, 71. Sed debuit scilicet jam tunc prolem sevisse, et reliquisse in urbe. Catulli elegia, quæ ad Ortalum est: censeo eam esse ad hujus avum. Lips. Pro Ortalo ubivis viri docti posuere *Hortalum.* Simili modo Ortensius nonnunquam legitur, ut ap. Grut. 883, 4. Sequior ætas vulgo *ortus* pro *hortus* dixit. Ern.

bilis juvenis, in paupertate manifesta, superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensii, illectus a D. Augusto liberalitate decies sestertii, ducere uxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia exstingueretur. Igitur, quatuor filiis ante limen curiæ adstantibus, loco sententiæ, quum in Palatio senatus haberetur, modo Hortensii inter oratores sitam imaginem, modo Augusti intuens, ad hunc modum cœpit: « Patres conscripti, hos, quorum numerum et pueritiam videtis non sponte sustuli, sed quia princeps monebat: simul majores mei meruerant, ut posteros haberent. Nam ego, qui non pecuniam, non studia populi, neque eloquentiam, gentile domus nostræ bonum, varietate temporum accipere vel parare potuissem, satis habebam, si tenues res meæ nec mihi pudori, nec cuiquam oneri forent. Jussus ab imperatore, uxorem duxi. En stirps et progenies tot consulum, tot dictatorum! nec ad invidiam ista, sed conciliandæ misericordiæ, refero. Adsequentur, flo-

Decies HS. Is est ipse census senatorius, qui sub Augusto fuit: nam auxit eum et produxit. Sunt ista *viginti quinque millia Philippicum.* Lips. *Liberalitatem decies sestertii* dicebant veteres, et scripsit haud dubie Tacitus; non *sestertium.* Gron. J. Gron. in MS. Med. clare reperit *sestertii.* Itaque non dubitavi recipere cum Ryckio. Aliis etiam locis veterum scriptorum, etiam sine libris scriptis, recepere viri docti. V. Intt. ad Sueton. Cæsar. 50. Aug. 41. Tib. 48. Ern. Vid. omnino Gron. de pecun. vet. 2, 3. Valor, quem Lipsius statuit, hodiernæ rationi non amplius congruit. Male quoque passim Eisenschmidii nostri calculum viros doctos presso pede adhuc sequi video. Seculi spatio duplicatus argenti valor est. Decies HS. hodie Gallicæ monetæ ducenties mille libris respondet. Vide Diss. nostram de numi rom. valore in Misc. litt. Argent. 4, 1770. — Dio quoque 54, 17., habet *decies;* sed Suetonius Aug. 41, *duodecies.* De diversis temporibus agi, docet Perizonius de lege Voconia, p. 174. Sic Ern. ad Suet.

Tot consulum. Vaniloqua hominis oratio et falsa: ubi enim isti tot consules, tot dictatores? Certe ego in Hortensia gente unum dictatorem reperio, et consulem unum. Dictatorem anno urbis 467. secessione plebis; consulem, Q. Hortensium, hujus avum. Sed intellegit fortasse majores suos etiam ex gente materna. Lips.

Adsequentur florente te. Adse-

rente te, Cæsar, quos dederis, honores: interim Q. Hortensii pronepotes, D. Augusti alumnos, ab inopia defende. »

XXXVIII. Inclinatio senatus incitamentum Tiberio fuit, quo promptius adversaretur, his ferme verbis usus: « Si quantum pauperum est venire huc, et liberis suis petere pecunias cœperint, singuli nunquam exsatiabuntur, res publ. deficiet. Nec sane ideo a majoribus concessum est, egredi aliquando relationem, et, quod in commune conducat, loco sententiæ proferre, ut privata negotia, res familiares nostras hic augeamus, cum invidia senatus et principum, sive indulserint largitionem, sive abnuerint. Non enim preces sunt istuc, sed efflagitatio, intempestiva quidem et improvisa, cum aliis de rebus convenerint patres, consurgere, et numero atque ætate liberum suorum urgere modestiam senatus, eandem vim in me transmittere, ac velut perfringere

9. *Eamdem vim in me transmittere.* Codex Rhenani, *transmerei.* Forte, *transmeare*: sed nihil temere mutandum, nisi minus mendosus liber eo invitet.

quantur Acidalius. Non placet: certius enim omen in vulgata, etsi ratum non fuerit. Gron.

Inclinatio senatus. Quare illa impedivit, aut arcuit? debuisset incitare: nam videri volebat omnia per senatum agere. Sed hic aliud: ista inclinatio popularitatem quandam referebat, et severum principem, quasi ad famam et gratiam componebat: spretum Tiberio. Fortasse etiam, quia sponte volebat dare, et solus gratiam habere, non ab aliis invitatus aut impulsus. Lips.

Preces sunt istuc. J. Gron. in MS. legit *istut*, pro *istud*, quod ille probat. Sed illud *istut*, si quidem acutius ceteris in hac voce legenda vidit Gronovius, potest esse factum ex *istuc*, pro quo sæpe librarii reposuere *istud*, ut docuere viri docti ad Liv. 28, 28. 42. etc. Ern. — * *Istuc*, bene. Sis 1, 42. H. 1, 84. Wopk.

Eandem vim. Prisca scriptura, *in me transmerei*: ex quo Beatus, *transumere*. Legebam, *eadem*, *invidiam in me transmittere*: vel etiam; *tandem vim*. Primo, inquit, urgent modestiam senatus, denique velut vim mihi adhibent, et ærarium perfringunt. Vim dico, quia velut pro sententia dicunt, et senatus assensum capiunt, aut captant; cui parere me sit necessum. Lips. Optime habet

ærarium : quod, si ambitione exhauserimus, per scelera supplendum erit. Dedit tibi, Hortale, D. Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege, ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes; et securi omnes aliena subsidia exspectabunt, sibi ignavi, nobis graves? » Hæc atque talia, quamquam cum adsensu audita ab his, quibus omnia principum, honesta atque inhonesta, laudare mos est, plures per silentium aut occultum murmur excepere : sensitque Tiberius : et, cum paullum reticuisset, « Hortalo se respondisse » ait : « ceterum, si patribus videretur, daturum liberis ejus ducena sestertia singulis, qui sexus virilis essent. » Egere alii grates; siluit Hortalus, pavore, an avitæ nobilitatis, etiam inter angustias fortunæ, retinens. Neque miseratus est posthac Tiberius, quamvis domus Hortensii pudendam ad inopiam delaberetur.

XXXIX. Eodem anno, mancipii unius audacia, ni

40. *Domus Hortensii.* Forte *Hortensia.*

vulgatum : nam et *vis* infertur pudori : vis etiam est, cum aliquid *extorquet improbitas*, ut loquitur Arbiter c. 87., cui concedit frontis imbecillitas. Sic 15, 36., *Ergo ut in privatis necessitudinibus proxima pignora prævalerent, ita P. R. plurimam vim habere, parendumque retinenti.* Gron. J. Gron. e prisca scriptura, quam Beroald. et Rhen. ed. pr. retinuere, legi vult *transjicere.* Aldus edidit *transmitti*, Gryph. *transmittere.* Ern. Hillerus Racem. 25. legendum suadet *transferre;* Crollius *transmovere*, citatque ex Terent. Eun. 3, 1, 8. et ex nostro 13, 35. — * Vulgatum tuetur et Ferrarius, Elect. 1, 10.

Retinens. Infra 5, 11., *modestiæ retinens.* Sic etiam Cic. ad Q. fr. 1, 2., *sui juris dignitatisque retinens.* Ern.

Dilaberetur. Arbitror Tacitum dedisse : *delaberetur.* Sic Sueton. Claud. 9. *ad eas rei familiaris angustias decidit :* quanquam ibi suspicatus sum, Suetonium scripsisse *recidit. Delabi* et *dilabi* sæpe confundi in libris, satis notum est. Infra 3, 63. *neu specie religionis in ambitionem delaberentur.* Itaque non dubitavi sic rescribere. Ern.

mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rem publ. perculisset. Postumi Agrippæ servus, nomine *Clemens*, comperto fine Augusti, pergere in insulam Planasiam, et fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non servili animo, concepit. Ausa ejus impedivit tarditas onerariæ navis: atque interim patrata cæde, ad majora et magis præcipitia conversus, furatur cineres, vectusque Cosam, Etruriæ promontorium, ignotis locis sese abdit, donec crinem barbamque promitteret: nam ætate et forma haud dissimili in dominum erat. Tum, per idoneos et secreti ejus socios, crebrescit « vivere Agrippam, » occultis primum sermonibus, ut vetita solent, mox vago rumore apud imperitissimi cujusque promptas aures, aut rursum apud turbidos, eoque nova cupientes. Atque ipse adire municipia obscuro diei, neque propalam adspici, neque diutius iisdem locis. Sed, quia veritas visu et mora, falsa festinatione et incertis valescunt, relinquebat famam aut præveniebat.

Ferre ad exercitus. Suet. Oct. 19. Tib. 53. Noster 4, 67. Gron.

Patrata cæde. Scil. Postumi Agrippæ. Respice ad 1, 6.

Furatur cineres. Quare hoc? an, ne constaret eo argumento mortuum Postumum, quem vivum ille, et se esse, credi volebat? An caritate in dominum fecit, et alibi sepulturus? Lips.

Vectusque Coram. Apud Dionem 57, 16. leges, in Galliam profectum eum. Sed Coræ nomen ego apud geographos in hoc tractu non reperio: reperio Cosæ, quod Etruriæ oppidum fuit in sublimi colle ad mare, cum subjecto sinu. Strabo 5, p. 225. Μετὰ δὲ Ποπλώνιον Κόσσα πόλις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης· ἔστι δὲ ἐν πόλῳ βουνὸς ὑψηλός. Vicinum id portui Herculis Rutilius in Itin. 1, 286. locat: *Et desolatæ mœnia fœda Cosæ.* Servius de eodem ad Virg. Æn. 10, 167 *Cosæ civitas Tusciæ, quæ numero singulari etiam secundum Sallustium dicitur.* Nominat et Plinius lib. 3, 8. Itaque qui me audiet, *Cosam* his restituet. Lips.

Relinquebat famam. Statim abeundo scilicet, priusquam bene innotesceret: *præveniebat* autem, ex inopinato et celeriter se sistendo. Ita parum gnaros relinquebat, parum providis se sistebat. Lips. Totum inter-

XL. Vulgabatur interim per Italiam, « servatum munere deum Agrippam : » credebatur Romæ : jamque Ostiam invectum multitudo ingens, jam in urbe clandestini cœtus celebrabant : cum Tiberium anceps cura distrahere, vine militum servum suum coerceret, an

pretor de abitu, idque præcipit ipse Tacitus, cum ait : *neque diutius iisdem locis, sed aut relinquebat aut præveniebat :* quid fecerit, narrat, in mutandis locis. Etsi autem *relinquere* interdum dicimur, quicquid post tergum est vel venit, proprie tamen relinquimus, quod nobiscum fuit, aut quod jam adest, cum ab eo discedimus ; prævenimus id, quod nondum adest, seu, quod post nos demum exsistit. Hoc igitur ait, abibat vel cum inciperetur spargi, vel priusquam spargeretur rumor, eum adesse. Gron.

Ostiam invectum multitudo ingens celebrabat. Freinsh. capit de sermonibus hominum. Crederem, *si* adjiceretur *fama, rumore, sermone, vocibus.* Nam mihi nihil exploratius, quam, quem *multitudo celebrare ingens* dicitur veteribus, eum magnam turbam comitum, anteambulonum, sectatorum secum trahere intelligi. Cic. pro Sext. 63. *Viæ multitudine legatorum undique missorum celebrabantur.* Ad Att. 4, 1. *Similis frequentia me usque ad Capitolium celebravit.* De Orat. 1, 45. *Testis est hujusce Q. Mucii janua et vestibulum, quod maxima quotidie frequentia civium celebratur.* Plane sic et Tacitus loquitur, narratque, simul egressus in terram esset, magna frequentia vulgi circumfusum comitatumque incessisse per vias gaudentis, gratulantis, deducentis, mirantis. Et quid in eo novi ? Pseudogracchi et Pseudomarii juxta magnos concursus fecerunt. Neque abhorret, quod præcedit, *adire obscuro* etc., et *relinquebat aut præveniebat.* Sic tum illic, postea Ostiæ aliter : crescunt enim et in scelere ac fraude animi parvi metu primo : rursusque pro occasione minuuntur. Quos progressus regressusque curate satis annotavit Tacitus. Ostiæ effuderant sese. In urbe sub oculis principis minus audebant. Aut, si audebant, ipse dimisit illos, monitos conducere magis rebus suis, ut minus conspectus Romam intraret. Postquam igitur mœnia irrepsit, coitiones interim clandestinæ ad eum fiebant, donec matura, si daretur, fieret seditio. XXII. lapide ab urbe distare Ostiam accepit, opinor, Freinsh. e corrupto Strabonis loco 5, p. 232. cum tot alii auctores, tabulæ, itineraria XVI, quidem etiam XIII millibus contenti sint. Vide Cluverium. Gron., *Ostiam* in textu scripsi, imitatus viros doctos in Livio. *Ostia* vera scriptura, non *Hostia*. Et sic in MS. auctore J. Gron. Edn.

Servum suum coerceret. Rectum est. Etsi enim Clemens hic servus Agrippæ olim : tamen nunc Tiberii, ad quem scilicet universa Agrippæ hereditas venerat. Lips. Acidalio non inconcinne ex *suum* scribi posse *statim* videbatur. Sed molto efficacius τὸ *suum*. Justin. 42, 5., *Phraates legatos statim ad Cæsarem mittit, servum suum Tiridatem et filium remitti sibi postulat.*

inanem credulitatem tempore ipso vanescere sineret. Modo nihil spernendum, modo non omnia metuenda, ambiguus pudoris ac metus, reputabat. Postremo dat negotium Sallustio Crispo : ille e clientibus duos (quidam milites fuisse tradunt) deligit : atque hortatur, simulata conscientia adeant, offerant pecuniam, fidem atque pericula polliceantur. Exsequuntur ut jussum erat : dein speculati noctem incustoditam, accepta idonea manu, vinctum, clauso ore, in palatium traxere. Percunctanti Tiberio, « Quomodo Agrippa factus esset? » respondisse fertur, « Quomodo tu Cæsar. » Ut ederet socios, subigi non potuit. Nec Tiberius poenam ejus palam ausus, in secreta palatii parte interfici jussit, corpusque clam auferri : et, quamquam multi e domo principis, equitesque ac senatores, sustentasse opibus, juvisse consiliis dicerentur, haud quæsitum.

XLI. Fine anni arcus, propter ædem Saturni, ob recepta signa cum Varo amissa, ductu Germanici, auspiciis Tiberii; et ædes Fortis Fortunæ Tiberim juxta in hortis, quos Cæsar dictator populo rom. legaverat; sa-

Gron. Groslotius volebat corrigi *tum*. Ern. Illud *tum* nullo modo ferendum.

Simulata conscientia. Freinshemii interpretationem, qui fraudis conscientiam intelligit, admittere non possum. Quem ad modum enim planus hic confideret committeretque sese illis, qui dicerent : *Scimus te non esse Agrippam, quem præfers?* Prorsus hoc erat totam tragœdiam evertere. Qua fronte poterant offerre pecuniam, fidem et pericula polliceri, qui detrahebant ei aperte personam, sub qua erat favorabilis? Non erat tam fatuus Clemens, ut crederet homines, si nihil aliud, ingenuos et militares sacramento dicturos ei, quem fugitivum esse nossent. Quin *simulata conscientia* est fingentes se conscios ac participes eorum, qui jampridem illius adventum optarint et exspectarint, adeoque conspirationis pro servato munere Deum Agrippa factæ, et velle omni modo Augusti sanguinem adversus inimicos tueri. Gron.

Auspiciis Tib. Eleganter Hor. 4, 14, 33. *Te copias, te consilium et tuos prævehente Divos*.

crarium genti Juliæ, effigiesque D. Augusto apud Bovillas, dicantur. C. Cæcilio, L. Pomponio coss. Germanicus Cæsar A. D. VII. Kal. Junias triumphavit de Cheruscis Cattisque, et Angrivariis, quæque aliæ nationes usque ad Albim colunt : vecta spolia, captivi, simulacra montium, fluminum, prœliorum : bellumque, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur. Augebat intuentium visus eximia ipsius species, currusque quinque liberis onustus, sed suberat occulta formido reputantibus, « haud prosperum in Druso, patre ejus, favorem vulgi : avunculum ejusdem, Marcellum, flagrantibus plebis studiis intra juventam ereptum : breves et infaustos populi romani amores. »

XLII. Ceterum Tiberius, nomine Germanici, trecenos plebi sestertios viritim dedit, seque collegam consulatui ejus destinavit. Nec ideo sinceræ caritatis fidem adsecutus, amoliri juvenem specie honoris statuit, stru-

Sacrarium genti Juliæ. Addito etiam ludicro circensi, quod docent verba 15, 23. At de sacrario, exemplum imitatus in gente Flavia Domitianus. Statius Silvar. 5, 1, 240.... *æternæ modo qui sacraria genti Condidit, inque alio posuit sua sidera cœlo*. Lips.

C. Cæcilio. Sic edidi pro *Cælio*, ex inscriptione ap. Murat. t. 1, p. 301., et sic appellant Dio 57, 17. et Cassiodorus in Chron. ut jam monuit Panvinius, Blanchinus. Sic edidit etiam Broterius V. et Massonus Vita Ov. ad h. a. De Pomponii consulatu v. Rezonici Disquis. Plin. t. 1, p. 146. Ern.

Triumphavit de Cheruscis. Plures gentes in hoc triumpho Strabo 7, p. 291. nominat, sed verbis corruptis : de quibus videbo in Germania Taciti. Lips. Huc spectat numus sat obvius, qui hinc Germanicum in quadrigis triumphalibus, illinc stantem paludatum sistit, addito in area : SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. S. C. V. Eckhelii Doctr. NN. vet. vol. 6, p. 209. De vectis spoliis et simulacris v. Ovid. ex Ponto 2, 1. Hor. ep. 2, 1, 191. Flor. 4, 2, 88.

Currusque quinq. liberis. Ex triumphantium ritu, qui pueros minores in curru, grandiores interdum equis triumphalibus imponebant. Cicero pro Murena 5. Plutarchus, Suetonius Tib. 6, alii. Dio. 45, 40. Lips.

Trecenos plebi sestertios. Tres aureos Romanos, nostros septem Philippos vel ducatones argenteos et dimidiatum. Gron. Monetæ Gall. 60 libras Turon.

xitque caussas, aut forte oblatas adripuit. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur; invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus: quia, florente C. Cæsare missoque ad res Orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut, versa Cæsarum sobole, imperium adeptus est, elicit Archelaum matris literis, quæ, non dissimulatis filii offensionibus, clementiam offerebat, si ad precandum veniret. Ille ignarus doli, vel, si intelligere crederetur, vim metuens, in urbem properat: exceptusque immiti a principe, et mox adcusatus in senatu; non ob crimina, quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio, et quia regibus æqua, nedum infima, insolita sunt, finem vitæ, sponte an fato, implevit. Regnum in provinciam redactum est, « fructibusque

Rex Archelaus. Rex Cappadocum, non Judææ tetrarcha, ut Muretus vult. Hic Herodis erat filius: ille ex posteris Archelai, Mithridatis præfecti. Archelai Judæi frater Alexander Archetai Cappadocis filiam Glaphyren uxorem habuit. Gron. Confundit utrumque etiam Torrentius ad Suéton. Tib. 8. Ern. Scil. apud Suet. idem Archelaus Capp. rex intelligitur, qui ap. nostrum; contra ap. Josephum, quem allegat Torrent. ex Antiq. 17, 11. Archelaus Ethnarcha Judææ, cujus in judicio ob contentionem cum fratre de herciscundo mortui patris regno adfuit Caius Cæsar, Augusti nepos. Cf. Noldius in Hist. Idumæa, p. 196.

Quinquagesimum annum. Justa putatio. Cepit enim regnum ab Antonio, anno urbis 718. Consule Dienem 49, 32. Lips.

Versa. Non finita, sed eversa, Agrippa Postumo in exilium acto.

Veniret. Legitima ratio desiderat *venisset:* sæpe in hoc genere, nominatimque in hoc verbo, peccatum inscitia librariorum. Ern. Negat Wopk.

Angore. Suet. Tib. 49. Gron. Adde supra de Libone c. 30. Ern.

In provinciam redactum est. Non nunc quidem, sed paullo post a Germanico, misso ad res Orientis. Infra 42, 56., *At Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere.* Strabo 12, p. 534. Τῆς δὲ μεγάλης Καππαδοκίας τὸν μὲν οὐκ ἴσμεν πρότην διάταξιν. Τελευτήσαντος γὰρ τὸν βίον Ἀρχελάου τοῦ βασιλεύσαντος, ἔγνω Καῖσάρ τε καὶ ἡ σύγκλητος ἐπαρχίαν εἶναι Ῥωμαίων

ejus levari posse centesimæ vectigal » professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit. Per idem tempus, Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum, regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque romanum, aliis regium imperium cupientibus : et provinciæ, Syria atque Judæa, fessæ oneribus, deminutionem tributi orabant.

XLIII. Igitur hæc, et de Armenia, quæ supra memoravi, apud patres disseruit : « nec posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi; nam suam ætatem vergere, Drusi nondum satis adolevisse. » Tunc decreto patrum permissæ Germanico provinciæ, quæ mari diviguntur, majusque imperium, quoquo adisset, quam

αὐτὴν. Regnum autem Cappadociæ a Tiberio primum in provinciam redactum, consensu traditum est. Appianum quis hic audiet, qui refert ad Augustum? Verba ejus in Mithr. 105. Ἀριοβαρζάνης μὲν οὖν τὴν βασιλείαν ὅλην τῷ παιδὶ περιὸν ἐνεχείρισε, καὶ πολλαὶ μεταβολαὶ μεχρὶ Καίσαρος ἐγένοντο τοῦ Σεβαστοῦ. Ἐφ' οὗ, καθάπερ τὰ λοιπὰ, καὶ ἥδε ἡ βασιλεία περιῆλθεν ἐς στρατηγίαν. Lips.

Centesimæ vectigal. Onus hoc impositum urbi et Italiæ post bella civilia ab Augusto : anno, nisi erro, 759, quo tempore ærarium militare institutum, ut tradit Dio 55, 25. Colligo ex verbis Taciti, quæ 1, 78. Non aliud autem hoc vectigal, quam centesimus rerum in auctione venalium nummus. Auctor sic interpretandi Suetonius, qui ducentesimam auctionum appellat Cal. 16. *Ducentesimam auctionum Italiæ remisit;* ubi bene Turnebus Adv. 27, 20. emendat, *centesimam.* Bene, inquam, maximus ille criticus ævi nostri. Nec juvat Suetonii receptam lectionem hic locus Taciti : quia ille idem Tiberius, quasi pœnitentia beneficii, centesimam iterum instituit, ducentesima inducta. Clare Dio 58, 16., Καὶ μετὰ τοῦτο (id est, post Sejani mortem) τέλος τι διπλοσιοστὴν ἔχον, ἐπατοστὴν ἤγαγε. Non narrat id Tacitus, fateor, quia ea omnis historia exstincta. At Dio idem 59, 9. ubi de Caligula, sibi constans, centesimam ab eo sublatam ait, non ducentesimam. Lips. Egregie nodum ex NN. solvit Ryckius.

Supra memoravi. Scil. 2, 3.

Motum Orientem. Recte; quasi dicat, turbatum commotumque Orientem; alias, non peccabis si legas, *motum Orientis.* Lips. Cave faxis. Sic et *mota Orientis regna* noster 2, 1. et *res motas* 14, 61. dixit.

Majusque imperium. Id eximium jus tributum etiam olim Pompeio Magno, bello in piratas. Quod ait, sorte aut missu : dividit proconsules a prætoribus legatisque, ut vere

his, qui sorte aut missu principis obtinerent. Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum, per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat : præfeceratque Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui, civili bello, resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Cæsarem juvit : mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur, delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed, præter paternos spiritus, uxoris quoque Plancinæ nobilitate et opibus accendebatur. Vix Tiberio concedere : liberos ejus, ut multum infra, despectare : nec dubium habebat, se delectum, qui Syriæ imponeretur, ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam, data et a Tiberio occulta mandata : et Plancinam haud dubie Augusta monuit

notavi 1, 74., Lips. Cicero *imperium infinitum* vocat, quia nulli certæ provinciæ adstrictum. Tale imperium habuit olim et jam M. Antonius Creticus. Dio 53, 32., τὸ πλεῖον τῶν ἐκασταχόθι ἀρχόντων ἰσχύειν. Quæ super hoc loco inter Pagium et Spanhemium disputata sunt, vide in opere de Us. et Pr. NN. t. 2, p. 469. Ern.

Creticum Silanum. Ex Junia familia hic Silanus, sed adoptione in Cæciliam transierat. Itaque nomina illi, Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus. Ex Dione 55, 30. Cassiodore in Chron. aliisque, qui scripserunt Fastos. Consul fuit anno urbis 760, cum Nerva Silano. Lips. Cf. supra 2, 4.

Civili bello. Ita est, et nominat semel iterumque inter duces adversarios Hirtius tersissimo belli Africi Comment. 18, *M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus numidis mille centum electis, peditatuque ejus generis satis grandi occurrunt.* Item 4. *Adrumeti Cn. Piso cum Maurorum circiter tribus millibus apparuit.* Lips.

Consulatum accipere. Consul fuit Cn. Calpurnius Piso cum ipso Augusto a. 731. De ministerio ejus in bello Africo, vide Hirtium initio libri. Lips.

Plancinæ nobilitate. A Dione 58, 22. Munatia Plancina dicitur : ut certum sit, eam celebris illius L. Munatii Planci filiam fuisse aut neptem. Nominat hanc ipsam Roma lapis in sedibus Cæsiis : DIS. MANIBVS. L. MVNATI. PLANCINÆ. L. POLYCLITI. id est, Plancinæ liberti. Ern. Legitur apud Grut. p. 985, 8.

Liberos ejus. Germanicum intellege et Drusum. Lips.

muliebri æmulatione Agrippinam insectandi. Divisa namque et discors aula erat, tacitis in Drusum aut Germanicum studiis. Tiberius, ut proprium et sui sanguinis, Drusum fovebat : Germanico alienatio patrui amorem apud ceteros auxerat; et quia claritudine materni generis anteibat, avum M. Antonium, avunculum Augustum ferens. Contra Druso proavus eques romanus Pomponius Atticus, dedecere Claudiorum imagines videbatur. Et conjunx Germanici, Agrippina, fecunditate ac fama Liviam, uxorem Drusi, præcellebat. Sed fratres egregie concordes, et proximorum certaminibus inconcussi.

XLIV. Nec multo post Drusus in Illyricum missus est, ut suesceret militiæ, studiaque exercitus pararet; simul juvenem, urbano luxu lascivientem, melius in castris haberi Tiberius, seque tutiorem rebatur, utroque filio legiones obtinente. Sed Suevi prætendebantur, auxilium adversus Cheruscos orantes. Nam discessu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adsuetudine,

Insectandi. Non muto, etsi dictio non trita. Sic 15, 5., *Vologesi penitus infixum erat, arma romana vitandi.* Lips. Similiter ibid. 21, *manent provincialibus potentiam suam tali modo ostentandi.* Neque Tacitus modo, sed antiquiores ac meliores etiam. V. Voss. Aristarch. 7, 53., Gron. ad Liv. 35, 49. Et hi quidem putant, cum Linacro l. 4, intelligi *consilium, voluntatem, facultatem:* quorum nihil huic loco convenit. Forte initio sic usi sunt hac forma, ut intelligeretur aliquod ejusmodi verbum. Sed quia gerundio in talibus infinitivus substitui, salva sententia, poterat, eo pro infinitivo uti cœpere, ubi ellipsis talis esse non potest. Multa talia in omnibus linguis observare licet : adde dicta ad c. 47, et ad 13, 11. Ern. Gerund. *insectandi* ab *æmulatione* potius pendere cum Freinsh. mihi videtur. — * Sic et Wopkens.

Drusum fovebat. Fovere aliquem Tacitus dicit pro favere alicui. Sic infra c. 71, *si me potius, quam fortunam meam fovebatis.* Ern.

Avum M. Antonium. Tu, qui in historia tiro, hæc pete ex Tabula stirpis Augustæ, quam inserui fine librorum. Videbis autem, *avunculum* intellegi *proavunculum.* Lips.

Discessu Rom. Videtur esse de-

et tum æmulatione gloriæ, arma in se verterant. Vis nationum, virtus ducum in æquo : sed Maroboduum regis nomen invisum apud populares; Arminium, pro libertate bellantem, favor habebat.

XLV. Igitur non modo Cherusci sociique eorum, vetus Arminii miles, sumpsere bellum : sed e regno etiam Marobodui Suevæ gentes, Semnones ac Langobardi, defecere ad eum. Quibus additis, præpollebat, ni Inguio-

11. *Et tum æmulatione. Tum*, etc.

bere *decessu*. Nam Romani de Germania *decesserant*, non *discesserant*. Omnino exercitus dicitur *decedere*, cum relinquit provinciam, non *discedere*. Sæpe hæc verba confusa constat. *Decessus* est ap. Cic. Phil. 2, 38., et alibi. De usu talium ablativorum vid. Gron. ad Cic. Dom. 21, Suet. Aug. 13. Ern. Locus Cic. non bene huc trahitur. *Decedit* de provincia præfectus, qui eam successori relinquit; *discedit* loco, qui in alium se confert. Sic recte Crollius. Nil ergo mutandum. Interdum ea verba quoque promiscue usurpantur.

Vacui externo metu. Simile illi Sallustiano ap. A. Gell. 9, 12., *Postquam remoto metu punico simultates exercere vacuum fuit*. Lips. Muretus, qui e vet. libro laudat *vacue*, videtur voluisse, *vacuæ externo metu gentes, assuetudine, et tum æmulatione gloriæ*. Sed ita fuisse in unico MS. codice non puto. Gron. Cf. H. 2, 38.

Et tum. Vereor, ne τὸ *et* insititium sit, ortumque ex ultima et prima vicinorum verborum. *Tum* est præterea. Si *et* genuinum est, *tum* accipiendum pro *eo tempore*, quod non satis convenit. Dudum æmulatio inter istas gentes fuerat. Nisi quis malit cum Heinsio *tum et* : ita redundabit alterutrum. Ern. *Et tum*, temporis scil. bene se habet.

Invisum apud populares. Jure. Nam hic Maroboduus adolescens, Romæ benigne ab Augusto habitus, reversus ad suos, artes et servitutem intulit externas, de quo jucunda et necessaria scitu Strabo 7, p. 290. Ἐν ταύτῃ δὲ ἐστὶ καὶ ὁ Ἑρκύνιος δρυμὸς, καὶ τὰ τῶν Σουήνων ἔθνη. Τὰ μὲν οἰκοῦντα ἐντὸς τοῦ δρυμοῦ, καθάπου τὰ τῶν Κολδούλων (suspecta lectio). Ἐν οἷς ἐστὶ καὶ τὸ Βουιασμὸν, (forte *Boyhaimum* quasi Boiorum domus) τὸ τοῦ Μαροβόδου βασίλειον, εἰς ὃν ἐκεῖνος τόπον, ἄλλους τε μετανέστησε πλείους, καὶ δὲ τοὺς ὁμοεθνεῖς ἑαυτῷ Μαρκομάννους. Ἐπέστη γὰρ τοῖς πράγμασιν οὗτος ἐξ ἰδιώτου, μετὰ τὸν ἐκ Ῥώμης ἐπάνοδον. Νέος γὰρ ἦν ἐνθάδε καὶ εὐεργετεῖτο ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ. Ἐπανελθὼν δὲ ἐδυνάστευσε, καὶ κατεκτήσατο, πρὸς οἷς εἶπον, Λουίους (scribo Λυγίους) τὸ μέγα ἔθνος, καὶ Σούμους, καὶ Βούτονας (lege Γεύτονας) καὶ Μουγιλώνας, καὶ Ζιβινοὺς καὶ τῶν Σουήνων αὐτῶν μέγα ἔθνος Σέμνωνας. Ex his clara illa Taciti, quæ sequuntur; Maroboduum *Hercynia*

merus cum manu clientium ad Maroboduum perfugisset; non aliam ob caussam, quam quia fratris filio juveni patruus senex parere dedignabatur. Diriguntur acies, pari utrimque spe, nec, ut olim apud Germanos, vagis incursibus, aut disjectas per catervas : quippe, longa adversum nos militia, insueverant sequi signa, subsidiis firmari, dicta imperatorum accipere. At tunc Arminius, equo collustrans cuncta, ut quosque advectus erat, « Reciperatam libertatem, trucidatas legiones, spolia adhuc et tela Romanis derepta in manibus multorum, » ostentabat : « contra fugacem Maroboduum » adpellans, « proeliorum expertem, Hercyniæ latebris defensum, ac mox per dona et legationes petivisse fœdus; proditorem patriæ, satellitem Cæsaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quinctilium interfecerint. Meminissent modo tot proeliorum; quorum eventu, et ad postremum ejectis Romanis, satis probatum, penes utros summa belli fuerit. »

XLVI. Neque Maroboduus jactantia sui, aut probris in hostem abstinebat : sed Inguiomerum tenens,

latebris defensum; Cæsaris satellitem: magisque e Velleio 2, 108. Lips.

Clientium. Sic in cod. unico est : de quo genitivo sæpe dictum a criticis : nec video, quare ei *clientum* præferatur. Similis confusio ap. Sallust. Cat. 26, ubi v. Cortius, et ad c. 11. Ern.

Quia fratris filio juveni. Juvenili prorsus ætate res magnas gessit, deus illud Germaniæ. Varum fudit anno vigesimo sexto ætatis. Maroboduum nunc, anno trigesimo quinto. Facile collectu ex Tacito, qui eum triginta septem annos vitæ, duodecim imperii explesse scribit. Obiit autem anno 772, biennio post hanc pugnam. Lips.

Quia fratris. Segimeri. Vellei. 2, 118., *Juvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Segimeri, principis gentis ejus, filius, ardorem animi vultu, oculisque præferens, assiduus militiæ nostræ prioris comes, et jam civitatis Romanæ jus, equestremque consecutus gradum.* Gron.

Adversum. Sic cod. MS.

Tela Romanis direpta. Derepta Acidalius volebat. Recte. Sic etiam cod. MS. cf. ad 1, 20. Ern.

« Illo in corpore decus omne Cheruscorum, illius consiliis gesta, quæ prospere ceciderint, » testabatur : « vecordem Arminium, et rerum nescium, alienam gloriam in se trahere, quoniam tres vacuas legiones, et ducem fraudis ignarum, perfidia deceperit, magna cum clade Germaniæ et ignominia sua; cum conjunx, cum filius ejus servitium adhuc tolerent. At se, duodecim legionibus petitum, duce Tiberio, illibatam Germanorum gloriam servavisse. Mox conditionibus æquis discessum : neque pœnitere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversum Romanos bellum, an pacem incruentam malint. » His vocibus instinctos exercitus propriæ quoque caussæ stimulabant : cum a Cheruscis Langobardisque, pro antiquo decore, aut recenti libertate; et contra, augendæ dominationi certaretur. Non alias majore mole concursum, neque ambiguo magis eventu, fusis utrimque dextris cornibus. Sperabaturque rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset. Id

Vacuas legiones. Subit illud Cæsaris, *se ire ad exercitum sine duce, atque inde rediturum ad ducem sine exercitu.* Et hoc *vacuum* sæpe, carens præside, vindice, defensore, domino. Brutus ad Cic. fam. 11, 10., *Quantam perturbationem rerum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus injiciat vacuitas.* i. e. orba res publica. Hoc libro 76, *repeteret provinciam non jure ablatam et vacuam.* 12, 50., *vacuam rursus Armeniam Rhadamistus invasit.* Et sæpe. Ambrosius in Hegesippo 2, 17., *tanquam in vacuum populum omni injuriarum genere processit.* Sed additur, inquis, *ducem fraudis ignarum.* Respondeo, ideo *vacuæ legiones,* hoc est, sine duce, quia dux fraudis ignarus et improvidus : non enim cautor, ipse qui capitur. Gron. Adde ad 6, 34.—*Wopk. cum Freinsh. *non plenas.* Rob. Steph. in Thes. *otiosas.*

Conjunx . . . . filius. Thusnelda... Thumelicus. Cf. 1, 57. 58.

Discessum . . . . . neque pœnitere. Acidalius vult sic distingui : *Mox c. æ. discessum, neque pœnitere. quod* (id est, quoniam) *ips. i. s. sit* etc. Ego vulgatam distinctionem probo. Sensus est : Neque illud exiguum commodum est, quod nihil debent populares, quod perfici, ut liberum nobis sit, utrum pacem malimus sine bello, an bellum gerere, quod integra spe licet facere, quando nondum antea victi a Romanis sumus. Ern.

signum perculsi fuit : et transfugiis paullatim nudatus, in Marcomannos concessit, misitque legatos ad Tiberium, oraturos auxilia. Responsum est, « non jure eum adversus Cheruscos arma romana invocare, qui pugnantis in eundem hostem Romanos nulla ope juvisset. » Missus tamen Drusus, ut retulimus, pacis firmator.

XLVII. Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ nocturno motu terræ : quo improvisior gravioresque pestis fuit. Neque solitum in tali casu effugium subveniebat, in aperta prorumpendi, quia diductis ter-

Et transfugis paullatim nudatus. Subscribo Lipsio emendanti *transfugiis* (in margine), quem et Freinsh. secutus : *multi subinde ex ipsius partibus ad Arminium transfugerunt ; et sic cum vires suas decrescere, sequi paullatim copiis exui animadverteret.* H. 2, 34. *Crebris, ut in civili bello, transfugiis.* 3, 61. *Crebra transfugia tribunorum centurionumque.* Gron. Sic et Ryckius. Recte. Edd. Loca adlata suadent, ut in textum recipiatur emendatio.

Eodem anno. Terræmotus hujus mentio Plinio 2, 86. *Maximus terræ, memoria mortalium, exstitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis.* Bonum Orosium quam fugit ratio, qui 7, 4. hunc tremorem terræ ad tempus refert mortui nostri Servatoris? quod nos quidem scimus totis quatuordecim annis posterius fuisse. Scilicet egebant hoc fuco sacræ literæ. De eodem Strabo 12. p. 579. Καὶ τὰ περὶ Σίπυλον δὲ καὶ τὴν ἀναστροφὴν αὐτοῦ, οὐ δεῖ μῦθον τίθεσθαι. Καὶ γὰρ νῦν τὴν Μαγνησίαν, τὴν ὑπ' αὐτῷ, κατέβαλον σεισμοί· ἀνίνα καὶ Σάρδεις καὶ τῶν ἄλλων τὰς ἐπιφανεστάτας κατὰ σπολλὰ μέρη διελυμήναντο. Ἐπανέρθωσε δὲ ὁ ἡγεμὼν χρήματα ἐπιδούς, καθάπερ καὶ πρότερον ἐπὶ τῇ γενομένῃ συμφορᾷ Τραλλιανοῖς ὁ πατὴρ αὐτοῦ καὶ Λαοδικεῦσιν. Lips.

Duodecim. At tredecim eas facit Eusebius in Chronico, sed nominibus valde corruptis. *Tredecim urbes terræmotu corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardis, Mosthene, Megæchyero, Cæsarea, Philadelphia, Himolus, Temis, Cumæ, Myrrhina, Apollonia, Diahircania.* Emendabis *Mosthene, Ægæ, Hierocæsarea, Philadelphia, Tmolus, Temnus, Cumæ, Myrina, Apollonia, Hyrcania.* Lips. Vocem *Dia* in ultimo oppidorum nomine corrigendo neglexere Scaliger et Lipsius. Lege *Apollonidea*, ut est in marmore Puteolano, unde mox *Apollonidenses.*

In aperta prorumpendi. Vide ad c. 43. neque enim hunc genitivum puto ab *effugium* regi. *Prorumpere in aperta* est effugium ipsum. Si Tacitus brevitatis ubique retinens esset, posses hæc verba de glossa suspecta habere. Nam quis non per se intelli-

ris hauriebantur. « Sedisse immensos montes : visa in arduo, quæ plana fuerint : effulsisse inter ruinam ignis, » memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit. Nam centies sestertium pollicitus Cæsar, et, quantum ærario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo

git, solitum effugium in tali casu esse, ut in aperta homines prorumpant. Atque aliquando valde proclivis in hanc partem fui. Sed non sibi in brevitate adhibenda ubique constat Tacitus. Et quis in hoc satis cautus esse potest? quis non subinde, quamvis diligens, in scribendo negligit legem, quam sibi ipse fecit? Adde ad 16, 15. Ern.

Sedisse immensos montes. Imitatur Sallustium, in cujus fragm. hist. et *tumuli sedere* p. 1003. ubi Cortius laudat Heins. et Drakenb. ad Silium 6, 647. Ern.

Visa in arduo. Heinsius l. c. conjiciebat : *enisa in arduum*; quod durius, præsertim in tali oratione, puto. Ern. Apage hunc emendandi pruritum. Perspicua sunt Taciti verba. —* Sic et Wopk.

Asperrima in Sardianos lues. Bianoris epigramma in hanc rem est l. 1. Anthologiæ :

Σάρδιες αἱ τοπάλαι Γυγου πόλις, αἵ τ' Ἀλυάττου
Σάρδιες, αἷς βασίλει Περσὶς ἐν Ἀσιάδι,
Αἱ χρυσῷ τὸ παλαιὸν ἐπλινθώσασθε μέλαθρον,
Ὄλβον Πακτωλοῦ ῥεύματι δεξάμεναι·
Νῦν δὲ ὅλαι δύστηνοι, ἐς ἓν κακὸν ἁρπασθεῖσαι,
Ἐς βυθὸν ἐξ ἀχανοῦς χάσματος ἐρίπετε
Βούρᾳ κ' ἶσ' Ἑλίκῃ κεκλωσμένα, αἱ δ' ἐνὶ χέρσῳ.
Σάρδιες ἐμβυθίαις εἰς ἓν ἔκεισθε τέλος. Lips.

Pace Lipsii emendatum epigramma dedi ex editione Brunkii Anal. t. 2. p. 157.

Lues. Pestis, pernicies. Gloss. vett. λύμη, *lues*, *labes*. Sed *labes* pro peste et pernicie dicitur, unde *labes perniciesque* junguntur apud Cicer. Verr. 1, 1. item *labes et flamma rei publ.* pro domo 1. *labes et ruina innocentiæ*. pro Flacc. 10. Itaque non opus est conjicere *labes*, quæ etiam pro ruina dicitur. Cic. de Div. 1, 43. *labes agri Privernatis*, permutaturque cum *lues* in libris ap. Liv. 21, 36. Ern. In Livio non *labes* cum *lues*, sed *tabes* cum *labes* permutatur.

Magnetes a Sipylo. Strabo 13. p. 621. Οὐκ ἄποθεν δὲ τούτων τῶν πόλεων, οὐδ' ἡ Μαγνησία ἐστὶν ἡ ὑπὸ Σιπύλῳ, ἐλευθέρα πόλις ὑπὸ Ῥωμαίων κεκριμένη. Καὶ ταύτην δὲ ἐκάκωσαν οἱ νεωστὶ γενόμενοι σεισμοί. Scitum jam autem duas Magnesias esse, a Sipylo et a Mæandro. Tiberiani numi exstant, monumentum benivolentiæ et liberalitatis in afflictas urbes, quibus inscriptum : CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. Lips. ΜΑΓΝΗΣΙΑΝ ΑΠΟ ΣΙΠΥΛΟΥ e numis laudat Ryckius. Adde Spanh. de Us. et Pr. Num. Diss. 9. t. 1. p. 656. Sic vocat etiam Plin. H. N. 5, 31. et sic habent libri

proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægeatas, Apollonidenses, quique Mosteni ac Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocæsaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, mittique ex senatu placuit, qui præsentia spectaret refoveretque. Delectus est M. Aletus e prætoriis, ne, consulari obtinente Asiam, æmulatio inter pares et ex eo impedimentum oriretur.

quidam ap. Liv. 37, 44. ubi v. Drakenb. et Harduin. ad Plin. l. c. Ern.

Temnios. Urbs ipsa Temnus Straboni l. c. Lips. Et Plinio 5, 32. et in marmore.

Apollonienses. Apollonidenses s. *Apollonidienses* verum nomen est, ut sæpe vocat Cicero pro Flacco 29. 32. et alii, ubi similiter libri quidam *Apollonienses*. V. ibi interpretes. *Apollodinem* urbem vocat idem Cic. l. c. c. 21. add. Cellar. G. A. t. 2. p. 117. Ern.

Quique Mosceni. Verius *Mosteni*, quo nomine urbs Lydiæ. Lips. Nam Græci vocant Μοστηνοὶ urbem Μοστήνη, in libris, numis etc. Atque sic est etiam, teste J. Gronovio, in cod. scr. e quo hi libri editi: sic ediderè Beroaldus, Alciatus, Aldus. Itaque non dubitavi recipere hanc scripturam. *Mosceni* primus Rhenanus, vitio operarum, ut opinor. Ern. Eusebius in Chron. et Nicephor. 1, 17. habent Μοσθάνη; sed numi præferunt ΜΟΣΤΗΝΩΝ ΑΤΔΩΝ. Vid. Eckhel. l. c. p. 169. Marmor quoque Puteol. habet ΜΟΣΤΗΝΗ.

Aut Maced. Hyrc. Freinsh. τὸ *aut* copulative capit, dictum pro *et*; sed non probat. Ryckius legi vult *et*: malim *ac*: quod centies cum *aut* confunditur in MSS. Distincti quidem a Mostenis sunt Macedones Hyrcani, et h. l. distingui debent: alioqui numerus duodecim urbium non efficitur. Cellarius l. c. p. 115. τὸ *aut* sic explicat: prope eosdem fuisse, aut ita vicinos et permistos, ut ægre discernerentur, quamvis oppida distincta tenerent. Ern. Marmor Puteol. quatuordecim deas urbium totidem præsides exhibet, nominibus subscriptis, in quibus Ephesus, Mostene, Hyrcania, Cibyra quoque, cujus terræ motu labefactatæ meminit noster 4, 13. Parum abest, quin hunc Taciti locum corruptum judicem. Vix enim credibile, Ephesi fatum Tacito fuisse ignotum. Forsan numerus tredecim vel quatuordecim siglis expressus errori ansam dedit; Ephesi nomen, forsan et Cibyræ, excidisse puto. *Ac* rectius quam *aut* sine dubio.

Tmolum. Etiam ab Eusebio *Tmolus* in urbibus terræ motu afflictis ponitur; item in marmore Neapolitano, quæ basis colossi Tiberiani fuit. Memoratur eadem urbs Herodoto 1, 84. Unde merito Cellarius rejicit Freinshemium, ob silentium Strabonis de hac urbe dubitantem. l. c. p. 112. Ern. Scrupulum optimo viro exemisset inspectio marmoris, quod male hic Neapolitanum dicitur, si

XLVIII. Magnificam in publicum largitionem auxit Cæsar haud minus grata liberalitate, quod bona Æmiliæ Musæ, locupletis intestatæ, petita in fiscum, Æmilio Lepido, cujus e domo videbatur, et Patulei divitis equitis romani hereditatem, quamquam ipse heres in parte legeretur, tradidit M. Servilio, quem prioribus, neque suspectis, tabulis scriptum compererat; « nobilitatem utriusque pecunia juvandam, » præfatus. Neque hereditatem cujusquam adiit, nisi cum amicitia meruisset. Ignotos et aliis infensos, eoque principem nuncupantes, procul arcebat. Ceterum, ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos et ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Ap-

vixisset diutius. Erectum id a. U. 783. detectum est a. 1693. Puteolis, ubi hodieque conspicitur. Freinsh. autem obierat a. 1660. Plura dabit L. Th. Gronov. in Diss. 8. L. B. 1720. inserta Th. A. Gr. t. 7. et Bulifo de rebus Puteol.

Magnif. in publ. etc. Videtur dicere debuisse *auxit C. privata liberalitate*. Sed talium negligens Tacitus est. Intelligi potest *alia :* quod in tali contextu sæpe omittitur. Ern.

Bona Æmiliæ Musæ. In tenebroso loco collineabo ad scopum et nescio an tangam. Æmiliam hanc Musam libertam fuisse, id primum pono; argumento cognominis Græci, quod scio notam servitutis. Ideo in Tacito legerim, *Musæ L. locupletis*, id est, libertæ locupletis, usitata formula scribendi. Sed cur, inquies, bona ejus petita in fiscum? cur non data patrono patronisve, uti lex jubet? Julianus ait lege 23. D. de bon. libert. *Si libertus intestato decesserit, patronum aut filium nepotemve ejus ad successionem vocari, indubitatum est.* (Verba Juliani, heic in compendium acta, paullo aliter sonant). Ulpianus ait lege 3. D. de suis et leg. her. *Liberto intestato mortuo, primum suis deferri hereditatem verum est : si hi non fuerint, tunc patrono.* Hæc si vera : quis locus potuit esse fisco? An forte nec suus heres huic Musæ, nec patronus super quisquam fuit? Tale aliquid elicias ex Taciti verbis, dum ait, *Lepido concessit, cujus e domo videbatur* : quasi ambiguum de domo patronoque fuisset. Erant autem non Romæ solum, sed et in provinciis procuratores sive rationales, qui bona ejusmodi caduca legerent tollerentque. Strabo de Ægypto 17. p. 797. Ἄλλος δ' ἐστὶν ὁ προσαγορευόμενος ἴδιος λόγος, ἐκ τῶν ἀδεσπότων καὶ τῶν εἰς Καίσαρα φέροντων ὀφειλόντων ἐξεταστὴς ὢν. Lips.

Nisi cum amicitia meruisset. Nisi cum, vel quoties, inquit Tacitus, ab eo scribebatur hæres, a quo id

pium Appianum, Cornelium Sullam, Q. Vitellium movit senatu, aut sponte cedere passus est.

XLIX. Iisdem temporibus Deum ædes, vetustate aut igni abolitas, cœptasque ab Augusto dedicavit, Libero Liberæque et Cereri juxta circum maximum, quem A. Postumius dictator voverat: eodemque in loco ædem Floræ, ab Lucio et Marco Publiciis, ædilibus, constitutam: et Jano templum, quod apud forum olitorium C. Duillius struxerat, qui primus rem romanam

amicitia, hoc est, familiaritate aut beneficiis *meruisset*. Nihil sollicitandum. GRON.

Q. Vitellium. Suetonius in Vitellio 2. satis obscure: *Quintus caruit ordine, cum auctore Tiberio secerni minus idoneos senatores removerique placuisset.* LIPS.

L. Liberæque et Cereri. Male interpunctione divelluntur. Omnibus enim his tribus templum commune fieri solebat, ut patet e Cic. Verrinis, et monet Lips. in not. seq. ERN.

Quæ A. Postumius dictator. Emendo, *quam*. His enim tribus unum templum. A solo Dionysio copiosa lux huic loco 6, 94. de A. Postumio: Ἀπὸ δὲ τῶν λαφύρων ἐξελόμενος τὰς δεκάτας, ἀγῶνά τε καὶ θυσίας τοῖς θεοῖς ἐποίει καὶ ναοῦ κατασκευὰς ἐξεπέδωσε Δήμητρι καὶ Διονύσῳ καὶ Κόρῃ κατ' εὐχήν. Vovit igitur A. Postumius, sed dedicavit C. Cassius consul. Idem Dionysius, fine ejusce libri: Κάσσιος δὲ ὁ ὕπατος τῶν ὑπάτων, ὁ καταλειφθεὶς ἐν τῇ Ῥώμῃ, τόν τε νεὼν τῆς Δήμητρος καὶ Διονύσου καὶ Κόρης ἐν τῷ μεταξὺ χρόνῳ καθιέρωσεν, ὃς ἐστιν ἐπὶ τοῖς τοῦ μεγίστου ἐπανοδρόμου τέρμασιν, ὑπὲρ αὐτὰς ἱδρυμένης τὰς ἀφέσεις· εὐξαμένου μὲν αὐτὸν Αὔλου Ποστουμίου τοῦ δικτάτωρος. Est autem Liber, Bacchus: Libera, soror ejus Proserpina, nati ex Cerere uterque. Ideo ordo decentior in Dionysio, qui matrem religiose ubique præponit, quam in nostro, qui posthabuit. Libera autem alias Cora. Lapis Romæ, DEO. BACCHO. CERRERI. ET. CORAE. SACRATAE. APVD. ARGINAM. Estque eadem cum Proserpina. E Solino tolli velim glossema 5, 15. *Quem propter est demersum foramen, quo Ditem patrem ad raptus Proserpinæ libere exeuntem fama est in lucem ausum.* Scribe, *ad raptus Liberæ exeuntem, et fama est lucem hausum.* Adde Livii locum 3, 55. *Familia ad ædem Cereris Liberi Liberæque venum iret.* LIPS. Nempe librarii aut correctores putarunt, referri ad *ædes*. Sed *ædes* pertinent etiam ad sequentia templa, Floræ, Jani. ERN. De Libero Liberaque ex Cerere natis v. Cic. N. D. 2, 24. De æde istis numinibus communi v. Liv. 41, 28.

Publiciis, ædilibus. Sed plebis, ut tradunt Varro 4, 32. et Festus in Publiciis. Vid. in pr. Ovid. Fast. 5, 285 sqq. et ibi Neapolim. ERN.

C. Duillius. Ædes Jani ad infimum Argiletum in foro Olitorio fuit; et structam volunt Livius 1, 19. atque

prospere mari gessit, triumphumque navalem de Pœnis meruit. Spei ædes a Germanico sacratur : hanc Atilius voverat eodem bello.

L. Adolescebat interea lex majestatis : et Apuleiam Variliam, sororis Augusti neptem, quia probrosis sermonibus D. Augustum ac Tiberium et matrem ejus illusisset, Cæsarique connexa adulterio teneretur, majestatis delator arcessebat. « De adulterio satis caveri lege Julia, » visum : « majestatis crimen distingui, » Cæsar postulavit; « damnarique, si qua de Augusto irreligiose dixisset : in se jacta nolle ad cognitionem vocari. » Interrogatus a consule, « quid de his censeret, quæ de matre ejus locuta secus argueretur, » reticuit : dein, proximo senatus die, illius quoque nomine oravit,

alii a Numa. An aliud ab illo templum noster igitur intellegit? an restitutum, aut amplius structum a Duillio fuit? Hoc putem. Lips. Immo aliud. Nam in illo Numæ, quod signum pacis et belli, instaurando mediocris liberalitas : neque id structum a Duillio dici poterat. Doctissimi sæpe viri confuderunt illam ædiculam Jani, a Numa institutam, quam describit Procopius in Goth. 1, 25. cujusque species exhibetur in numo Augusti ap. Masson. in Jano Christo nascente reserato p. 97. 66. cum aliis templis, in honorem Jani structis, quæ ceteris templis similia fuere. Ern. De Duillio notus titulus columnæ rostratæ.

Spei ædes. Cicero 2, 11., de Legibus : *Recte etiam a Calatino Spes consecrata est.* Livius 21, 62. *Ædem Spei, quæ in foro olitorio est, fulmine ictam.* Lips.

Sororis Augusti neptem. Utrius sororis? Octaviæ majoris, an minoris? Sane de minoris liberis aut conjugio, nihil legi : si majoris, oportet aliquam Marcellarum (duæ fuerunt) nuptam in gentem Apuleiam, et liberos habuisse. Facit, quod Dio duobus locis 54, 30, et 56, 29. *Sext. Apuleium*, qui consul fuit in Augusti morte, cum συγγενῆ Αὐγούστου appellat. Lips.

Cæsarique connexa. Duplex crimen in hac inscriptione majestatis. Prius, convitia in principes : alterum, adulterium. Quomodo istud? quia, inquit, *Cæsari connexa.* Est enim interpretatio ab ipso Augusto petita, *qui culpam inter viros ac fœminas vulgatam* (noster 3, 24.) *gravi nomine, læsarum religionum ac violatæ majestatis adpellabat.* Ita nunc igitur delitor majestatis arcessit, quia cognata Cæsari. Lips.

In se jacta etc. Sic et Dio 57, 9. Contra tamen vide apud eundem 58, 24.

Locuta secus. Maligne, irreverenter. Sic et Val. Max. 9, 11, 2.

« ne cui verba, in eam quoquo modo habita, crimini forent. » Liberavitque Apuleiam lege majestatis : adulterii graviorem pœnam deprecatus, « ut, exemplo majorum, propinquis suis ultra ducentesimum lapidem removeretur, » suasit. Adultero, Manlio, Italia atque Africa interdictum est.

LI. De prætore, in locum Vipsanii Galli, quem mors absstulerat, subrogando, certamen incessit. Germanicus atque Drusus (nam etiam tum Romæ erant) Haterium Agrippam, propinquum Germanici, fovebant : contra plerique nitebantur, ut numerus liberorum in candida-

Graviorem pœnam. De hoc loco, et pœna legitima adulterii, dicendum mihi infra 4, 42. Lips.

Propinquis suis. Id est a propinquis. Amat ita loqui noster, ut 6, 41. *Cæterasque urbes, quæ Macedonibus sitæ Græca vocabula usurpant.* Sueton. Aug. 1. *Et ostendebatur ara Octavio consecrata.* Id est, ab Octavio : nec crede cum interpretibus, rudi illo et ignaro adulandi ævo Octavio ipsi sacratam aram. Quod ait, *exemplo majorum* : satis notum est, ex lege Romuli uxorem ita fuisse in manu viri, ut de crimine ejus omni cum propinquis cognosceret statueretque. Dionysius auctor 2, 25. et Cato ap. Gell. 10, 23., *Vir cum divortium fecit, mulieri judex procensor est : imperium quod videtur habet. Siquid perverse tetreque factum est a muliere, multatur : si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid fecit, condemnatur.* Livius 39, 18. *Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant, ut ipsi in privato animadverterent : si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur.* Suetonius Tib. 35. *Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui, more majorum, de communi sententia coercerent, auctor fuit.* Tacitus 13, 32. *Plautius, prisco instituto, propinquis coram, de capite famaque conjugis cognovit, et insontem nuntiavit.* Adi et Valerium 6, 3. Lips. In loco Catonis lege : *mulieri* judex *pro censore est.*

Haterium Agrippam. Est is, qui supra 1, 77. tribunus plebis fuit : *Intercessit Haterius Agrippa tribunus plebei, increpitusque est Asinii Galli oratione.* De propinquitate, nihil mihi compertum. Lips.

Ut numerus liberorum. Non ergo prorsus libera comitia illa patrum, sed devincta lege. Legem quam intelligit, est Papia, quæ in magistratu et sorte provinciarum prætulit improbis eos, quibus proles. Noster 15, 19., *Percrebuerat ea tempestate gravissimus mos, cum, propinquis comitiis aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios : præturasque et provincias inter patres sortiti, statim*

tis præpolleret, quod lex jubebat. Lætabatur Tiberius, cum inter filios ejus et leges senatus disceptaret. Victa est sine dubio lex; sed neque statim et paucis suffragiis: quomodo, etiam cum valerent, leges vincebantur.

LII. Eodem anno cœptum in Africa bellum, duce hostium Tacfarinate. Is natione Numida in castris romanis auxiliaria stipendia meritus, mox desertor, vagos primum et latrociniis suetos ad prædam et raptus congregare: dein, more militiæ, per vexilla et turmas componere: postremo non inconditæ turbæ, sed Musulanorum dux haberi. Valida ea gens et solitudinibus Africæ propinqua, nullo etiam tum urbium cultu, cepit arma, Maurosque accolas in bellum traxit. Dux et his Mazippa. Divisusque exercitus; ut Tacfarinas lectos viros, et romanum in modum armatos, castris adtineret, disciplina et imperiis suesceret: Mazippa levi cum

emitterent manu quos adoptaverant. ubi clare de præturis, ut hic. Simile in tribunatu. Plinius 7, ep. 16. *Calestrium Tironem familiarissime diligo. Ille me in tribunatu liberorum jure præcessit: ego illum in prætura sum consecutus, quum mihi Cæsar annum remisisset.* Lips.

Auxiliaria stipendia meritus. Sic edidere Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus, et Gryph. quod post J. Gronov. restitui. *Auxiliariis* non est e codice scripto, nec commode dicuntur *auxiliaria castra romana. Auxiliaris*, quod jam edidit Lipsius, est e conjectura: neque satis commodum videtur. Dixisset potius *inter auxiliares.* Ern.

Musulanorum dux. Ptolemæus 4, 3., vocat Μισουλάμους; Plinius 5, 4. Misulamos. Lips. Unde Ryckius et Pichena *Musulamorum* scribendum putant, ut est 4, 24. Sed etiam ap. Plin. codd. Harduino laudati habent *Musulanos*: ut dubium esse possit, utrum hic vera Taciti manus exhibeatur, an 4, 24. Ern. Pone Cirtam ad austrum sub Audo monte eam gentem locat Ptolemæus; magis ad occasum noster, Mauris propinquos. Ad nominis rationem facit, quod et in ora Mauretaniæ maritima Musulubium Horrea occurrit.

Nullo etiam tum. Vide ad c. 26.

Disciplina et imperiis suescere. Pichena haud scio an jure mutaverit in *disciplinæ*, quo casu alibi Tacitus utitur: nam cur non liceat variare Tacito, et eidem verbo nunc hoc, nunc alio flexu nomen jungere? juxta autem bonum et latinum *disciplinæ suescere.* Vide ad Liv. 31, 35. Gron.

copia incendia et cædes et terrorem circumferret. Compulerantque Cinithios, haud spernendam nationem, in eadem; cum Furius Camillus, proconsul Africæ, legionem, et quod sub signis sociorum, in unum conductos, ad hostem duxit: modicam manum, si multitudinem Numidarum atque Maurorum spectares: sed nihil æque cavebatur, quam ne bellum metu eluderent. Spe victoriæ inducti sunt, ut vincerentur. Igitur legio medio, leves

Cinithios. Plinio 5, 4., dicti videntur Ethini. Lips. Ptolemæus etiam habet Κιννθίους 4, 3., ut monuere docti viri. Aurelius tamen volebat *Cinyphios*, quod placebat etiam Vlitio ad Gratii Cyneg. 34. Ern. Cinyphii ad Syrtim positi nimis longe abesse videntur.

Proconsul Africæ. MS.: codex *proconsule*, unde receptum a J. F. Gron. qui etiam sic laudat ad Liv. 26, 33., cum edd. vett. habeant *proconsul*, quod et servavit Ryckius. Et sæpe a librariis τῷ *pro consule* substitutum *proconsul*. Idque restitutum a viris doctis, in primis apud Livium, ad quem passim de hac re egere Gron. et Drak. Sed in omnibus locis, ubi *pro consule* recte restitutum reperi, ponitur absolute: non cum genitivo provinciæ: ut nec dicimus *jus pro consule* et similia, sed *proconsulis*: Igitur h. l. dum alia idoneo exempla proferantur, melius putabo *proconsul*, præsertim cum aliis in locis Taciti sic sit, ubi provinciæ nomen additur, ut 13, 1. 16, 18. item ubi alius genitivus ut 14, 46., *Proconsulem ipsius*: nisi quis *Africæ* spurium putare velit: quod sane hic redundat et per se intelligitur, Africæ proconsulem Camillum fuisse. Ern.

In unum conductos. Heinsius non credebat Tacitum scripsisse *conductos... duxit*: sed *condictos* vel *coactos*. Propius ad vulgatam scripturam accedit: *contractos*. *In unum contrahere* est formula usitata Livio 7, 25. 26, 42. 44, 7. etc. *Perseus, contractis in unum omnibus copiis ducibusque etc.* Sed *in unum conducere* est etiam 4, 47. et in talibus interdum optimi scriptores sunt negligentiores, ut demonstravi in diatriba de grata neglig. or. Cicer. pro Archia 11. *in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt.* Ern. — * Exempla talis cacophoniæ collegit Wopk. ex. c. 62., item Val. Max. 6, 5. Cæs. B. Gall. 7, 65.; Liv. 41, 20. Cic. Tusc. 5, 10. Sall. Cat. 1.

Duxit: modicam m. Colon pro puncto feci, quod est in Lips. Gron. etc. Rectius B. Rhenanus et alii antiquiores. Ern. Lips. prima a. 1574. semicolon habet.

Metu eluderent. Optime: id est, ne metu Romanorum virium traherent bellum, nulla copia pugnæ. Assidet huic illud Claudiani De laudib. Stilic. 1, 340. ....*res mira relatu: Ne timeare, times; et quem vindicta manebat, Desperare vetas.* Rhenanus tamen *astu* maluit. Lips.

cohortes duæque alæ in cornibus locantur. Nec Tacfarinas pugnam detrectavit. Fusi Numidæ, multosque post annos Furio nomini partum decus militiæ. Nam post illum reciperatorem urbis, filiumque ejus Camillum, penes alias familias imperatoria laus fuerat. Atque hic, quem memoramus, bellorum expers habebatur. Eo promior Tiberius res gestas apud senatum celebravit: et decrevere patres triumphalia insignia: quod Camillo, ob modestiam vitæ, impune fuit.

LIII. Sequens annus Tiberium tertio, Germanicum iterum consules habuit. Sed cum honorem Germanicus iniit apud urbem Achaiæ Nicopolim, quo venerat per Illyricam oram, viso fratre Druso, in Dalmatia agente, Hadriatici ac mox Ionii maris adversam navigationem perpessus. Igitur paucos dies insumpsit reficiendæ classi: simul sinus, Actiaca victoria inclytos, et sacratas ab Augusto manubias castraque Antonii, cum recordatio-

Nam post illum. Tamen ex eadem gente duo adhuc triumphi notantur, alter P. Furii de Galleis, anno 530. alter L. Furii Purpureonis de hisdem Galleis a. 553. Hujus autem Camilli, de quo nunc, filius credo fuit, qui imperium temporibus Claudii frustra sibi vindicavit. Lips. De armis a Camillo motis v. 12, 52. Quod de aliis familiis habet noster, id adcurate; nam prior Furius e Philorum familia fuit.

Memoramus. Sic MS. teste J. Gronovio, quod, haud dubie h. l. aptius, restituimus. Edd. *memoravimus.* Ern.

Ob modestiam vitæ. Quod ita vixerat semper, ut adpareret, eum excellere atque eminere nolle, mediocri fama contentum. Nam ab tali nihil periculi principi. *Quietem* vocat 14, 47. Ern.

Tib. tertio. Vide Ryckium.

Achaiæ Nicopolim. Bene late *Achaiæ* nomen sumit, non pro Græcia solum (quod adnotavimus ad 1, 76.) sed pro Epiro, ubi sane hæc urbs est, ab Augusto structa ad Ambracium sinum: monumentum scilicet victoriæ Actiacæ. Credo ideo, quia illo ævo tota hæc regio uni præsidi permissa, ideoque et nomine uno dicta. Lips. In Antonini itin. Actia Nicopolis salutatur.

Dalmatia. Codex scr. *Delmatia*, ut sæpe in numis, inscriptionibus et libris latinis et græcis: nam variant monumenta, v. Cellar. G. A. t. 1. p. 490. Burm. ad Sueton. Aug. 20. Cetera scripturam codicis secutus sum.

Sacratas Augusto manubias. Intelligo, cum Mureto, templum Apollini structum e manubiis, ut mos

ne majorum suorum, adiit. Namque ei, ut memoravi, avunculus Augustus, avus Antonius erant, magnaque illic imago tristium lætorumque. Hinc ventum Athenas, fœderique sociæ et vetustæ urbis datum, ut uno lictore uteretur. Excepere Græci quæsitissimis honoribus, vetera suorum facta dictaque præferentes, quo plus dignationis adulatio haberet.

LIV. Petita inde Euboea, tramisit Lesbum: ubi Agrippina novissimo partu Juliam edidit. Tum extrema Asiæ,

imperatorum in vetere re publ. V. Clav. Cic. in *manub.* Ern.

Imago tristium lætorumque. Tristium, si Antonium spectaret; lætorum, si Augustum. Et ipse ab utroque, in utrumque affectus. Lips.

Uno lictore uteretur. Vim terroremque imperii romani ostendebant lictores, secures, fasces. Ideo cum, adempto illo metu magistratus quasi ad amicos agere volebant, removebant insignia potestatis. Sic Antonio olim in eadem urbe ait Appianus Civ. 5, 76. Ἔξοδοι ἦσαν ἄνευ σημείων αὐτῷ σὺν δύο φίλοις καὶ σὺν ἀκολούθοις δύο, εἰς διδασκάλων διατριβὰς ἢ ἀκροάσεις. Et Tiberius Rhodi: *genus vitæ admodum civile instituit, sine lictore aut viatore gymnasia interdum obambulans.* Sueton. 11. Lips.

Vetera s. f. d. præferentes. Per *vetera dicta et facta suorum*, intelligo, quicquid majores in primis fortiter fecissent, ut ad Marathona, Salamina etc., illustriores viri magnifice dixissent: unde appareret primo, se non esse eos, quos deceret, aut qui solerent humiliter adulari, deinde honorem a se habitum non spernendum esse. *Præferentes* suspicatus sum olim corruptum. Tacitum conjeci scripsisse: *præfantes*, hoc sensu: in honoribus habendis præfatione usi sunt, ducta a majorum suorum factis ac dictis: quales præfationes, etiamsi aliunde ductæ, sunt in decretis civitatum veteribus, ut omnes sciunt, qui talia tractarunt. Ac, ne participium hoc offendat, cum elegantius fuisset *præfati*, etiam Livius eo usus est 5, 41., *Pontifice maximo præfante carmen.* Catullus de nupt. Pel. et Thet. 383., *talia præfantes* etc. Infra 3, 22. pro *proferenda* J. Gron. malebat *profanda* e scriptura cod. *profenda.* Noster 12, 22., *multa de claritudine ejus præfatus.* Sed vulgatum verum est, *præferentes* significat commemorantes. In animo habuit locum Livii 37, 37., de Iliensibus: *Iliensibus, in omni rerum verborumque honore, oriundos ab se Romanos, præferentibus.* Ern. Cum jactatione commemorantes. Cui hoc minus arriserit, legat cum Hillero Racem. 25 et 26., *proferentes.* Eam is lectionem suffulcit ex A. 3, 22 et 37. maximeque ex Cic. de Inv. 2, 35., *Majorum suorum beneficia, si qua exstabunt, proferre.*

Ubi Agrippina. Eo facit numus a Mytilenensibus in ejus honorem cusus, de quo Spanh. de U. et P. N.

Perinthumque ac Byzantium, Thracias urbes, mox Propontidis angustias et os Ponticum intrat, cupidine veteres locos et fama celebratos noscendi; pariterque provincias, internis certaminibus aut magistratuum injuriis fessas, refovebat: atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem, obvii aquilones depulere.

t. 2, p. 277 et 490., et Eckhel. Doctr. NN. vol. 6, p. 214.

Internis certaminibus, aut magistratuum injuriis. Cicero ad Q. fr. 1, 1, 8. Idem Lib. 3. fam. ep. 1. *Ego autem, cum hoc suscepissem, non justitia, sed etiam misericordia adductus, ut levarem miseriis perditas civitates, et perditas maxime per magistratus suos, non potui in illo sumptu non necessario negligens esse.* Et ad Att. 6, 2. *Mirabilia quædam effecimus: ita multæ civitates omni ære alieno liberatæ, multæ valde levatæ sunt: omnes suis legibus, et judiciis usæ, αὐτονομίαν adeptæ, revixerunt etc. Mira erant in civitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus sui fecerant; quæsivi ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant: aperte fatebantur. Itaque sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt.* Quanquam et vox *magistratuum* Roma missos complecti possit. Item ad Att. 5, 20. *Laodiceam pridie Kal. Sext. venimus, ibi morati biduum, perillustres fuimus, honorificisque verbis omnis injurias revellimus superiores.* Gron.

Sacra Samothracum. Samothracia insula non eadem cum Imbrasia, ut censet Musarum decus: nec Imbrasus fluvius sive Parthenius in hac, sed in Ionica Samo, quæ ideo Parthenias dicta, ut discimus ex Strabone 10, p. 457. Plinio 5, 37. et Hygino fab. 14. Eustathius ad Il. N. 12. Ἡ δὲ Θρᾳκία Σάμος λέγεται, καὶ Σαμοθράκη συνθέτως. Καλεῖται καὶ οὕτω πρὸς διαστολὴν τῆς ἑτέρας Σάμου, τῆς Ἰωνικῆς. Immo tres distinctæ Sami, de quibus docte noster Ortelius in Thes. Geogr. Ideo firmanda in Varrone prisca lectio L. I. 4, 10. *Terra et cœlum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni, et hi, quos dixi, multeis nominibus. Nam neque quos Samothracia* (non *Ambracia*, aut *Imbrasia*,) *ante portas statuit duos virileis species ahenas, dei magni: neque, ut volgus putat, hi Samothraces dii, qui Castor et Pollux: sed hi mas et femina, et hi, quos augurum libri scriptos habent sic divi potes: et sunt pro illeis, qui in Samothrace* Θεοὶ δυνατοί. Initia quæ Varro dicit, sunt hæc sacra, de quibus noster, sacra religiosa in primis etiam apud Romanos. Ideo Juven. 3, 144... *jurat licet et Samothracum Et nostrorum aras.* Suidas: Ἐν Σαμοθράκῃ ἱεραὶ τελεταί τινες, ἃς ἐδέξουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακον κινδύνων τινῶν. Ἦν δὲ ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια, καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης. Propter religionem loci confugiebant illuc olim nocentes, ut colliges ex l. 2. Anthologiæ, p. 209, et facto Persei Macedonum regis apud Livium 45, 5. 6. Adde Straboneam 10, p. 470. Lips. De sacris Samo-

Igitur ab Ilio, quæque ibi varietate fortunæ et nostri origine veneranda, relegit Asiam, adpellitque Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina

thracum adde Diodorum Sic. 5, 47. Ern.

Igitur aliaque. Turbatus locus, aut mutilus. Si turbatus tantum, sic reponito. *Atque illum in regressu sacra Samothracum visere nitentem, aliaque quæ ibi varietate fortunæ et origine nostri veneranda, obvii Aquilones depulere. Igitur relegit Asiam.* Sed quæ varietas fortunæ aut origo Romanorum in Samothrace? Principium Trojanæ gentis inde: a Trojanis autem Romani. Dionysius 1, 68. Dardanum facit in hanc insulam venisse, quæ tunc Melane dicta; et pulsum inde sterilitate soli devenisse ea Phrygiæ loca, ubi post Troja. Ideo olim Dardania dicta Samothrace, ut Plinius auctor 4, 23. Bene ergo, *origine nostri*. Sed et Varro 2. Humanarum, *Dardanum deos penates ex Samothrace in Phrygiam, Æneam ex Phrygia Italiam advexisse*, tradidit. Et quædam huic rei suggeret Servius, in illud vatis magni Æn. 3, 96.... *antiquam exquirite matrem*. Varietatem fortunæ vel ad Dardanum refer; vel ad Romanos, qui ex tam parvis magni. Fieri tamen potest, ut mutilus locus sit, fueritque aliquid de Ilio etiam insertum, fonte non dubio Romulæ gentis. Lips. Subscribo uni Freinshemio, cujus ipsa prorsus conjectura olim et mihi nata est: ut pro *aliaque quæ* sit *Ilio quæque*. Intelligimus Trojæ reliquias conspectas Germanico, non quum transiret angustias Hellesponti, et ad Τροίας Πόντου properaret, ut vult Salmerius (etsi præter ea *extrema Asiæ* a Lesbo conscendenti brevis cursus Sestos et ad Europæum Hellesponti ac Propontidis latus fuerit), sed regresso, cum et alia superiora lateris Asiatici eum prælegisse otiosum credibile est. Ibi forte navibus ad Sigæum appulsis venit ei in mentem de Samothracum diis venerandis, jamque eo velis, si daretur, et remis; sed illum e septentrionum filiis præcipue quem Thrasciam vocant, pertinaciter adversus ab incepto desistere compulit. *Igitur Ilio quæque ibi*, hoc est, igitur continuato itinere ab Ilio, quod redux a Bosphoro Thracio tenuit, et illis, quæ istic loci, vel quod varia sorte celebris fortunæ ludus fuerunt, nunc splendida regna, nunc rudera et cadavera civitatum, vel quod inde origo romanæ gentis descendit, conspecta nec sine sacro horrore et religione quadam visenda: his, inquam, relictis, ut inceperat, Asiæ oram legere pergit. Ideo *relegit*. Gron. Sed Heinsius (l. c. in Misc. Obs. vol. 9, p. 227.), volebat: *ab Ilio*: quod vestigiis corruptæ lectionis melius respondet: et est lenius *ab Ilio relegit* quam *Ilio*, quod recepit Ryckius. Ern. Ut non improbem vel Freinshemii, vel Heinsii, quam in textum recepi, emendationem, ita non spernendam puto conjecturam J. Sev. Vater, qui libro ad c. 23, cit. p. 35, legendum suadet: *Igitur adito Ilio* etc., ubi ellipsi nostro usita intelligit: *aditisque, quæ ibi* etc. Sic et Pichena volebat: *Igitur viso Ilio*, et paullo ante: *atque Ilium i. r. et sacra* etc. Sed in his manifesta foret contradictio.

Clarii Apollinis oraculo. Strabo

illic, ut apud Delphos, sed certis e familiis, et forte Mileto accitus, sacerdos numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque literarum et carminum, edit responsa versibus compositis super rebus, quas quis mente concepit: et ferebatur, Germanico per ambages, ut mos oraculis, « maturum exitium » cecinisse.

LV. At Cn. Piso, quo properantius destinata inciperet, civitatem Atheniensium, turbido incessu exterritam, oratione sæva increpat, oblique Germanicum perstringens, « quod, contra decus romani nominis, non Athenienses, tot cladibus extinctos, sed colluviem illam nationum, comitate nimia coluisset: hos enim esse Mithridatis adversus Sullam, Antonii adversus D. Augustum socios. » Etiam vetera objectabat, quæ in Macedones improspere, violenter in suos fecissent: offensus urbi propria quoque ira; quia Theophilum quemdam, Areo judicio falsi damnatum, precibus suis non concederent. Exin navigatione celeri per Cycladas, et com-

tamen, qui huic ætati compar, ita loquitur de hoc oraculo 14, p. 642. tanquam nullum tunc fuerit. Κολοφὼν πόλις Ἰωνικὴ, καὶ πρὸ αὐτῆς ἄλσος τοῦ Κλαρίου Ἀπόλλωνος, ἐν ᾧ καὶ μαντεῖόν ἦν ποτε παλαιόν. Lips. In numis Colophonis a Domitiano ad Gallienum cusis Apollo Clarius, item Diana Claria. V. Eckhel. Doctr. NN. vol. 2, p. 511. Cf. et Plin. 2, 106. — * *Uti oraculo....* Ut alibi omine, sortibus, avibus etc. Wopk. Habet et Liv. 45, 27, et Just. 11, 7.

Mileto accitus. Hinc colligit Spanhemius, Colophonem colonos accepisse Mileto, de Us. et Pr. N. Dis. 9, p. 575. Edit.

* *Tot cladibus extinctos.* Cf. Jus. 5, 6.

Colluviem illam nationum. Respicit ad consuetudinem Atheniensium jus civitatis communicandi omnibus, atque adeo vendendi hominibus vilissimis ac perditis: de qua jam graviter questus Demosthenes *περὶ συντάξ.* p. m. 126., quod jus iis ademtam postea ab Augusto. v. Dio 54, 9. Similiter infra 3, 54. negat Romanos jam unius urbis cives esse. Edit.

pendia maris, adsequitur Germanicum apud insulam Rhodum, haud nescium, quibus insectationibus petitus foret: sed tanta mansuetudine agebat, ut, cum orta tempestas raperet in abrupta, posseque interitus inimici ad casum referri, miserit triremis, quarum subsidio discrimini eximeretur. Neque tamen mitigatus Piso, et vix diei moram perpessus, linquit Germanicum prævenitque: et, postquam Syriam ac legiones attigit, largitione, ambitu, infimos manipularium juvando, cum veteres centuriones, severos tribunos, demoveret, locaque eorum clientibus suis vel deterrimo cuique adtribueret, desidiam in castris, licentiam in urbibus, vagum ac lascivientem per agros militem sineret, eo usque corruptionis profectus est, ut sermone vulgi *parens legionum* haberetur. Nec Plancina se intra decora feminis tenebat; sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse: in Agrippinam, in Germanicum contumelias jacere: quibusdam etiam bonorum militum ad mala obsequia promptis, quod, « haud invito imperatore ea fieri, » occultus rumor incedebat.

LVI. Nota hæc Germanico; sed præverti ad Arme-

Miserit triremes. Livius 23, 34. *P. Valerius Flaccus cercuros ad persequendam retrahendamque navem cum misisset.* Utrobique intelligitur *aliquot.* Gronov. MS. *triremis.* Ean.

Decursibus cohortium interesse. Alia hæc decursio ab illa funebri, de qua dixi. Nam hæc exercitii fuit: solita usurpari ter quot mensibus ex institutione D. Augusti. Vegetio campicursio dicitur: quem vide 1, 27. 3, 4. Campestris decursio Suetonio in Galba 6. *Campestrem decursionem scuto moderatus.* in Nerone 7. *Indictaque decursione prætorianis, scutum sua manu prætulit.* Et sane inde eorum, feminam in his spectari et velut moderari. Lips.

Præverti ad Armenios. Ita infra 4, 32. *Aut si quando ad interna præverterent.* Curtius 6, 6. *Tamen ad Satibarzanem opprimendum præverti optimum ratus.* Apuleius Apol. p. 75, ed. Pric. *Nunc tempus est ad epistolas Pudentillæ præverti.* Plautus et Livius quoque, sed sine præpositione. Lips.

nios instantior cura fuit. Ambigua gens ea antiquitus hominum ingeniis et situ terrarum, quo, nostris provinciis late prætenta, penitus ad Medos porrigitur; maximisque imperiis interjecti, et sæpius discordes sunt, adversus Romanos odio et in Parthum invidia. Regem illa tempestate non habebant, amoto Vonone: sed favor nationis inclinabat in Zenonem, Polemonis regis Pontici filium, quod is prima ab infantia, instituta et cultum Armeniorum æmulatus, venatu, epulis et quæ alia barbari celebrant, proceres plebemque juxta devinxerat. Igitur Germanicus in urbe Artaxata, adprobantibus nobilibus, circumfusa multitudine, insigne regium ca-

13. *Polemonis regis pontici. Ponti* Lipsius, me nolente; sic *pontica tellus*, et similia, de quibus ad Ovidium. Noster alibi *pontica auxilia* 15, 6. *Ponticum mare*, Ann. 13, 39. *Pontica ora*, H. 3, 47.

Hominum ing. et s. t. Sic recte Pichena. e codd. Prius legebatur: *non modo ingeniis, sed situ terrarum.*

Provinciis nostris late prætenta. Possis intelligere *Armenia* ex verbis, *ambigua ea gens*, ut aliis in locis: sed non necesse. Valer. Fl. 5, 167. *Armeniæ prætentus Iber:* quem locum jam attulit Aurelius. Ibi v. Burmannus. Ern.

Polemonis regis Pontici. Melius, *regis Ponti.* Polemo autem Zenonis rhetoris filius ad regnum pervenit concessu Antonii et Augusti: de quo vide Dionem 59, 33 et 44. in actis anni 719. Uxorem habuit Pythodorim: quam mire a prudentia aliisque virtutibus laudat Strabo 12. p. 555. et quæ nunc, mortuo marito, præerat rebus regni. Polemoni illi filius item Zeno, qui nunc Armeniæ datus rex. Strabo l. c. p. 556. Τῶν δὲ τῆς Πυθοδώριδος υἱῶν ὁ μὲν ἰδιώτης συνδιοικεῖ τῇ μητρὶ τὴν ἀρχὴν, ὁ δὲ πατὴρ κατέστη τῆς μεγάλης Ἀρμενίας βασιλεύς. Lips. Conjectura Lipsii non necessaria, ut jam monuit Heinsius. Ern.

Æmulatus. Possit sallustiano exemplo ex fragm. H. l. 3, legi *æmulus. At Pompeius a prima adolescentia Alexandri regis facta dictaque æmulus erat.* Lips. Ut adjectivum habeat casum verbi ἀρχαικῶς. Vid. Cort. ad Sallust. p. 978. Sed talia, ut, ubi libri habent, non mutanda, ita non contra libros obtrudenda. Ern. *Ap. Sall. potius legendum *æmulatus* Wopk.

Insigne regium. Zenonem itaque regem Armeniæ dedit Germanicus, sed sine ullo, ut vides, bello: addo, nec metu belli. Mirum igitur a Suetonio scribi, Cal. 1. *Germanicus ad componendum Orientis statum expulsus, cum Armeniæ regem devicisset, Cappadociam in provinciæ formam redegisset, Antiochiæ obiit.* Quem, sodes, ille regem devicit? auctoritate

piti ejus imposuit : ceteri venerantes regem, *Artaxiam* consalutavere; quod illi vocabulum indiderant ex nomine urbis. At Cappadoces, in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere : et quædam ex regiis tributis deminuta, quo mitius romanum imperium speraretur. Commagenis Q. Servæus præponitur, tum primum ad jus prætoris translatis.

LVII. Cunctaque socialia prospere composita non ideo lætum Germanicum habebant, ob superbiam Pisonis, qui, jussus partem legionum ipse aut per filium in Armeniam ducere, utrumque neglexerat. Cyrri demum, apud hiberna decumæ legionis, convenere, fir-

tota res perfecta, non armis. Videbar apposite corrigere, *dejecisset* : sed nec id plene verum : quia Vonones a Silano dudum regno amotus, ante Germanici adventum. Itaque corrigas potius, *regem dedisset*. Lips.

Ex nomine urbis. Mirum, cum jam ante plures reges eo nomine fuerint : et urbs ipsa potius nomen habuit ab aliquo regum, uti Tigranocerta. Lips. J. Gronov. conjecit : *ex conditore urbis*, sive *ex nomine conditoris urbis*. Ern.

Legatum accepere. Hiems media est, tamen æstuo. Legatum, inquit : nonne id est, prætorem sive proprætorem ? Ita enim dicti, qui in Cæsaris provincias missi : et hos omnes legi reperio e senatu. Si id est : quis Dionem nobis conciliet, super eadem re scribentem 57, 17. Καὶ τούτου καὶ ἡ Καππαδοκία τῶν τε Ῥωμαίων ἐγένετο, καὶ ἵππεῖ ἐπιτρέπει. Si enim equiti, quomodo legato ? Fateor, in minores provincias sæpe equites missos, immo et libertos; sed cum procuratorum titulo, non legatorum. Tamen a Dione et Tranquillus est in Vespas. 8. *Cappadociæ, propter assiduos barbarorum incursus, legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite romano*. Ego censeam, primo quidem legatum impositum : sed post id mutasse. Dionem autem oculos habuisse in eo, quod obtineret, non quod obtinuisset. Lips.

Commagenis. Duplex elementum in hac voce numi requirunt.

Ad jus prætoris. Verius esset, *proprætoris* : sed ista miscentur, et passim in Tacito prætor, proprætor, legatus, munere eodem. Strabo ad hanc rem 16, p. 749. Ἡ Κομμαγηνὴ μικρά τις ἐστίν. Ἔχει δὲ ἐρυμνὴν πόλιν Σαμόσατα, ἐν ᾗ τὸ βασίλειον ὑπῆρχε, νῦν δ' ἐπαρχία γέγονε. Nec moveat te, quod Suetonius l. c. provinciam eam factam primum vult a Vespasiano, quia Caligula regibus eam iterum tradiderat, ut narrat Dio 59, 8. *Antiocho*, inquit, *Antiochi filio, Commagenen paternum regnum adjectis Cilicio maritimis dedit*. Uti ergo Caligula Tiberii, sic Caligulæ decretum Vespasianus rescidit. Lips. Adde dicta ad 1, 74. Ern.

mato vultu, Piso adversus metum, Germanicus, ne minari crederetur: et erat, ut retuli, clementior: sed amici, accendendis offensionibus callidi, intendere vera, adgerere falsa, ipsumque et Plancinam et filios variis modis criminari. Postremo, paucis familiarium adhibitis, sermo cœptus a Cæsare, qualem ira et dissimulatio gignit: responsum a Pisone precibus contumacibus, discesseruntque apertis odiis: postque rarus in tribunali

14. *Discesseruntque apertis odiis.* Nihil muta: odiis nondum manifestis, quæ in majus postea prorepere. Similis diversitas, Ann. 4, 71. Sic *condito odio.*, Hist. 2, 34. Nam odii aperti certum argumentum renuntiare amicitiæ, de quo videndus noster, Ann. 6, 29. atque illic interpretes. Suetonius in Calig. 3, de Germanico. Vide et Gruter. et Juret. ad Senec. Epist. 76. Noster, Ann. 3, 64., *sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, vel occultis odiis.* De occultis odiis mox., *Sed ille credebatur, ut inferius majestate principis, gravi et dissimulata offensione abdidisse.* Ann. 4, 67., *non jam occultis adversum Neronem et Agrippinam insidiis.* Valer. Flacc. 5, 520., *Talibus orantem vultu gravis ille minaci Jamdudum premit, et furiis ignescit apertis*, etc.

Et filios criminari. Hæc de dissidio et calumniis inter Pisonem et Germanicum, quique partium utriusque ibi erant. Sed quomodo *filios* criminantur? sane unus ibi *M. Piso* filius: et *Cnæus* alter, *omne hoc tempus in urbe egit:* quod ipse Tacitus infra 3, 16. scripsit: nec paternæ fortunæ aut crimini potuit adjungi. Vide, an non *filium*; nisi et Cnæus Romæ aliquid in Germanicum; aut criminati universe sunt filiorum superbiam, contumaciam, aut tale. Lips. Videtur pluralis non urgendus, ut si *liberos* dixisset. Sic *leges* de lege una dicuntur, et infra c. 71, *parentes*. Ern.

Qualem ira et dissimulatio gignit. Muretus, male et contra mentem Taciti conjicit *iræ dissimulatio:* nam *iræ dissimulatio* talis potest esse, ut frontem et verba præferat summopere amantium: at *ira et dissimulatio* est, ubi insignis et nota ira sic insigni comprimitur animo, ut identidem erumpat sese ac male tegat. Accipe igitur, qualem vicissim nunc ira, nunc ejus dissimulatio gignit: qualis solet alternari inter eos, qui eodem tempore eodemque congressu frenos iracundiæ modo relaxant, modo adducunt. Gron.

Precibus contumacibus. Precibus contumacibus, ut Jupiter apud Nasonem, Met. 2, 397. *precibusque minas regaliter addit:* quibus petebat quidem, ne ea, quæ rei publ. causa et ex instituto egisset, in suam contumeliam verteret (ut Pompeius apud Cæsarem initio belli civilis), simul demonstrabat, si tamen id faceret atque indignaretur, se id æque deque ferre, ut Cicero ad Appium Fam. 3, 7. forsan et adjiciebat scire velle, quot sibi sint domini: Tiberio putasse soli rationem actorum reddendam. Lips.

Opertis odiis. Lego *apertis.* Lips. Scio *offensarum operta* in H. 3, 65.

Cæsaris Piso, et si quando adsideret, atrox ac dissentire manifestus. Vox quoque ejus audita est in convivio, cum apud regem Nabataeorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari et Agrippinæ, leves Pisoni et ceteris offerren-

Attamen omnino Lipsio subscribo, et plane alterum τὸ *opertis* alienum puto. Naturaliter enim evenit, ut ex hujusmodi colloquiis, inter ingenia præsertim dissociabilia, exeant professi inimici. Et tum quæ præcedunt, tum quæ sequuntur, alterum firmant. Si odiis opertis discessissent, lenes querelas expurgatio, hanc ejus qualiscunque acceptio, et rursus aliqua mutuæ fidei species sollicitosque vultus læti excepissent. At hic sermo ira et dissimulatione mixtus, dein preces arrogantes ac nihil cedentis quid possunt gignere aliud quam odia retecta et apparentia? Jam, si nolebat sciri Piso, se cum Germanico in gratia non esse, cur rarus in tribunali Cæsaris, cur austerus, cur diversa semper sententia? Stultitiam Cicero vocat *in obscuro odio apertas inimicitias* ostendere ad Fam. 3, 10. Denique innata utrique indoles, hoc est, et simplicitas Germanici, et ferocia Pisonis, satis refutare vulgatum videntur. Quæ Gruterus urget, ad ea responsio facilis. Aliud e colloquio *discedere odiis apertis*, hoc est, ita ut alienatorum animorum signa satis apparuerint; aliud denunciare inimicitias et omnem consuetudinem rumpere. Velim scire, Lucullus et Pompeius in Galatia digressine fuerint etiam *opertis odiis? Certatum inter imperatores jurgiis*, inquit Velleius 2, 33. Item, annon postea quoque vixerint *apertis odiis*, quum Pompeius in provincia Luculli acta rescinderet; Lucullus Pompeii acta confirmari a senatu prohiberet? Πομπηΐῳ δ' ἦν μὲν ἐκ τῆς στρατηγίας διαφορὰ πρὸς Λεύκουλλον, ait Plutarchus; neutrum tamen alteri amicitiam libello renuntiasse legimus. Sed *eum finem gratiæ* ponebant. Sed quibus libuisset? non utique omnes. Sed qui similiter in gravissimis offensis agerent: sed non ita præfestine, quos honoris collegium aut provinciæ societas conglutinasset, etiam post manifesta odia. Gron. Omnino *apertis* legendum.

Coronæ aureæ. Coronæ conviviorum e floribus foliisque vulgatæ; non æque ex auro. Quas tamen non solum in illo Orientis luxu, sed etiam Romæ usum aliquem habuisse discas ex Capitolino: qui in Ælio Vero 5, scribit: *Data etiam convivis aurea atque argentea pocula et gemmata: coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis, et alieni temporis floribus.* Item Ulpiano lege 19, §. 13, 14. D. de auro et arg. leg. *Cedent igitur gemmæ fialis vel lancibus, inclusæ auro argentove. Sed et in coronis mensarum gemmæ coronis cedent, et hæ mensis.* At in Ægypto hunc morem Justinus tangit 18, 2. *Missi*, inquit, *a senatu in Ægyptum legati, cum ingentia sibi a Ptolemæo rege missa munera sprevissent, interjectis diebus ad cœnam invitatis aureæ coronæ missæ sunt, quas illi honoris caussa receptas, postera die statuis regis imposuerunt.* Etiam Polybius 15, 31. qui ostendit tamen, regibus tantum ex auro dari solere, aliis alias. Itaque

16.

tur : « Principis romani, non Parthi regis filio, eas epulas dari : » abjecitque simul coronam, et multa in luxum addidit, quæ Germanico, quamquam acerba, tolerabantur tamen.

LVIII. Inter quæ ab rege Parthorum Artabano legati venere. Miserat « amicitiam ac fœdus » memoraturos, « et cupere renovari dextras, daturumque honori Germanici, ut ripam Euphratis accederet : petere interim, ne Vonones in Syria haberetur, neu proceres gentium propinquis nuntiis ad discordias traheret. » Ad ea Germanicus, de societate Romanorum Parthorumque magnifice; de adventu regis et cultu sui, cum decore et modestia respondit. Vonones Pompeiopolim, Ciliciæ maritimam urbem, amotus est : datum id non modo precibus Artabani, sed contumeliæ Pisonis, cui gratis-

narrat de Aristomene quodam, qui Agathocli, etsi non regi, per adulationem ejus generis imposuit : Πρῶτος μὲν γὰρ, inquit, ὡς ἑαυτὸν ἐπὶ δεῖπνον καλέσας τὸν Ἀγαθοκλέα, χρυσοῦν στέφανον ἀνέδησε μόνῳ τῶν παρόντων. Ὃ τοῖς βασιλεῦσιν αὐτοῖς ἔθος ἐστὶ μόνοις συγχωρεῖσθαι. Neque scio, an huc faciat, quod Laertius in Xenocrate 15, scribit : χρυσῷ στεφάνῳ τιμηθέντα ἐπ' ἄθλῳ πολυτελείας. Certe ad convivia etiam spectat. Lips.

Principis romani. Claret sententia : quasi dicat, luxum illum alienum romanis moribus, dignum Parthorum. Æmilius (Ferretus) tamen hic λεπτολογεῖ, et perdit multa verba. Lips.

Amicitiam ac fœdus memoraturos. Verbo signato et proprio hac in re usum Tacitum notavimus ad Plautum Pseud. 5, 1, 36. Gron.

Renovari dextras. Dextræ junctæ concordiæ signum frequens in numis.

Neu proceres gentium. Legendum putant Mercerus et Pichena, *ne proceres gentium* : hic etiam *ne is pr. g.* Nihil mutari placet. Videtur enim et genus τοῦ ἐν διὰ δυοῖν esse, et sensu legibus, pactionibus, conditionibus proprius : *Ne sit, neu faciat*, proillo, *Ne sit, ubi vetitum faciat.* Quare nomen *proceres gentium* Germanicus et Artabanus ingeniosissimo Mercero? Saltem tempus anguste captum, quasi Vonones Artabano tantummodo gravis vicinus, dum ipse et Germanicus in proximo. Quin *proceres gentium* acceperim præfectos et satrapas plurimarum gentium Parthis parentium, et *discordias*, rebelliones, defectiones, dissensiones Parthorum inter sese. Neque aliter Freinshemius, puto. Gron.

simus erat ob plurima officia et dona, quibus Plancinam devinxerat.

LIX. M. Silano, L. Norbano coss. Germanicus Ægyptum proficiscitur, cognoscendæ antiquitatis: sed cura provinciæ prætendebatur: levavitque apertis horreis pretia frugum: multaque in vulgus grata usurpavit: sine milite incedere, pedibus intectis et pari cum Græcis amictu, P. Scipionis æmulatione; quem eadem factitavisse apud Siciliam, quamvis flagrante adhuc Pœnorum bello, accepimus. Tiberius, cultu habituque ejus lenibus verbis perstricto, acerrime increpuit, quod, contra instituta Augusti, non sponte principis, Alexandriam introisset. Nam Augustus inter alia dominationis arcana, vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus, aut equitibus romanis illustribus, seposuit Ægyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terræ ac maris, quamvis levi præsidio adversum ingentes exercitus, insedisset.

Ægyptum proficiscitur. Malit *in Ægyptum* Pichena. Frustra. Sic enim loquebantur. Liv. 45, 10., *Ad susceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit.* Justinus vel Trogus 23, 2., *Uxorem genitosque ex ea duos parvulos Ægyptum, unde uxorem acceperat, remittit.* Cf. et 28, 4. Gron. Noster ante c. 54, *tramisit Lesbum.* Ern. — * V. et c. 69.

Cognoscendæ antiquitatis. Auditis principes? imitamini. Hæc cognitio ad gloriam honestumque excitat: hæc parandi vias ostendit. Lips. *Causa, nomine* intelligi, more Græcorum vix opus monere: plura exempla notata ad 3, 7. Ern.

Apertis horreis. Publicis, opinor, ubi frumentum asservabant in plebis romanæ, et, quod superesset, in alios usus: at ille, in caritate forte annonæ, indigis indulsit. Lips.

Pedibus intectis incedere etc. Interpretor, incessisse crepidatum palliatumque. Plura in Exc. K. Lips. Adde interpretes ad Cicer. pro Rab. Post. 10. Ern.

P. Scipionis æmulatione. Intellige Afric. maj. de quo id tradit Livius 29, 19. Ern.

Quod contra instituta. Vide Suet. Tiberio 52., et quæ dicam ad H. 1, 11. Lips.

Equitibus romanis illustribus. De hoc cognomine equitum infra ad 11, 4. Lips.

Claustraque terræ ac maris. Intelligit Pelusium, Parætonium et

LX. Sed Germanicus, nondum comperto, profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo. Condidere id Spartani, ob septultum illic rectorem navis, Canopum; qua tempestate Menelaus, Græciam repetens, diversum ad maŕe terramque Libyam dejectus. Inde proximum amnis os, dicatum Herculi, quem indigenæ ortum apud se, et antiquissimum per-

Alexandriam. In Propertio 3, 7, 55., *Claustraque Pelusii romano subruta ferro.* Lips. Grotius et Heinsius l. c., *que* deleri malebant, ut per appositionem dicerentur *claustra t. a. m.* quod non necessarium foret etiam si per appositionem adderentur: nam τὸ *que* ἐξηγητικῶς capi posset. V. supra ad c. 14. sed Lipsium sequor. Nam non tam provincia vocari potest *claustra terræ marisque*, quam urbes et portus, per quos illa provincia adiri, e provincia in mare veniri potest etc. Itaque semper *claustra* videbis de urbibus, portubus, montibus celsis dici. Atque sic est in omnibus exemplis, quæ bene multa congessere Heinsius ad Velleium 1, 3. et Brouckh. ad Propert. l. c. qui et ipse hunc locum sine *que* laudat: et inter alia locum Lucani 10, 509. ubi diserte *Pharos*, *pelagi claustrum*. Ern. V. et infra H. 3, 2, 8.

Diversum ad mare. H. e. quod esset in contraria plaga ei, qua esset, quod petebat. Sic *diversæ fenestræ* apud Ovidium in Amor. qui sæpe hoc verbo ita utitur. Sic 3, 2, *diversa oppida*. Ern.

Libyam dejectus. Recepi post J. Gron. *dejectus* pro vulgato *delatus*: cum in MS. unico sit *delectus*, ex quo Beroaldus fecit *delatus*, cum debuisset *dejectus*. Sed ea notio hujus verbi tum nondum eruditis erat satis observata et nota: de qua vid. J. Fr. Gron. et Drak. ad Liv. 23, 34. Pichena etiam volebat addi *est*: quod omissum a librariis putabat, cum signum ejus in codice non adsequerentur. Sane durum est, id hic abesse. Ern.

Inde proximum amnis os. Acidalius volebat *inde ad proximum amnis os.* At Tacitus ea particula, qua juvare illum se potat Acidalius, uti noluit: quippe qui ad verba illa, *inde proximum amnis os* intellectum voluit ex sequenti membro τὸ *visit*; quasi esset: *inde visit proximum amnis os dicatum Herculi, mox Thebarum vestigia.* Quod haud scio an satis considerarit et vir doctus, qui παραφράζει. *Abhinc proximum Nili ostium Heracleoticum appellatur:* quasi rationem hujus vocabuli tantum edat Tacitus; non ipsum os ingressum, et, qua circa occurrerent visenda, adiisse et contemplatum esse significet Germanicum. Immo, *abhinc proximum Nili ostium adiit, Heracleoticum appellatum*, etc. Gron. Recte hæc a Gronovio disputantur. Sed ita minor distinctio esse debet ante *mox*, non punctum, ut est in edd. Rhenani, Gronoviorum, Ryckii et aliis, sed minor, ut in Lipsiana, qua usus sum, sicque interpunxi. Ern. *Os* recte ad *visit* relatum. Similia videsis 3, 6 et 47.

Herculi quem. De Hercule ægyp

hibent, eosque, qui postea pari virtute fuerint, in cognomentum ejus adscitos: mox visit veterum Thebarum magna vestigia. Et manebant structis molibus literæ ægyptiæ, priorem opulentiam complexæ: jussusque e senioribus sacerdotum patrium sermonem interpretari, referebat, « habitasse quondam septingenta millia ætate militari: atque eo cum exercitu Regem Rhamsen Libya,

tio Herod. 2, 42. Melam 3, 6. Arrianum de rebus Alex. 2., p. 125. et Diodor. 1, 24. jam laudavit Muretus. Ern.

Theb. magna vestigia. Strabo 17, p. 816. Καὶ νῦν δείκνυται ἴχνη τοῦ μεγέθους αὐτῆς ἐπὶ ὀγδοήκοντα σταδίους τὸ μῆκος. Hic tamen latius patent *magna vestigia*, ut seqq. facile indicant, de quibus ibidem Strabo. Ern. Mirantur ista, qui recentiori ævo adiere, in his Paullus Lucas, Pococke, Savary. In primis consulendus Norden in Drawings of ruins and statues at Thebes. 4. 1741. Ceterum, quum Memphi moraretur Germanicus, Apis, cibos sibi ab eo oblatos aversatus, mala ei portendisse ferebatur. Ammian. 22, 14.

Structis molibus. Intellegit obeliscos, de quorum frequentia et notis consule omnino Ammianum 17, 4. atque in hac ipsa re nos etiam in Ægyptiis admirandis. Lips. De Obeliscis v. Diodor. 1, 57. Ejus de quo heic sermo est, qui fuit Ramessis et nunc quoque Romæ visitur, omnium qui fuere maximus, forma æri incisa reperitur in Ammiano Gronovii l. c. *Literæ* autem intelligendæ hieroglyphicæ, s. potius tituli, inscriptiones literis ægyptiacis. Sic et Livius loqui solet. Ern. Vide Liv. 6, 1. 25, 1. De obeliscis egit pluribus Kircherus in Œdipo Ægypt. De Lateranensi, qui est ille Thebanus Ramessis, consulendus Gibert in Comm. eleg. litt. Acad. Paris. t. 35. Constantius Cæsar in circo max. erexerat; eversum restituit ope Fontanæ Sixtus V. altus est pedes 128.

Septingenta millia. Magnitudo numeri fecit, ut nonnulli conjicerent *septuaginta*: quos refellit Voss. ad Mel. 1, 9. Ern.

Regem Rhamsen. De hac tanta potentia Ægyptiorum nihil legi, nec facile credam. Nam quod Suidas ait, Thulin quemdam ægyptium regem usque ad oceanum imperium tenuisse, a quo dicta sit Thule: quid tam infandum somniavit ullus ægrotus? Nescio, an hic sit Rhamses, quo regnante Ilium captum esse vult Plinius 36, 14. ubi tamen leges *Ramises*, corrupte. Lips. Quæ de scriptura nominis varia apud veteres, num idem qui Sesostris, et aliis disputantur, rectius, qui scire volent, in compilationibus historicis quærent, quam in notis ad Tacitum. Itaque de his dicendum non putavi. *Sesostrin* intelligi vult etiam Perizon. Origin. Ægypt. c. 17. Ern. Imposuisse sacerdotem Germanico, dubium esse nequit. Jactantia manifesta est. Concinit tamen ex parte ipse Strabo l. c. Nec Hermapionis ap. Ammianum interpretatio fidem meretur. In explicandis hieroglyphis de-

Æthiopia, Medisque et Persis et Bactriano ac Scytha potitum; quasque terras Syri Armeniique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Lycium ad mare, imperio tenuisse. » Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis, ebur atque odores, quasque copias frumenti et omnium utensilium quæque natio penderet, haud minus magnifica, quam nunc vi Parthorum aut potentia romana jubentur.

LXI. Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis intendit animum. Quorum præcipua fuere Memnonis saxea effigies, ubi radiis solis icta est, vocalem sonum reddens: disjectasque inter et vix pervias arenas, instar

sudarunt post Kircherum Warburton, Bianchini aliique.

Legebantur et indicta. De his prioribusque vide Strabonem l. c. qui cum Cornelio Gallo illuc profectus pleraque refert oculata fide: egregius mehercules, et non ad vulgi gustum scriptor. Lips.

Vi Parthorum. I. e. imperio. Sic alibi *vim romanam* dixit 3, 60. H. 4, 69. Ern.

Intendit animum. Livius præfat. *Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint.* Gron.

Memnonis saxea effigies. Visitur, ut Plinius 36, 11. vult, in Serapis templo forma colossi: *quem*, ait, *cotidiano solis ortu contactum radiis crepare dicunt.* Juvenal. 15, 5. *Dimidio magicæ resonant ubi Memnone chordæ.* Dimidium cur vocet, explicat Strabo l. c. Τοῦ δ' ἱπίρου τὰ ἄνω μέρη τὰ ἀπὸ τῆς καθ' ἡμᾶς πίπτοντα συσμοῦ γενόμενοι, ὅς φασι. qui etiam vidisse se ait, et cum multis aliis circiter horam primam diei sonitum aliquem audisse. Philostratus 6, 4. ab Apollonio eam statuam in Æthiopia visam ait: et mentitur non insolens, sive ipse, sive impurus ille magus. Nam certum est in Ægypto fuisse. Vide præter alios Pausaniam in Atticis. Lips. Hanc saxeam effigiem M. exhibet Pocokius Descr. of the East. t. 1. p. 102., tab. 26, 27., cum multis inscriptionibus eorum, qui se sonum illum audisse testarentur. V. et ejus Inscr. ant. c. 9. Ern. Adde Jablonski de Memnone. 4. Frf. ad V. 1753., ad cujus p. 87., notare heic liceat legendum: C. MAENIVS HANIOCHVS DOMO CORINTHI 7 (i. e. centurio) LEG. XI. Cl. P. F. etc.

Disjectasque inter et vix pervias. Haud scio an recte intellexerit Freinsh. Certe loquitur, quasi solet intelligi. Quis enim assequitur *incertas arenas?* nam *dispersas* quis non putet passim jacentes, aut spargente aliquo, sive is ventus sit, per-

montium eductæ pyramides, certamine et opibus regum: lacusque effossa humo, superfluentis Nili receptacula: atque alibi angustiæ et profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis penetrabilis. Exin ventum Elephantinen

15. *Profunda altitudo, nullis inquirentium spatiis, penetrabilis.* Quænam illa *spatia?* Puto, *nulli inquirentium satis penetrabilis;* vel, *nullis inquirentium spatiis penetrabilis.* Spatium refer ad profundam altitudinem.

tatas et passim abjectas: ut apud Maronem Ecl. 3, 87., *pedibus qui spargat arenam*, et Georg. 3, 234., *sparsa ad pugnam proludit arena?* Necdum tamen ex his scias, quæ sint Tacito *arenæ disjectæ*. Quo vocabulo significat ille proprium hujus materiæ τὸ ἀσύναπτον, ἀσύγκλωστον, quod singula corpuscula vel singuli pulvisculi ab aliis secedunt, eoque ad moliendum aut accipiendo suscipiendoque operi est inutilis. Unde ὁ Λόγος· ὅστις ᾠκοδόμησε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὴν ἄμμον, etc. Merito igitur Tacitus ad augendum rei miraculum addit arenas inter *disjectas*, id est, solutas, dissociabiles, intractabiles, ob segregem naturam, tantas moles structas. Nam etsi hæ vento quoque, ut ubique, agitentur et jactentur, non sunt tamen, ubi sitæ Pyramides, Garamantum arenæ, quæ castra obruere possint. Gron. Vix aliter explicari possunt *disjectæ arenæ*, quam facit Gronov. etiamsi alioqui falsum est, in istis locis non esse arenas, quæ vento agitentur, varientur, et obruant res etiam editas, cum hoc diserte tradat testis oculatus Strabo. Sed mihi tamen frigidum hoc epitheton h. l. videtur. Quis enim non per se intelligit, tales esse arenas? et quorsum dicat brevitatis amantissimus scriptor? In poeta tale epitheton ferendum, non in tali historico. Neque in arenis structæ sunt pyramides, sed ἐν ὀρεινῇ τινὶ ὀφρύι, ut diserte Strabo l. c. in saxis, circumdatis arenis. Suspicor Tacitum dedisse *desertas*, quod est frequens arenarum epitheton. Ut permutantur in libris *disjectus* et *defectus*, item *defectus* et *desertus*: ita et e *desertas* potuit fieri *disjectas*. Broterius rejicit hanc nostram conjecturam, sed simpliciter, ut solet. Docendum erat *mobiles* arenas latine *disjectas* dici posse, quod non credo, nec a quoquam est demonstratum. Ern. *Disjectas* intelligo frequens vento disjici solitas, quod, qui recens adiere pyramides, testantur. Bona quoque pars illarum successu temporis est arenis tecta, unde potissimum dissensus eorum, qui de dimensione fuere solliciti. Cf. Pococke l. c. ad tab. 8. Niebuhrs Reiseb. nach Arabien. t. 1. p. 199.

Eductæ pyramides. De his Herodot. 2, 124. Diodor. 1, 63 sq. Strab. 17. p. 807. Ern.

Certamine et opibus regum. Dum certant reges, æmulatione gloriæ, opes suas jactare posteritati. Ern.

Lacusque. Mœrios lacum hominum manibus factum, Herod. ait 2, 149.

Angustiæ et profunda altitudo. Intell. Nili. Intelligunt viri docti de duobus fontibus profundissimis, de

ac Syenen, claustra olim romani imperii; quod nunc rubrum ad mare patescit.

LXII. Dum ea æstas Germanico plures per provincias transigitur, haud leve decus Drusus quæsivit, illiciens Germanos ad discordias; utque fracto jam Maroboduo usque in exitium insisteretur. Erat inter Gotones nobilis juvenis, nomine Catualda, profugus olim vi Marobodui, et tunc, dubiis rebus ejus, ultionem ausus. Is valida manu fines Marcomannorum ingreditur, corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam castellumque juxta situm. Veteres illic Suevorum prædæ, et nostris

quibus Herodotus 2, 28. Sed quæ ibi traduntur, sunt e narratione Ægyptii, quam Herodotus ipse ridet. Eæ abyssi porro inter Syenem et Elephantinen: cum hic sermo sit de loco infra has urbes. Denique in hac interpretatione negliguntur *angustiæ Nili*, quæ non conveniunt fontibus istis. Arbitror igitur, intelligi locum, ubi Nilus, riparum angustiis coarctatus et incitatus, effecit, ut fit, altitudinem profundissimam, quam, augentes rem more suo Ægyptiis, nullis mensuris penetrabilem dicebant. *Spatia* sunt mensuræ: neque opus cum Heinsio l. c. p. 388 conjicere, *nulli inquirentium satis penetrabilis*, quod ne commodum quidem sensum facit, nec τερατολογίαις Ægyptiorum satis convenit. Ern. — * Sic et Seneca ep. 70. Liv. 38, 23. Heges. 1, 35. Lact. 6, 4. Wopk.

Claustra olim romani imperii. Alio sensu *claustra*, quam paullo ante: nam nunc terminum et finem intellegit, qui claudit. Insertum hoc autem in gratiam laudemque Trajani, qui res magnas gessit ad Orientem, limitibus imperii ad rubrum mare promotis. Eleganter apud Suidam scriptor incertus super hac ipsa re: Ῥωμαίαν ἀρχή. Αὕτη τῆς Ἀσσυρίων καὶ Περσῶν καὶ Μακεδόνων τῶν πρὶν μακρῷ ὑπερῆρεν. Ὡρισαμένη πέρατα ἑαυτῆς, πρὸς μὲν ἕω, Ἰνδοὺς καὶ ἐρυθρὰν θάλασσαν, καὶ Νεῖλον καὶ καταῤῥάκτας καὶ λίμνην Μαιῶτιν, et reliqua, quæ non dubie adtexit de rebus Trajani. Ita Tacitus 4, 4., *Quanto sit angustius imperatum*: præ quam nunc videlicet meo ævo. Lips.

Corruptis primoribus ad societatem. Concisum, sed elegans dicendi genus: corruptis primoribus et eo adductis, ut societatem secum inirent. Ductum est a Græcis. Herodotus 1, 23. de Arione: Ἀπειληθέντα ἐς ἀπορίην παραιτήσασθαι. Et c. 27, κατεστράφατο ἐς φόρου ἀπαγωγόν. Noster 3, 49., *ceteris ad dicendum testimonium exterritis*. 4, 10., *corrupta ad scelus Livia*. Ibid. 45., *uno vulnere in mortem affecit*. Ern.

Irrumpit regiam. Boviasmum in Hercynia silva, de quo attuli Strabonis verba ad c. 44. Lips.

e provinciis lixæ ac negotiatores reperti; quos jus commercii, dein cupido augendi pecuniam, postremum oblivio patriæ suis quemque ab sedibus hostilem in agrum transtulit.

LXIII. Maroboduo undique deserto non aliud subsidium, quam misericordia Cæsaris, fuit. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam præfluit, scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunæ. « Nam multis nationibus, clarissimum quondam regem ad se vocantibus, romanam amicitiam prætulisse. » Responsum a Cæsare, « tutam ei honoratamque sedem in Italia fore, si maneret: sin rebus ejus aliud conduceret, abiturum fide, qua venisset. » Ceterum apud senatum disseruit, « non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum aut Antiochum, populo romano perinde metuendos fuisse. » Extat oratio, qua « magnitudinem viri, violentiam subjectarum ei gentium, et quam propinquus Italiæ hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit. » Et Maroboduus quidem Ravennæ habitus, si quando insolescerent Suevi, quasi rediturus

Jus commercii. Quod Romanis a Maroboduo concessum, amicitiæ et honoris caussa, sive sponte, sive petentibus Romanis. Jus commercii amicitiæ, honoris, grati animi caussa dari solitum olim, testantur multa veterum civitatum decreta. Ern.

Transtulit. Debet esse *transtulerat.* Vide tamen ad 1, 53. Ern.

Nam. Aut repetendum ἀπὸ κοινοῦ *scripsit*, aut totum illud omissum, cujus ratio redditur: *Non indignum se, cui opem ferat, quem tueatur Cæsar:* cujus generis plura exempla apud veteres occurrunt, de eoque dixit ad Homerum Clarckius. Hæ rationes cui non placebunt, poterit conjicere Tacitum scripsisse: *quam multis.... prætulisset.* Ern. Priorem conjecturam Ernestii firmant similia loca 3. 47. 15, 1 et 29. 16, 2. Wopk.

Rebus ejus. Rhen. et alii *suis;* sed codd. recte *ejus.*

Rediturus. MS. habet *reditus:* et sic edidit Beroaldus, secutusque hunc Alciatus. Unde J. Gronov. vult legi: *reditui;* quod non abhorret a Taciti more. Sed ego potius *reditus* per compendium scribendi datum puto pro *redituras*, atque hoc recte restitutum a Rhenano. Sæpe in hoc ge-

in regnum, ostentabatur. Sed non excessit Italia per duodeviginti annos; consenuitque, multum imminuta claritate, ob nimiam vivendi cupidinem. Idem Catualdæ casus, neque aliud perfugium. Pulsus haud multo post Hermundurorum opibus, et Vibilio duce: receptusque Forum Julium, Narbonensis Galliæ coloniam, mittitur. Barbari utrumque comitati, ne quietas provincias immixti turbarent, Danubium ultra, inter flumina Marum et Cusum, locantur, dato rege Vannio, gentis Quadorum.

LXIV. Simul nunciato, « regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum, » decrevere patres, « ut Germanicus atque Drusus ovantes urbem introirent. » Structi et arcus, circum latera templi Martis Ultoris, cum effigie Cæsarum: lætiore Tiberio, quia pacem sapientia firmaverat, quam si bellum per acies confecisset. Igitur Rhescuporin quoque, Thraciæ regem, astu adgreditur. Om-

nere peccavit in illo codice librarius. Vide mox c. 73, 83. 3, 18. 4, 5. 32. 13, 6. cod. Bud. pro *daturum* habuit *datum*, etc. Ern.

Vibilio. Ryckius putat scr. *Vibillio.* Recte, ut opinor. Sic *Vibullius* apud Cæsarem Civ. 1, 15. nisi potius legendum *Vibidius*, quod nomen mox, et passim in inscriptionibus antiquis, occurrit. Ern. Cf. infra 12, 29.

Marum et Cusum. Marisus hic fluvius dictus Straboni 7. p. 304. Maris Herodoto 4, 49. Marisia Jornandi Get. 22, Æthico Margus. Retinet nomen hodie, et incolis adpellatur Maros. Lips. Marum quoque Plin. vocat 4, 25.

Structi et arcus. Extat prope portam S. Sebastiani arcus dictus Drusi; sed is Drusi senioris est Germanici, de quo Suet. Claud. 1. Spectatur et in numo. Junioris Drusi arcus ævum non tulit.

Cum effigie Cæsarum. Germanici et Drusi. Lips.

Rhescuporim. Non in alio nomine magis variatum. Dio 54, 34. 55, 39. Ῥασκύπορις. Velleius 2, 129. Rhascupolin; Suetonii optimus in Vaticano codex in Tib. 37. Thrascypolin. quomodo et in Livio scriptum leges. Lucanus vocat 5, 55.... *gelidæ dominum Rascipolin oræ.* De historia autem ipsa consule Dionem 54. in actis anni 738. Lips. V. interpretes ad Suet. Tib. 37, in pr. Oudend. et Perizon. ep. ad Heins. t. 4. Coll. Burm. p. 821. Ern. Nomina propria ex monimentis emendanda. Numus

nem eam nationem Rhœmetalces tenuerat: quo defuncto, Augustus partem Thracum Rhescuporidi, fratri ejus, partem filio Cotyi permisit. In ea divisione arva et urbes et vicina Græcis Cotyi; quod incultum, ferox, adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit: ipsorumque regum ingenia, illi mite et amœnum, huic atrox, avidum et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere: mox Rhescuporis egredi fines, vertere in se Cotyi data, et resistenti vim facere; cunctanter sub Augusto, quem auctorem utriusque regni, si sperneretur, vindicem metuebat. Enimvero, audita mutatione principis, immittere latronum globos, exscindere castella, caussas bello.

LXV. Nihil æque Tiberium anxium habebat, quam,

apud Cary in H. des Rois de Thrace pl. 2, habet hinc ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΚΟΤΥΣ, illinc ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΑΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ, regni ab Augusto divisi occasione cusus. In alio ap. Eckhel. vol. 2, p. 59., legitur ΡΑΙΣΚΟΥΠΟΡΙΔΟΣ. Cf. et Spanh. de Us. et P. NN. t. 1, p. 500. Qui autem potuerit Lipsius allegare Livium, apud quem *Thrascypolis* nulla fit mentio, non capio. In Freinsh. suppl. ad l. 123 et 128. legitur; sed illa nec Livii sunt, necdum Lipsio visa. Videtur alium quem auctorem habuisse in animo, forsan Cæsarem, qui Civ. B. 3, 4., *Rascipolin* habet. A Germanis more quodam suo præfixum *T.* conjicit Cannegieter de Brittenb. c. 3, p. 32.

Ipsorumque regum. Adeo hoc verum est, ut Cotys ille etiam literis et poesi excultus fuerit. Ad eum enim est elegia Ovidii ex Ponto 2, 9. et in hujus regno vates ille exulavit. Lips.

Ingenia, illi m. et a. huic atrox. Libenter, si per codices liceret, legerem *illud mite.... hoc atrox.* Verum enallage est non invenusta. Wopk.

Sed primo. Rhen. et alii *et primo.* Pichena restituit *sed*, quod jam Beroaldus dederat. Idem mox *dictitabat* dedit ex cod. prius legebatur *dictabat.*

Vertere in se Cotyi data. Livius 24, 4., *Deponendaque tutela, quæ ipsi cum pluribus communis erat, in se unum omnium vires convertit.* Suet. Vesp. 4., *Ut primum provinciam attigit, proximas quoque convertit in se.* Gron.

Caussas bello. I. e. quæ res caussæ bello forent; unde fieri non poterat, quin bellum oriretur. Formam loquendi, *caussæ bello*, valde usitatam Livio, multis ex eo exemplis illustrat Drakenb. ad 3, 46. Ern. — * Sic et 27., *caussam discordiæ.* Wopk. — Cave audias Boxhornium, qui ad 6, 15., *caussas bello* a verbo *immittere* regi autumat.

ne composita turbarentur. Deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, « ne armis disceptarent : » statimque a Cotye dimissa sunt, quæ paraverat, auxilia. Rhescuporis ficta modestia postulat, « eundem in locum coiretur: posse de controversiis colloquio transigi. » Nec diu dubitatum de tempore, loco, dein conditionibus : cum alter facilitate, alter fraude, cuncta inter se concederent acciperentque. Rhescuporis sanciendo, ut dictitabat, fœderi convivium adjicit : tractaque in multam noctem lætitia, per epulas ac vinolentiam incautum Cotyn, et, postquam dolum intellexerat, « sacra regni, ejusdem familiæ Deos, et hospitalis mensas » obtestantem, catenis onerat. Thraciaque omni potitus scripsit ad Tiberium, « structas sibi insidias, præventum insidiatorem : » simul bellum adversus Basternas Scythasque prætendens, novis peditum et equitum copiis sese firmabat. Molliter rescriptum, « si fraus abesset, posse eum innocentiæ fidere : ceterum neque se, neque senatum, nisi cognita caussa, jus et

Ficta modestia. Qui videri cuperet, nihil novi petere, facilis paci, æquis conditionibus contentus. Ern.

Convivium adjicit. Vellem Scaligero non venisset in mentem hic respici verbo *adjicit* ad *cœnas adjiciales* p. 118, ad Varronem R. R. 3, 6. Satis enim multos traxit etiam doctos viros. At sciant tirones *adjiciales cœnas* esse nugas meras. *Aditiales* dicendum, ut P. Faber Semestr. 1, 6. Gruterus, Lipsius de magn. R. 4, 9. monuere, ab aditu sacerdotii, vel adeundo sacerdotio. Veteres etiam *aditus aditi*, ut *senatus senati* dicebant. Et interpres optimus Suet. Claud. 9. qui *aditialem* interpretatur, quæ *pro introitu sacerdotii* daretur. Gron.

Sacra regni. I. e. sanctitatem regii nominis, quod reges sacrosancti et inviolabiles, ut recte explicat Freinsh. qui bene laudat Cic. Manil. 9. adde *sanctitatem regum* e Suet. Cæs. 6. Ern.

Ejusdem familiæ deos. Communes *deos patrios*, quos supra *penetrales* vocaverat : Cicero etiam pro domo 41. *familiares* appellat. V. supra ad c. 10. quamquam ibi non familiæ, sed gentis dii patrii. Ern.

Hospitalis mensas. Similis locus ap. Liv. 23, 9. ubi pater filium, conantem interficere Hannibalem, sic deterret : *Ab hospitali mensa surgis.... ut eam ipsam cruentares hospitis sanguine?* Adde 15, 52. Ern.

injuriam discreturos : proinde, tradito Cotye, veniret transferretque invidiam criminis. »

LXVI. Eas literas Latinius Pandus, proprætor Mœsiæ, cum militibus, quis Cotys traderetur, in Thraciam misit. Rhescuporis, inter metum et iram cunctatus, maluit patrati, quam incepti facinoris reus esse : « occidi Cotyn » jubet, « mortemque sponte sumptam » ementitur. Nec tamen Cæsar placitas semel artes mutavit, sed, defuncto Pando, quem sibi infensum Rhescuporis arguebat, Pomponium Flaccum, veterem stipendiis et arta cum rege amicitia, eoque accommodatiorem ad fallendum, ob id maxime Mœsiæ præfecit.

LXVII. Flaccus in Thraciam transgressus per ingentia promissa, quamvis ambiguum et scelera sua reputantem, perpulit, ut præsidia romana intraret : circumdata hinc regi, specie honoris, valida manus : tribu-

Pomponium Flaccum. Est ipse, de quo Ovidius de Ponto 4, 9, 75. sq. Atque idem præfuit postea Syriæ, ut scribit noster 6, 27. Lips. Adde Suet. Tib. 42. et ibi not. Vellei. 2, 129. Ern.

Veterem stipendiis. Pichena, Freinsh., Ryckius volebant scribi : *stipendii.* Sed non necesse est, ut, quia sæpe græca constructione noster utitur, propterea semper usum putemus, et ad eam rationem omnia loca, in quibus ablativus est, mutemus; cum nulli certæ legi se adstrinxerint in hoc ne quidem poetæ, nimisque multa loca in contrarium reperiantur. Vid. ad 1, 3. Deinde debebant docere, *stipendium* in singulari dici de eo, qui jam plures annos meruisset. *Primum* quidem *stipendium* est ap. Nepotem Caton. 1, sed de pluribus annis non memini me legere. Dixisset opinor *veterem stipendiorum*, non *stipendii.* Itaque vulgatum non tentandum. Ern.

Præsidia rom. I. e. castra, sive potius locum provinciæ rom. ubi essent præsidia rom. qui esset in potestate rom. Cic. pro Ligar. 9, 10., etc. V. Duker. ad Liv. 38, 11. Ern.

Circumdata hinc regi, etc. Hic locus aut sic interpungendus est : *circumdata hinc regi, specie honoris, valida manus : tribunique et centuriones* etc. aut *manu* legendum : *circumdata hinc regis. h. valida manu, tribunique* etc. Tacitus, atque etiam Livius sæpe, ut poetæ, etiam primo substantivo copulam *que* addunt. Liv. 1, 43., *hastaque et gladius*, pro *hasta et gladius :* idque potuit fraudi esse librariis. Sed prius præfero, ne corrigendi necessitas sit. Ern.

nique et centuriones, monendo, suadendo, et, quanto longius abscedebatur, apertiore custodia, postremo gnarum necessitatis in urbem traxere. Accusatus in senatu ab uxore Cotyis damnatur, ut procul regno teneretur. Thracia in Rhœmetalcen filium, quem paternis consiliis adversatum constabat, inque liberos Cotyis dividitur: iisque nondum adultis, Trebellienus Rufus, prætura functus, datur, qui regnum interim tractaret, exemplo, quo majores Marcum Lepidum, Ptolemæi liberis tutorem, in Ægyptum miserant. Rhescuporis Alexandriam devectus, atque illic, fugam tentans, an ficto crimine, interficitur.

LXVIII. Per idem tempus Vonones, quem amotum in Ciliciam memoravi, corruptis custodibus, effugere ad Armenios, inde in Albanos Heniochosque et consanguineum sibi regem Scytharum, conatus est. Specie

Trebellienus Rufus. Trebellianus. Freinshemio per analogiam videtur rectum; ut Julianus, Æmilianus, a Julio, Æmilio; sic Trebellianus a Trebellio: unde et *Trebellianum* SCtum, non *Trebellienum*, apud JCtos, quasi non perinde per analogiam dicerentur, *Allius Allienus, Nasidius Nasidienus, Aufidius Aufidienus, Gallius Gallienus, Bellius Bellienus*, et hujusmodi infinita. Sic *Matius Matienus*. Et tamen *Matianum malum* dicebant. Gron. — * Cf. Just. 30, 2, Max. Val. 6, 6, 1., et Eckhel. de doct. NN. Vet. vol. 5, p. 125.

M. Lepidum. Valerius Max. 6, 6. Justin. 30, 3., *Mittitur et M. Lepidus in Ægyptum, qui tutoris nomine regnum pupilli administraret.* Extant et denarii argentei cum inscriptione, M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. in parte versa, caput turitum, subscriptum, ALEXANDREA. Lips.

Amotum in Ciliciam memoravi Pompeiopolim, supra 58. Sueton. Tib. 49. paullo aliter hæc narrat, et cum Tiberii probro: *Sed et Vononem Parthorum regem, qui pulsus a suis quasi in fidem populi romani cum ingenti gaza Antiochiam se recepera, spoliavit perfidia et occidit.* Ut Taciti narratio est, imperator extra culpam. Lips.

**In Albanos* etc. Potius, deletoin, legendum *ad Armenios, inde Albanos* etc. subintellecta iterum præpositione *ad*, ut et alibi. H. 1, 46. Livius 9, 15., Vell. 2, 1. Sic et alias præpositiones *de, per, in*, repetere negligit noster. Vide 3, 9. 4, 16. 6, 51. 13, 53. Wopk.

Specie venandi. Omissis. Acidalius dubitat, annon potius sic di-

venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit: mox pernicitate equi ad amnem Pyramum contendit, cujus pontes adcolæ ruperant, audita regis fuga; neque vado penetrari poterat. Igitur in ripa fluminis a Vibio Frontone, præfecto equitum, vincitur. Mox Remmius evocatus, priori custodiæ regis adpositus, quasi per iram, gladio eum transigit: unde major fides, conscientia sceleris et metu indicii mortem Vononi illatam.

tinguendum sit: *conatus. est. Specie venandi, omissis mar. locis.* etc. Potius dubites, annon delendum τὸ *est*, et continua oratione faciendum: *inde in Albanos Heniochosque ad consanguineum sibi regem Scytharum conatus, specie venandi, omissis maritimis locis, avia saltuum petiit.* Gron.

Vibio Frontone, præfecto equitum. Bimardus in ep. *de Inscript. et aliis monum. antiquis municipii Augusti Allobrogum* t. 1, Thes. inscr. Murator. p. 114, conjicit, hic forte legendum *L. Julio Frontone* ex inscriptione ibi prolata LIVI FRONTONI PRAEF. EQVIT.: aut, si diversi sint, ab alterutro nomen accepisse *Alam Frontonianam*, cujus subinde mentio in Gruteri 414, 8. 537, 7. et Reinesii Cl. 8, 57. inscriptionibus fiat. Hæc incerta esse, quilibet videt, etsi *Julios* et *Vibios* in libris permutari etiam 14, 28. videbimus: illud autem certum est, quod idem demonstrat contra Sucietum, qui eandem inscriptionem illustrare tentavit, *præfectum equitum* non esse, qui universo equitatui præsit; quod etiam P. Manutio videtur ad Ciceron. ad Div. 2, 17. sed qui alæ. Nunquam reperiuntur equites omnes sub uno peculiari duce fuisse, nisi cum dictator esset, qui magistrum equitum dixerat: sed erant sub legatis cum legionibus: unde Crassus, Cæsaris legatus, equitum præfectos cohortatur etc. ap. Cæsarem B. G. 3, 26. Præfecti porro nomen tenue, nec satis dignum eo, qui universo equitatui præsit. Græci conjungunt χιλιάρχους et ἱππάρχους, ut Appianus B. civ. 2, 102. ut alia taceam. Nec impedit, quod simpliciter *præfectus equitum* dicitur. Nam etiam *præfecti sociorum* commemorantur, qui tamen non omnibus sociis, sed tantum cohortibus sociorum singulis præfuere. Gravior dubitatio est Manutii l. c. ex eo, quod Labienus apud Plutarchum præfectus equitum dicitur in exercitu Pompeii, qui ante legatus apud Cæsarem fuerat. Sed aut contemtus caussa id factum est, de quo questus est Labienus, aut aliquid tum extra ordinem constitutum est a Pompeio, propter multitudinem equitatus. Nam de C. Voluseno ap. Cæs. B. C. 3, 60., et Q. Varo ibid. non dubitanter pronunciem, præfectos alarum fuisse. Præfectos equitum esse eosdem, qui alarum, statuunt etiam Schelius ad Hyginum, p. 75. Dodwell. Annal. Vellei. 1, 15. Clarissimus locus est ap. Valer. M. 2, 7, 9, jam laudatus Bimardo, ubi C. Titius præfectus equitum præfuisse turmis equitum quibusdam dicitur. Ern.

LXIX. At Germanicus, Ægypto remeans, cuncta, quæ apud legiones aut urbes jusserat, abolita, vel in contrarium versa cognoscit. Hinc graves in Pisonem contumeliæ; nec minus acerba, quæ ab illo in Cæsarem tentabantur. Dein Piso abire Syria statuit. Mox adversa Germanici valetudine detentus, ubi recreatum accepit, votaque pro incolumitate solvebantur, admotas hostias, sacrificalem adparatum, festam Antiochensium plebem, per lictores proturbat. Tum Seleuciam digreditur, opperiens ægritudinem, quæ rursum Germanico acciderat. Sævam vim morbi augebat persuasio veneni, a Pisone accepti: et reperiebantur solo ac parietibus erutæ huma-

Tentabantur. * *Dein Piso.* Ad eam quam posui notam, suspicio mihi est, ne quid desit. Non enim satis plena videtur narratio. Lips. Acidalius conjiciebat *denique*, non male. Eo enim verbo utuntur Latini eleganter, ubi enarrare singula volunt, sed ad finem properant. V. Grævius ad Suet. Aug. 23. Ern.

Admotas hostias. Sacrorum verbum est. Suetonius in Calig. 32. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu:* idem significat, quod Tibullo et aliis, statuere ad aram. Lips.

Festam Antioch. Læto habitu et candidatam. Lips.

Seleuciam. Plures Seleuciæ, atque adeo in ipsa Syria. Sed hanc puto, quæ *Pieria* cognominatur Straboni, Ciceroni, Polybio, Ptolemæo. Nam in litore maris est, parabatque navigationem Piso: tum etiam haud procul Antiochia, a qua veniebat. Lips. Ceterum *degreditur* scribendum videtur. Ern. — Verbum *digreditur* noli mutare. Sic et 4, 49 et 74; 12, 30. et sic ante Rhenanum 3, 67. Wopk.

Opperiens ægritudinem. Intellige *eventum morbi.* Ern.

Solo ac parietibus. Muretus, *parietinis* conjicit. Lips. Emendatione non opus. Intra parietes enim recondita sæpe cadavera. V. Hieron. in Ezech. 40. Talium sepulcrorum exempla in cryptis prostant tum prope Romam, tum alibi. Cf. Boldetti sopra i cimiteri de' i SS. martiri, fol. Rom. 1720.

Erutæ humanorum corporum reliquiæ. Dio sic expressit: Ὀστᾶ γὰρ ἀνθρώπων ἐν τῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει κατορωρυγμένα καὶ ἐλασμοὶ μολίβδινοι ἀράς τινας μετὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ ἔχοντες ζῶντος ἐθ' εὑρέθη. Sunt hæ persuasiones a vulgo; et ideo vanæ. Appuleius callide descripsit 3. Milesiar. *Instruxit feralem officinam omne genus aromatis, et ignorabiliter laminis literatis et infelicium manium durantibus calvis, defletorum, sepultorum etiam cadaverum expositis multis admodum membris: hic nares et*

norum corporum reliquiæ, carmina et devotiones, et nomen Germanici plumbeis tabulis insculptum, semusti cineres, ac tabe obliti, aliaque maleficia, quis creditur animas numinibus infernis sacrari. Simul missi a Pisone incusabantur, ut valetudinis adversa rimantes.

LXX. Ea Germanico haud minus ira, quam per metum accepta; « si limen obsideretur, si effundendus spiritus sub oculis inimicorum foret; quid deinde miserimæ conjugi? quid infantibus liberis eventurum? lenta

digiti, illic carnosi (vel etiam *cariosi*) *clavi pendentium; alibi trucidatorum servatus cruor, et extorta dentibus ferarum trunca calvaria.* Ita nos eum locum totum emaculamus. Lips.

Carmina et devotiones. Est hendiadys, pro *devotionum carmina:* in quibus nomen erat Germanici: ut dubitare non liceret, devotiones ad eum pertinere. Si vellemus Tacitum cum Dione in concordiam redigere, posset videri legendum *insculpta*, ut simul ad *carmina* referretur. Sed non est necessarium. Tacitus ultimi nominis genus secutus est. Ern.

Plumbeis tabulis. Ad magicam defixionem hoc spectat, qua nomen devovendi, in pugillaribus aut membranis aut lamnis plumbeis exaratum, stilo atroci confodiebatur. Ita apud Ovid. Amor. 3, 7, 29. *Saga pœnicea defixit nomina cera.* et Heroid. 6, 91. *Medea devovet absentes simulacraque cerea figit:* et in Grut. Thes. inscr. p. 19, 6. INFANDO LATROCINIO DEFIXA MONVMENTIS ORDINIS DECVRIONVM NOMINA memorantur. Laminarum plumbearum in scelesto hoc negotio mentionem facit Hieron. citatus Heinsio in Advers. et ad Ovid. l. c. Videri potest idem in ep. ad Cuper. in Burm. syll. t. 2, p. 705. *Laminas literatas* Apul. vocat Met. 3, p. 54. Cf. et Plin. 28, 4. Sen. de benef. 6, 35.

Tabe obliti. Malim, *tabo.* Lips. Non necessarium est. Nam *tabes* etiam pro *tabo*, sanie, putredine dicitur. V. Burman. ad Quintil. Decl. 6, 3. Heins. ad Sil. 3, 342. Locum Suetonio Vitell. 10. jam laudavit Ryckius. Ern. — * Cf. Maioli dier. canic. l. 1. cap. de sagis

Aliaque maleficia. Verbum proprium in rebus magicis et veneficiis. Vid. præter laudatos, Gesner. in Thes. Glossarium Nomic. Cod. Theod. in h. v. ubi Lactantius 2, 16. et egregius locus Hieronymi in Comm. in Dan. c. 2, laudantur. Ern. Nota lex Cod. 9, 18. de maleficis et mathematicis.

Haud minus ira quam per metum. His rebus non modo ira commota Cæsari, sed etiam metus injectus: sive, non modo metus injectus, sed etiam ira incensa. Heinsius conjiciebat *iræ*, intellige *fuerunt.* Male: *ira* idem est quod *per iram.* Variavit Tacitus, ut solet, genus loquendi. Ern. — Sic 1, 59. 3, 4. 1, 7 et 11. Wopk.

videri veneficia: festinare et urgere, ut provinciam, ut legiones solus habeat: sed non usque eo defectum Germanicum, neque præmia cædis apud interfectorem mansura. » Componit epistolas, « quis amicitiam ei renunciabat. » Addunt plerique, jussum « provincia decedere. » Nec Piso moratus ultra, navis solvit: moderabaturque cursui, quo propius regrederetur, si mors Germanici Syriam aperuisset.

LXXI. Cæsar, paullisper ad spem erectus, dein, fesso corpore, ubi finis aderat, adsistentes amicos in hunc modum adloquitur: « Si fato concederem, justus mihi dolor, etiam adversus deos, esset, quod me parentibus, liberis, patriæ, intra juventam præmaturo exitu raperent. Nunc, scelere Pisonis et Plancinæ interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis

Componit epistolas. Mos ex veteri illa et simplici vita: qua receptum, amicitiam et inimicitiam promptam habere in ore et in fronte. Adi Excurs. L. Lips. Miram caussam epistolæ hujus comminiscitur Boxhornius. Quasi renuntiandæ amicitiæ non sit alia ratio, quam suspicio accepti veneni. Tacitus ipse satis significat, quid spectarit Germanicus, nempe ne limen obsideretur; ne pasceret oculos inimici, si quid sibi accideret: ne conjux et liberi essent in ejus ditione. Hoc scilicet agebat, ut e vicinia hominem abigeret. Et intellexit Piso, sive adjectum fuerit, decederet provincia, sive non adjectum. Nam qui renuntiat amicitiam, interdicit domo; qui domo, et locis suæ potestatis, ut Augustus Cornelio Gallo domo et suis provinciis interdixit, Sueton., 66. Gron.

Moderabatur cursui. Consulto tardius navigabat, et moras nectebat in cursu. *Que* h. l. commode capias adversative, pro *scil.* Ern.

Quo propius. Bene, suo quodam sensu: quid si tamen *properius*. Lips. Vulgatum Tacito dignius puto. Concise dictum est, pro, quo minus longe abesset ab Syria, ubi, mortuo Cæsare, regrediendum esset. Ceterum *prope* et *propere* sane crebro in libris confundi, passim notatum est ad Livium 31, 24. 39, 31. Drakenborchio. Ern.

Parentibus, liberis. Atqui una parens supererat, Antonia mater, Druso pridem functo. Lips. Nempe ut *liberi* etiam de uno filio, vel una filia dicuntur, ut multis exemplis constat, quæ etiam in lexicis reperiuntur, sic *parentes* de uno patre, vel matre. Vide et supra ad c. 57. Ern.

Intra juventam. Romano more, quibus juventa finiebatur anno 45. Lips.

patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; illacrymabunt, quondam florentem, et tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud senatum, invocandi leges. Non hoc præcipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed, quæ voluerit, meminisse, quæ mandaverit, exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo romano D. Augusti neptem, eandemque conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelesta mandata aut non credent homines, aut non ignoscent.» Juravere

Fratri. Druso. Nam Claudius ulcisci non poterat: eaque de causa unum hic Drusum nominasse videtur. Ern.

Pessima morte. I. e. ingloria, et indigna viro forti et imperatore. Sic *male mori* dicunt Latini, quod illustrat Cuper. Obs. 1, 8. Ern.

Si quos spes meæ... movebat. Paullo durius dictum, omissione verbi, ad quod referantur *spes* et *propinquus sanguis.* Id autem intelligendum est ἀπὸ κοινοῦ ex *movebat*, in hunc modum: *si quos spes meæ, si quos propinquus sanguis movet* vel *movent.* Ceterum totum dictum est pro: *non modo quos spes meæ* (quæ immatura morte ad nihilum redeunt) *et propinquus sanguis movent, sed etiam quos invidia erga viventem movebat* etc. Ern.

Muliebri fraude. Plancinam intellege: nec Liviam omitte: quam certum mihi est huic sceleri fuisse architectam. Lips. Pichena bene huc retulit locum Sophoclis e Trachiniis ap. Cic. Tusc. 2, 8. ubi Hercules moriens: *hos non hostilis dextera* etc. *corpori inflixit meo: sed feminea vi, feminea interimor manu.* Ern.

Ignavo questu. Similiter Claudian. in Eutrop. 2, 394., *ignava vota*, i. e. vota sine opera. Huc voces etiam *vota et supplicia muliebria* Sallustii Cat. 52, ubi v. Cort. Ern.

Mandaverit. Proprie dixit, pro jusserit. Est enim verbum proprium *mandare* de morientibus, cum dicunt, quid post mortem fieri velint. Sed hoc satis notum. Ern.

Fovebatis. Vid. ad c. 43. Ern.

Fingentibus scelesta mandata. Int. sibi mandatum fuisse a Tiberio, Livia, ut ita me tractarent. Ern.

amici, dextram morientis contingentes, « spiritum ante, quam ultionem, amissuros. »

LXXII. Tum, ad uxorem versus, « per memoriam sui, per communes liberos » oravit, « exueret ferociam, sævienti fortunæ submitteret animum : neu regressa in urbem æmulatione potentiæ validiores irritaret. » Hæc palam, et alia secreto; per quæ ostendere credebatur metum ex Tiberio. Neque multo post extinguitur, ingenti luctu provinciæ et circumjacentium populorum. Indoluere exteræ nationes regesque : tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes : visuque et auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem et gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam et adrogantiam effugerat.

LXXIII. Funus sine imaginibus et pompa, per laudes, et memoriam virtutum ejus celebre fuit. Et erant, qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. « Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haud multum triginta annos egressum, suorum insidiis, externas inter gentes occidisse : sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse : neque minus prœlia-

Dextram morientis contingentes. Quæ sedes fidei. Sed et apud Xenoph. 8, 7. Cyrus moriens hortatur amicos, ut dextram suam contingant. Εἴτις οὖν ὑμῶν ἢ δεξιᾶς βούλεται τῆς ἐμῆς ἅψασθαι, ἢ ὅμμα τοὐμὸν ζῶντος ἔτι προσιδεῖν ἐθέλει, προσίτω. Lips.

Et erant qui formam. Ursino videtur deesse particula, *ob*, legendumque, *Et erant qui ob formam, ætatem, etc.* Sed, si ita esset, non mox repeteretur. *Fatis M. A. adæquarent* magis quidem convenit ultimo membro *genus mortis*, quam ceteris, sed per σύλληψιν etiam ad formam et ætatem refertur. Multa talia ubique occurrunt. Quod addit : *ob prop. e. locorum*, indicat, tanto proniores homines in hanc comparationem fuisse, quod vicina loca essent iis, ubi Alexander perisset. Ern.

Haud multum triginta annos egressum. Obiit Germanicus anno 34 vitæ acceptæ. Lips.

torem; etiam si temeritas abfuerit, præpeditusque sit, perculsas tot victoriis Germanias servitio premere : quod si solus arbiter rerum, si jure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus præstitisset. » Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochensium, qui locus sepulturæ destinabatur, prætuleritne veneficii signa, parum constitit : nam, ut quis misericordia in Germanicum, et præsumpta suspicione aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.

LXXIV. Consultatum inde inter legatos, quique alii senatorum aderant, « quisnam Syriæ præficeretur : » et, ceteris modice nisis, inter Vibium Marsum et Cn. Sentium diu quæsitum : dein Marsus seniori et acrius tendenti Sentio concessit. Isque infamem veneficiis ea in provincia et Plancinæ percaram, nomine Martinam, in

Solus arbiter rerum. Livius lib. 9, 18. *Et quo sint mirabiliores, quam Alexander, aut quisquam alius rex; denos, vicenosque dies quidam dictaturam, nemo plus quam annum consulatum gessit : ab tribunis plebis delectus impediti sunt : post tempus ad bella ierunt : ante tempus, comitiorum causa revocati sunt : in ipso conatu rerum circumegit se annus : collegæ nunc temeritas, nunc pravitas, impedimento aut damno fuit : male gestis rebus alterius successum est : tironem, aut mala disciplina institutum exercitum acceperunt. At, Hercule, reges non liberi solum impedimentis omnibus, sed domini rerum temporumque, trahunt consiliis cuncta, non sequuntur.* Gron

Sepultura. I. e. cremando corpori: nam cineres Romæ conditi, 3, 1. 4. sic Græci τὸ θάπτειν, et sic alii quoque *sepulturam* dixere : *sepulcrum* de busto, *sepelire* pro comburere. Vide Cuperum Obs. I. 7. Ern.

Prætuleritne veneficii signa. Multi adfirmant. Plinius lib. 11, 71., *Cor negatur cremari posse in iis qui cardiaco morbo obierint, aut veneno interemptis. Certe extat oratio Vitellii, qua reum Pisonem ejus sceleris coarguit, hoc usus argumento : palamque testatus non potuisse ob venenum cor Germanici Cæsaris cremari.* Lips. Adde Sueton. in Calig. 1. Ern.

Interpretabantur. In MS. est *interpretantur.* Sed imperfectum desiderat sane contextus orationis, quod jam habet Beroaldus. Vide ad c. 63. Ergo, si hic contra MS. licet, cur non aliis etiam in locis? Ern.

Infamem. V. Maiolus. l. c.

urbem misit, postulantibus Vitellio ac Veranio ceterisque, qui crimina et accusationem, tanquam adversus receptos jam reos, instruebant.

LXXV. At Agrippina, quamquam defessa luctu et corpore ægro, omnium tamen, quæ ultionem morarentur, intolerans, adscendit classem cum cineribus Germanici et liberis; miserantibus cunctis, « quod femina nobilitate princeps, pulcherrimo modo matrimonio, inter venerantis gratantisque adspici solita, tunc feralis reliquias sinu ferret, incerta ultionis, anxia sui et infelici fecunditate fortunæ totiens obnoxia. » Pisonem interim apud Coum insulam nuntius adsequitur, « excessisse Germanicum. » Quo intemperanter accepto, cædit victimas, adit templa; neque ipse gaudium moderans, et magis insolescente Plancina, quæ luctum amissæ sororis tum primum læto cultu mutavit.

LXXVI. Adfluebant centuriones, monebantque

Crimina et accusationem instruebant. Leg. 1. D. de Fide instr. *Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus caussa instrui potest.* Leg. 1, D. de leg. Corn. de falsis. *Pœna legis Corneliæ inrogatur ei, qui ob instruendam advocationem testimoniave pecuniam acceperit.* Cic. pro Cluent., 67. *Cum instructum accusatorem filio suo Romam ipsa misisset.* Plin. 10, ep. 85. *Ut longiorem diem ad instruendam caussam darem.* Gron. Atque etiam *rei recipi* proprie dicuntur, item *nomina*, ut ap. Cœlium in Cicer. ad Div. 8, 8., et alibi. Ern.

Feralis rel. s. f. Sic in eleganti anaglypho villæ Borghesiæ ap. Winkelm. in Mon. ant. ined. N°. 137. sistitur Andromache, quæ, ut Tibulli verbis 1, 3, 6. utar, *legit ip- mœstos ossa perusta sinus*, Hectoris scil. Sic in Senecæ Herc. Oet. v. 1756. hujus cremati *reliquias cineremque jactans squallidum Alcmene gemit.* Cf. et infra 3, 1.

Et infelici fecunditate. Dubitari de hac lectione potest, an non scribendum *in felici*. Nam fuit sane fecunditas felix. Ern. Ambiguus locus. *In felici* omnino *fecunditate* obnoxia fortunæ sæpius Agrippina fuit; *infelix* tamen *fecunditas* intellegi potest ob sobolem teneram, præmatura patris morte orbam, et Tiberii odium. Recte huc trahit Crollius ex simili loco Cic. Phil. 2, 24. *Juliæ matris Antonii fecunditatem calamitosam.* Nec tamen ejus viri docti conjecturam probo, qua legendum suadet *infelix fecunditate.*

« prompta illi legionum studia : repeteret provinciam, non jure ablatam et vacuam. » Igitur, « quid agendum, » consultanti, M. Piso filius « properandum in urbem, » censebat : « nihil adhuc inexpiabile admissum, neque suspiciones imbecillas, aut inania famæ pertimescenda : discordiam erga Germanicum odio fortasse dignam, non pœna : et ademptione provinciæ satisfactum inimicis. Quod si regrederetur, obsistente Sentio, civile bellum incipi : nec duraturos in partibus centuriones militesque, apud quos recens imperatoris sui memoria, et penitus infixus in Cæsares amor prævaleret. »

LXXVII. Contra Domitius Celer, ex intima ejus amicitia, disseruit : « Utendum eventu. Pisonem, non Sentium, Syriæ præpositum : huic fasces et jus prætoris, huic legiones datas : si quid hostile ingruat, quam justius arma oppositurum, qui legati auctoritatem, et propria mandata acceperit? Relinquendum etiam rumo-

Quo intemp. accepta. Nimis elegans modus loquendi est, quam, ut τὸ *intemperanter* a librariis esse et corruptum putem. Et tamen sic Tacitus videtur ταυτολογεῖν. Nam quid est aliud, *neque ipse gaudium moderans*, quam intemperanter accipere nuncium. 13, 13. *intemperanter demissa*, i. e. non moderans demissionem. Videtur *int. acc.* commune esse Pisoni et conjugi : alterum Pisoni proprium. Ern.

Læto cultu mutavit. Quasi in gratulatione, aut quasi voti damnata. Vide Festum, in verbis *Minuitur luctus*. Quis autem fœminæ tristis, quis lætus cultus, nos in Exc. quærimus, in *M.* Lips.

Huic. Ad Pisonem referendum, facile patet. *Hic* ad remotius interdum apud optimos scriptores referri, satis hodie notum est. V. tamen Gron. Obs. 3, 16. Sanctii Minerv. 2, 9. et ibi Perizon. Ern.

Quem justius arma oppositurum quam qui. Sic olim legebatur, addito *quam* ante *qui*. Rectius Pichena τὸ *quem*, quod est in libro unico, mutavit in *quam:* quod cum Gronoviis et Ryckio secuti sumus. Adde Heins. ad Virg. Georg. 3, 309. Ern.

Propria mandata. H. e. si recte capio, ea, quibus plane definitum esset, quid ageret, ut provinciam a vi hostili defenderet. Cic. ad Att. 5, 2. *cui, deposcenti mea mandata, cetera universe mandavi; illud proprie, ne pateretur, prorogari nobis provincias.* Ac forte legendum : qui *proprie* mandata acceperit. Ern.

ribus tempus, quo senescant : plerumque innocentes recenti invidiæ impares. At, si teneat exercitum, augeat vires, multa, quæ provideri non possint, fortuito in melius casura. An festinamus, cum Germanici cineribus adpellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinæ, ac vulgus imperitum, primo rumore rapiant? Est tibi Augustæ conscientia, est Cæsaris favor, sed in occulto : et periisse Germanicum nulli jactantius mœrent, quam qui maxime lætantur. »

LXXVIII. Haud magna mole Piso, promptus ferocibus, in sententiam trahitur : missisque ad Tiberium epistolis incusat « Germanicum luxus et superbiæ; seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide, qua tenuerit, repetivisse. » Simul Domitium, impositum triremi, « vitare litorum oram, præterque insulas lato mari pergere in Syriam » jubet. Concurrentes desertores per manipulos componit, armat lixas : trajectisque in continentem navibus vexillum tironum in Syriam euntium intercipit. Regulis Cilicum, « ut se auxiliis juvarent, » scribit; haud ignavo ad ministeria belli juvene Pisone, quamquam suscipiendum bellum abnuisset.

LXXIX. Igitur oram Lyciæ ac Phamphyliæ prælegentes, obviis navibus, quæ Agrippinam vehebant,

Intelligo *specialia*, non quæ universe cuivis dari solent; sic recte *propria*.

Rapiant. Eleganter dictum de eo, qui indicta caussa cupide condemnatur : ut *rapi* alias dicuntur, qui ante tempus acerba morte pereunt, supra c. 71. et centies alibi. Ern.

Lato mari. Equidem tolero, sed verius fortasse, *alto*. Lips. *Latum* et *longum mare* sæpe dicitur ap. Ovidium et alios poetas : sed non eo sensu, qui huic loco conveniat. Vere Lipsium emendasse puto. *Latus* et *altus* sæpe in MSS. confunduntur. V. Drakenb. ad Liv. 5, 37. Et Horat. Ep. 1, 2, 20. *latum æquor* dixit simili sensu. — Sic Græci εὐρυχωρία apud Thucyd. 2, 86. nonnulli Khunio.

utrimque infensi, arma primo expediere : dein, mutua formidine, non ultra jurgium processum est : Marsusque Vibius nuntiavit Pisoni, « Romam ad dicendam caussam veniret. » Ille eludens respondit, « adfuturum, ubi prætor, qui de veneficiis quæreret, reo atque accusatoribus diem prædixisset. » Interim Domitius Laodiceam, urbem Syriæ, adpulsus, cum hiberna sextæ legionis peteret, quod eam maxime novis consiliis idoneam rebatur, a Pacuvio legato prævenitur. Id Sentius Pisoni per literas aperit, monetque, « ne castra corruptionibus, ne provinciam bello tentet : » quosque Germanici memores, aut inimicis ejus adversos cognoverat, contrahit; « magnitudinem imperatoris » identidem ingerens, et « rempublicam armis peti : » ducitque validam manum, et prœlio paratam.

LXXX. Nec Piso, quamquam cœpta secus cadebant, omisit tutissima e præsentibus, sed castellum Ciliciæ munitum admodum, cui nomen Celenderis, occupat.

Diem prædixisset. Viri quidam docti malucrunt *prodixisset*, quod est usitatum et legitimum in hac re verbum, ut omnes sciunt. Sed quia et alibi in hac re *prædicere* reperitur in libris Taciti, ut supra c. 6. et verbum significare idem potest, nihil mutandum censeo. Idem videbatur Drakenb. ad Liv. 2, 61. ubi pro *dies prodicta* libri quidam itidem habent *prædicta*. Ern.

Magnitudinem imperatoris. Imperatoris nomine Germanicum intelligit, non Tiberium, Freinshemius. Ego vero *imperatorem* omnino accipio Tiberium, nec *magnitudinem imperatoris a republica* sejungo. Hoc enim vult Tacitus, ingerens, armis peti rem publicam et magnitudinem imperatoris. *Magnitudo*, majestas. Ut 3, 56. de Augusto : *simul modestiæ Neronis et suæ magnitudini fidebat.* 16, 23. *an ut magnitudinem imperatoriam cæde insignium virorum, quasi regio facinore ostentaret.* Gron. — Malim cum Freinshemio intelligere *Germanicum*, et *magnitudinem imp.* referre ad *ingerens* i. e. ostentans, commendando inculcans. Wopk.

Celenderis. Nominat id Josephus 17, 5. collocatque in via, qua Romam ibatur. Sed in eo scriptum reperies, *Celendris.* Meminit et Ptol. 5, 8. Antiquissimum id fuit, si Apollodoro fides Bibl. 3, 14. qui conditionem ejus refert ad Sandarum Tithoni nepotem. Ὃς, inquit, ἐκ Συρίας ἐλ-

Nam admixtis desertoribus, et tirone nuper intercepto, suisque et Plancinæ servitiis, auxilia Cilicum, quæ Reguli miserant, in numerum legionis composuerat. « Cæsarisque se legatum, » testabatur, « provincia, quam is dedisset, arceri non a legionibus, earum quippe accitu venire, sed a Sentio, privatum odium falsis criminibus tegente : consisterent in acie, non pugnaturis militibus, ubi Pisonem, ab ipsis *parentem* quondam adpellatum, si jure ageretur, potiorem, si armis, non invalidum vidissent. » Tum pro munimentis castelli manipulos explicat, colle arduo et derupto; nam cetera mari cinguntur. Contra veterani, ordinibus ac subsidiis instructi : hinc militum, inde locorum asperitas : sed non animus, non spes, ne tela quidem, nisi agrestia, ad subitum usum properata : ut venere in manus, non ultra dubitatum, quam dum romanæ cohortes in æquum eniterentur : vertunt terga Cilices, seque castello claudunt.

LXXXI. Interim Piso classem, haud procul opperientem, adpugnare frustra tentavit : regressusque et pro

θὼν εἰς Κιλικίαν, πόλιν ἔκτισε Κελένδεριν. Lips. *Celendris* habet etiam codex Flor. itaque a Pichena et sequentibus receptum. Ern. Legebatur prius *Celenderis*, ut Strabo habet 14. p. 670. Sic et Heyne in Apollod. restituit, et recte quidem; numus quoque ap. Peller. in Asiæ tab. 73 ΚΕΛΕΝΔΕΡΙΤ (ων).

In numerum leg. composuerat. H. e. etsi non Romanos, tamen contra morem descripsit in legiones, ut numerus eorum is, qui esse soleret in legione, nomen legionis haberet. Ern.

Ut ven. in manus. V. not. ad H. 4, 71.

Non ultra dubitatum. Nullus istiusmodi dubitationi post initam jam pugnam, locus. Scribendum existimo *non ultra dimicatum*. Work. Præclara et mihi hæc emendatio videtur.

In æquum eniterentur. I. e., in eum collis locum, ubi jam æquis locis pugnare possent. Sic supra 1, 68. *æquis locis æqui dii.* Ern.

Adpugnare. Sic codex Flor. sic Beroaldus edidit, ut advertit Gron. Atque etiam sic dedere Alciatus, Rhenanus, Aldus, Gryph. Postea temere est mutatum in *oppugnare*, donec restitutum in editione Abr.

muris, modo semet adflictando, modo singulos nomine ciens, præmiis vocans, seditionem cœptabat; adeoque commoverat, ut signifer legionis sextæ signum ad eum transtulerit. Tum Sentius « occanere cornua tubasque, et peti aggerem, erigi scalas » jussit, « ac promptissimum quemque succedere; alios tormentis hastas, saxa et faces ingerere. » Tandem victa pertinacia Piso oravit, « uti traditis armis maneret in castello, dum Cæsar, cui Syriam permitteret, consulitur. » Non receptæ conditiones: nec aliud, quam naves et tutum in urbem iter concessum est.

LXXXII. At Romæ, postquam Germanici valetudo

Gron. Idem verbum occurrit etiam infra 4, 48. 15, 13. Ern.

Pro muris. Recte meo judicio omnes, qui *pro muris*, ut *pro rostris*, *pro tribunali* acceperunt: nec potest placere *progressus extra muros*, ut vult Freinsh. Quousque enim progredi tuto poterat, qui extra muros, qua parte incubuerant Sentiani, nihil vacuum aut liberum habebat? Et quanto commodius hæc invidia fiebat ex alto et late conspecto loco? quantoque ad plures pertinebat et visus adflictantis sese et vox querentis ac sollicitantis? Sic igitur accipe: Pisonem circa id ipsum tempus, quo rejiciebantur et se claudebant intra munimenta sui, eodem per aversam portam rediisse a tentata classe, et, dum parant Sentiani, quæ oppugnando essent idonea, in summis mœnibus hanc tragœdiam saltasse, donec Sentius parata jam parte instrumenti canere signa et vim fieri jussit. Gron. Cf. Sallust. Jug. 94.

Occanere cornua. Occulte surreptum Sallustio est, *jussu Metelli cornicines occanuere.* Lips. In fragm. H. 1. p. 954. ed. Cort. Ern.

Peti aggerem. Freinsh. eodem modo accipit, quo supra 1, 65, ut sit terra, cespites, struendis aggeribus ad oppugnandum, improbatque eos, qui de muris capiunt contra consuetudinem latinam. Sed aggeres isti sunt in obsidione, non cum impetu urbs capitur, ut h. l. Si impetu non captum foret castellum, et obsidione utendum fuisset, tum demum aggerem talem peti jussisset. Nunc id est ab h. l. alienum. *Agger* haud dubie de muris capiendus. Dixit insolentius, imitatione Virgilii Æn. 10, 23. *quin intra portas, atque ipsis aggeribus murorum*: ubi clare Servius: *abusive muros et munimenta omnia aggerem dicimus.* Add. 11, 382. Ern. — Cum Freinshemio iterum facio, *peti* scilicet *agger*, i. e. materia faciendi aggeris potuit, si forte impetus in expugnando castello parum procederet. Wopk.

Dum Cæsar .... consulitur. Debebat esse *consuleretur*: nec nostrum quisquam in tali contextu et structura aliter diceret. Ern.

percrebuit, cunctaque, ut ex longinquo, aucta in deterius adferebantur, dolor, ira : et erumpebant questus : « Ideo nimirum in extremas terras relegatum : ideo Pisoni permissam provinciam : hoc egisse secretos Augustæ cum Plancina sermones : vera prorsus de Druso seniores locutos : displicere regnantibus civilia filiorum ingenia : neque ob aliud interceptos, quam quia populum romanum æquo jure complecti, reddita libertate, agitaverint. » Hos vulgi sermones audita mors adeo incendit, ut ante edictum magistratuum, ante senatus consultum, sumpto justitio, desererentur fora, clauderentur domus; passim silentia et gemitus, nihil compositum in ostentationem : et, quamquam neque insignibus lugentium abstinerent, altius animis mœrebant. Forte nego-

Dolor, ira : et erumpebant questus. Hunc locum interpunctione planum fecimus, de qua etiam Boxhornio in mentem venerat. Imitatus est Broter. Ordo verborum est : *At Romæ dolor et ira* sc. exarsit, *postquam Germanici valetudo percrebuit* etc. Neque ea ira premebatur, sed erumpebant questus etc. Antea dixerat, quid in provincia consecutum sit mortem Germanici, transit jam ad urbem, usitata formula. Vid 1, 46. Ern.

In extremas terras relegatum. Extremas terras intellige imperii romani. Florus 4, 1. *quod in extremis finibus mundi arma romana peregrinabantur.* Cicero ad fratrem 1, 1. *Non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, cum audiverim in Italia querelas civium.* Locorum, quæ affert pro *externis* Boxhornius, qui vult legi *externas*, alia ratio est. Gron. Add. Græv. ad Cicer. pro lege Manil. 16. Ern.

De Druso. V. Suet. Claud. 1. Ern.

Sumpto justitio. Olim in tumultu aut calamitate a dictatore consulibusve indici justitium solitum, ex decreto senatus : nunc passim in fenere principum virorum. Sic 1, 16. *Qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis, ob justitium aut gaudium intermiserat.* De vi habituque justitii nihil melius possum Petro Fabro Sem 2, 10. Lips. Aliud exemplum justitii sponte cœpti dat Liv. 9, 7.

Neque insignibus lugentium. Indicto enim justitio mutabant etiam vestem. Lucanus 2, 18. . . . *ferale per urbem Justitium, latuit plebeio tectus amictu Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.* Juvenalis 3, 213. *Pullati proceres, differt vadimonia prætor.* Cf. et Seneca ep. 18. Lips. Vestis in luctu mutatæ exemplum exhibent cenotaphia Pisana.

tiatores, vivente adhuc Germanico Syria egressi, lætiora de valetudine ejus adtulere: statim credita, statim vulgata sunt: ut quisque obvius, quamvis leviter audita, in alios, atque illi in plures cumulata gaudio transferunt: cursant per urbem, moliuntur templorum fores: juvit credulitatem nox, et promptior inter tenebras adfirmatio. Nec obstitit falsis Tiberius, donec tempore ac spatio vanescerent. Et populus quasi rursum ereptum acrius doluit.

LXXXIII. Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: « ut nomen ejus Saliari carmine caneretur: sedes curules sacerdotum

Atque illi. Dicendum erat *hi*. Sed ut *hic* de remotiori, v. ad c. 77, ita *ille* interdum de proximo dicitur. Vide quos ibi laudavimus, item quos Dukerus et Drakenb. ad Liv. 24, 29. quamquam in istis exemplis *hic* et *ille* concurrunt, quod secus est in superiori et hoc loco Taciti, ubi *hic* vel *ille* solum est. Ern.

Moliuntur templorum fores. Nam vespere hæc gesta, aut nocte, et tum clausa templa. Sueton. Cal. 6. de ipsa hac re: *Repente jam vesperi, cum incertis auctoribus convaluisse percrebuisset; passim cum luminibus et victimis in capitolium concursum est, ac pæne revulsæ templi fores, ne quid gestientes vota reddere moraretur.* Lips.

Amore aut ingenio validus. Per σύλληψιν *validus* ad *amorem* refertur, cui alias hoc verbum non convenit satis; qua figura Tacitus sæpe utitur. Vid. ad c. 73. etc. Ern.

Saliari carmine. Qui honos non nisi nominibus deorum. Hoc exemplo M. Antoninus philosophus, mortuo filio Vero, *jussit, ut nomen ejus saliari carmini insereretur.* Ita malo apud Spartianum 21, quam, *inferretur.* Lips.

Sedes curules. Spectaculis Romam transductis magno honori fuit publicus in iis locus: exempla multa. Evaluit paullatim adulatio, ut non solum vivis, sed etiam absentibus mortuisque daretur is locus, memoriæ conservandæ; loci præbiti indicium sella esset. Primum vestigium ejus ritus odorari videor in Livii verbis 2, 31. de Valerio dictatore: *Dictator triumphans in urbem invehitur. Super solitos honores locus in circo ipsi posterisque ad spectaculum datus: sella in eo loco curulis posita.* Cæsari habitus deinde idem honos, ut clare Dio 44, 6., Ἐψηφίσαντο τόν τε δίφρον αὐτῷ τὸν ἐλεφάντινον εἰς τὰ θέατρα καὶ τὸν στέφανον τὸν διάλιθον καὶ διάχρυσον εἰσάγεσθαι. Mox M. Marcello defuncto, de quo verba ejusdem scriptoris 53, 30. Μαρκέλλῳ δὲ καὶ εἰκόνα χρυσῆν, καὶ στέφανον χρυσοῦν, δίφρον τε ἀρχικὸν ἐς τε τὸ θέατρον ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων πανηγύρει ἐσφέρεσθαι, καὶ ἐς τὸ μέσον τῶν ἀρχόντων τῶν τελούντων αὐτὰ τίθεσθαι ἐκέλευσε. Sed et Severus Pertinaci

augustalium locis, superque eas querceæ coronæ statuerentur: ludos circenses eburna effigies præiret: neve quis flamen aut augur in locum Germanici, nisi gentis Juliæ, crearetur. » Arcus additi Romæ et apud ripam Rheni, et in monte Syriæ Amano, cum inscriptione rerum gestarum, ac « mortem ob rempubl. obiisse: » sepulcrum Antiochiæ, ubi crematus: tribunal Epidaphnæ,

mortuo non unam sellam, sed tres in theatro posuit, uti apud Xiphilinum scribitur 74, 4. Καὶ χρυσῶν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι, καὶ ἐς τὰ λοιπὰ ἐκίνουν θέατρα, θρόνους τε τρεῖς καταχρύσους αὐτῷ ἐσκομίσεσθαι. Lego etiam, sedes aureas in theatrum illatas Tiberio et Sejano absentibus, et miror, interpretem id vertisse, currus. apud Dionem 58, 4. Δίφρους τε ἐσηχρύσους ἐς τὰ θέατρα ἀμφοῖν ἐσέφερον. Germanico igitur decretæ ejusmodi curules sedes per trina, ut opinor, theatra inter sacerdotum augustalium sedes: et coronæ in iis e quercu, ob cives scilicet servatos. Hunc ritum non alibi adhuc videram explicatum. Lips. Non raro in numis coronam sellæ curuli impositam videre licet. Sic denarius Augusti coronam, Cæsaris dict. perp. honori dicatam, in curuli sella exhibet, qua de re Dio l. c. Vid. Vaillant. in gente Julia n°. 59.

Sacerdot. August. In id collegium receptus fuerat German. quinquennio ante. Cf. 1, 54.

Querceæ coronæ statuerentur. Coronæ super tales sellas etiam Cæsari quondam decretæ, sed aureæ, ut patet e loco Dionis cit. *Querceam* hic malebant, ut honoratissimam, et quia libertatis amans fuerat Ern.

Ludos circenses. Qui honos dis habitus, et qui divinos deinde honores meriti videbantur. Ritus non obscurus. Lips.

Mortem ob rempubl. obiisse. Hoc Druso quoque patri ejus tributum, et voluit dictum Pedo ad Livium v. 457. *Consul, et ignoti victor Germanicus orbis, Qui fuit heu! mortis publica causa, legor.* Sed tu rescribe, *Cui fuit*: ad hanc mentem. Lips.

Sepulcrum Antiochiæ. Nempe in foro. V. c 73. *sepulcrum* est bustum. Ibid. Ern.

Tribunal Epidaphnæ. H. l. *tribunal* est monumentum, tumulus honorarius, ut supra vocari vidimus. Nam id verbum de aliis quoque ante exaggeratis locis dici cœptum, quam in quibus imperatores aut magistratus jus dicerent, concionarentur. V. Schel. ad Hygin. p. 142. Et sellæ honoris caussa structæ apud Græcos, qualis Ptolemaica Adulitani monumenti apud Cosmam. Ern. De monumento Adulitano v. Chishull. in Mon. Asiat. Chr. æram anteced. Similis occurrit ap. Pococke Descr. of the East t. 2, p. 2, p. 15. ΠΟΤΑΜΩΝΟΣ ΠΡΟΕΔΡΙΑ ΤΩ ΛΕΣΒΟΝΑΚΤΟΣ.

Epidaphnæ. Antiochia ad Orontem ambitiosum habuit suburbium, 40 stadiis ab urbe distans, Daphnæ,

quo in loco vitam finierat. Statuarum locorumve, in quis colerentur, haud facile quis numerum inierit. Cum censeretur clypeus auro et magnitudine insignis, inter auctores eloquentiæ, adseveravit Tiberius, « solitum paremque ceteris dicaturum : neque enim eloquentiam fortuna discerni : et satis illustre, si veteres inter scriptores haberetur. » Equester ordo « cuneum Germanici » adpellavit, qui « Juniorum » dicebatur; instituitque, uti

qui ingens lucus, in quo Apollinis et Dianæ templum cum asylo. Strabo 16, p. 750. Ammian. 19, 12.

In quis colerentur. Intellige *statuæ*. Nam coli etiam et adorari imagines et effigies dicuntur. Noster infra 4, 2. quem locum jam laudavit J. Gron. Sueton. Tib. 48. *quod solæ nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.* Vulgo edd. habent *coleretur*. Sed, quod nos dedimus, est in MS. unico. Ern.

Cum censeretur clypeus. Veteris inveuti fuit imagines illustrium virorum publice in templo, curiaque deponi et quasi dedicari. Sic Africani imago in Capitolio, Catonis Censorii in curia collocata. Valerius Max. 8, 15, 1. *Africanus imaginem in cella Jovis O. M. positam habet : quæ quotiescumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum est, inde petitur : unique illi instar atrii Capitolium est. Tam hercle quam superiori Catoni curia : unde effigies illius ad ejusdem generis officia expromitur. Gratum ordinem, qui utilissimum reipubl. senatorem tantum non semper secum habitare voluerit.* Sed cumulatius id fecit, ut apparet, Augustus, qui primarias imagines in curia collocavit, suis quasque locis distinctas : sive quis belli, sive pacis artibus claruisset. Ita supra c. 37 legimus, *Hortensii imaginem positam inter oratores :* idemque honos nunc Germanico petitus. Sed clypei nomine Tacitus cur usus ? quia imagines illæ, ut censeo, instar militaris clypei rotundæ, ex ære, auro, argento. Firmamentum aut lucem Exc. noster dabit, in *N.* Lips. Tales clypeos, extantibus protomis insignes, videsis in Bronzi di Ercolano t. 1. item in Le Plat, Marbres antiques de Dresde. In Augusti denariis clypeus signatus occurrit cum epigr. CLV. i. e. clypeus. Trebellius in Claudio 3, *expressam thoracem vultus* dicit. Ceterum res Germanici gestas in tabulis æneis 46 anaglyphis, a. 1772 prope Bonnam erutis, sistebantur, quas zonarius faber conflavit, duabus servatis, quæ instauratam herois valetudinem et funus exhibent. Sic res in novis Caroli quietanis a. 1773 narratur.

Adseveravit. Sic verissime restituit e cod. Flor. unico J. Gron. in quo legitur, *adseravit*, ut 3, 49., *adsevavit :* unde *adseveravit* dandum erat, non *adseruit*, quod hoc sensu non dici, constat inter doctos. Ern.

Qui Juniorum videbatur. Cur *Juniorum* dictus cuneus equestris ordinis ? Ut opinor, quia equites κατ' ἐξο-

turmæ idibus Juliis imaginem ejus sequerentur : pleraque manent, quædam statim omissa sunt, aut vetustas obliteravit.

LXXXIV. Ceterum, recenti adhuc mœstitia, soror Germanici, Livia, nupta Druso duos virilis sexus simul enixa est : quod, rarum lætumque etiam modicis penatibus, tanto gaudio principem adfecit, ut non temperaverit, quin jactaret apud patres, « nulli ante Romanorum ejusdem fastigii viro geminam stirpem editam. » Nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Sed populo, tali in tempore, id quoque dolorem tulit; tanquam auctus liberis Drusus domum Germanici magis urgeret.

χὴν *juventus* dicti, unde *princeps juventutis* pro principe ordinis equestris. Ern.

Uti turmæ. Ita accipio, ut in solenni illa transvectione equitum Germanici imago pro vexillo esset, quod sequerentur. 5, 4. *Quorum imagines pro vexillis secuti essent, duces imperatoresque diligerent.* Aliud autem transvectio equitum, aliud recognitio, sive censio, sive probatio, et cave ea confundas. Transvectio a Q. Fabio Rulliano instituta, ut Livius 9, 46. Valerius 2, 2, 9. auctores sunt; ejusque formam et quasi pompam graphice depinxit Dionysius 6, 13. ubi Idibus Quinctil. sive Juliis fieri solitam dicit, quia victoria ad lacum Regillum incidit in eum diem. Sed et *Castorum ædes Idibus Quinctil. dedicata*, ait Livius 2, 42. quorum honori præcipue transvectio instituta. At recognitio equitum, olim a censoribus singulis lustris : postea ab imperatoribus passim facta tempore non certo; idque non aliud fuit, quam censura quædam in equites equosque publicos, et quasi examen. Nos plura 1, 5. de Milit. Lips.

Duos virilis sexus. Disce ergo hinc, quod nondum alii, Tiberium illum Drusi F. Tiberii N. quem Caius sustulit, superfuisse ex his geminis : et ideo Gemellum cognominatum Et sane numismata quædam hujus Drusi ærea extare aiunt, in quibus expressa gemellorum capita surgentia e copiæ cornu. Lips. Is numus exhibetur ap. Torrent. ad Suet. Calig. 15. Ceterum, quia codex Flor. habet *viriles*, J. Gron. putabat Tacitum scripsisse *virile secus* : de quo vide ad 4, 62. Ern. De numo v. Eckhel. in Doctr. NN. vol. 6, p. 204 et 207.

Non temperaverit, quin jactaret. Ad verbum repetiit Suet. Cæs. 22. *quo gaudio elatus, non temperavit, quin jactaret.* Ern.

LXXXV. Eodem anno gravibus senatus decretis libido feminarum coercita, cautumque, « ne quæstum corpore faceret, cui avus, aut pater, aut maritus eques rom. fuisset. » Nam Vistilia, prætoria familia genita, licentiam stupri apud ædiles vulgaverat; more inter veteres recepto, qui satis pœnarum adversum impudicas in ipsa professione flagitii credebant : exactum et a Titidio Labeone, Vistiliæ marito, « cur in uxore delicti manifesta ultionem legis omisisset? » atque illo prætendente, « sexaginta dies ad consultandum datos, necdum præterisse, » satis visum de Vistilia statuere : eaque in in-

Senatus decretis. Quorum decretorum particula hæc apud Tertullianum de Pallio c. 4. *Habes spectare, quod Cæcina Severus graviter senatui impressit, matrona sine stola in publico. Denique Lentuli Auguris consultis, quæ ita sese exauctorasset, pro stupro erat pœna : quoniam quidem indices custodesque dignitatis habitus, ut lenocinii factitandi impedimenta, sedulo quædam desuefecerant.* Lips.

Apud ædiles vulgaverat. Minus expressa apud alios vestigia hujus moris : quæ hic in Tacito clara. Apparet autem, in stupra matronarum ordinis primi aut secundi graviter semper animadversum, ad servandum publicum decus : non tam graviter in libertinarum aut e plebe, quibus hæc militia venerea moribus tantum non permissa : quod vel ex Horatio, Ovidio aliisque liquere potest. Sic et illud patet, cuivis feminæ licitum fuisse vulgare corpus, modo apud ædiles id profiteretur. Cui professioni consequens, ut jure cederet et dignitate matronali, etiam, ut opinor, ornamentis, censereturque inter togatas. Quod facile adstruo ex Suetonii verbis in Tib. 35. *Feminæ famosæ, ut ad evitandas legum pœnas jure ac dignitate matronali exsolverentur, lenocinium profiteri cœperant : quas ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilio affecit.* Ut ergo ibi lenocinium profitebantur ad amittendum jus matronarum : sic hic stuprum eadem fine. Plura in Exc. *O.* Lips.

Exacta et a Titidio. Vertranius *exactum* : cui adsentio. Lips. Faernus putabat excidisse *ratio* : nec improbat Ursinus. Ern.

Ultionem legis. Int. accusationem ex lege. Sic *injurias legibus persequi s. judicio* : item *pœnas*, apud Cic. et alios. *Legem* autem intelligit Juliam de adulteriis. Sic videbatur etiam Freinshemio. Ern.

Sexaginta dies. Dies sexaginta dati lege Julia, a die divortii, marito ad accusandum. Clarum ex l. 11, 14, 15, ad legem Juliam de adulteriis. Lips.

sulam Seriphon abdita est. Actum et de sacris ægyptiis judaicisque pellendis : factumque patrum consultum, « ut quatuor millia libertini generis, ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniam veherentur, » coercendis illic latrociniis, et, si ob gravitatem cœli interissent, vile damnum : « ceteri cederent Italia, nisi certain ante diem profanos ritus exuissent. »

LXXXVI. Post quæ retulit Cæsar, « capiendam vir-

16. *In insulam Sardiniam veherentur.* Malim *devecherentur.* Roma scilicet per Tiberim. 3, 9., *mox Tiberi devectus.*

Actum et. Non tunc primum. Nam et Agrippa, præfectus urbi ab Augusto, sacra ægyptia repressit : edicto, ne quis ea intra quingentos ab urbe passus exerceret. Id accidit anno 733, ut habes apud Dionem 54, 6. Sed de hoc Tiberiano edicto capiendus Seneca epist. 108. *His instinctus abstinere animalibus cœpi : et anno peracto non tantum facilis mihi erat consuetudo, sed dulcis. Quæris, quomodo desierim ? In Tiberii Cæsaris principatum juventæ tempus inciderat : alienigena tum sacra movebantur : et inter argumenta superstitionis ponebatur animalium quorumdam abstinentia.* Apparetque, eum intellegere etiam judaica sacra, qui abstinuerunt animalibus quibusdam, ut sue. Quamquam et Romani postea diebus religiosis abstinere carne cœperint, ægyptio ritu. Spartianus in Juliano 3, *Sæpe autem, nulla existente religione, oleribus, leguminibusque contentus, sine carne cœnavit.* Lips. De Judæis sub Tiberio afflictis et Roma expulsis est locus elegans apud Philonem Legat. ad Caium p. 1015. ed. Frf. (p. 569. ed. Mangeanæ) : quamquam ille, si verum dicit Philo, non ad hæc tempora pertinet. Nam a Sejano contra Judæos incensum Tiberium tradit fictis criminibus : idque, sublato Sejano, vidisse Tiberium, ideoque ad præsides etiam provinciarum scripsisse, ut Judæis parcerent. Sed proprie huc pertinet locus Josephi 18, 3. ubi et Isiacorum et Judæorum pulsorum afflictorumque caussæ plane memorantur. Ern.

Quatuor millia. Josephus l. c. id deplorat, et ostendit in eo numero solos Judæos fuisse, cui subscribit Sueton. Tib. 36. *Judæorum juventutem, per speciem sacramenti in provincias gravioris cœli distribuit.* Huic calamitati occasionem caussamque præbuisse stupra quædam et fraudes tectas nomine religionis, Josephus ibidem describit, in historia Paullinæ et Mundi. Lips.

Libertini generis. Hoc genus maxime judaicis sacris addictum fuisse, etiam Philo auctor est l. c. p. 1014 (568). Ern.

Vile damnum. Acutius quam verius puto, quod Freinsh. conjicit. *Utile damnum* e Vell. 2, 46. Statius Theb. 1, 649.... *jacturaque vilior orbi Mors hominum.* Gron.

Capiendam virginem. Et de verbo,

ginem in locum Occiæ, » quæ septem et quinquaginta per annos, summa sanctimonia, Vestalibus sacris præsederat : egitque grates Fonteio Agrippæ et Domitio Pollioni, « quod, offerendo filias, de officio in rempubl. certarent. » Prælata est Pollionis filia, non ob aliud, quam quod mater ejus in eodem conjugio manebat : nam Agrippa discidio domum imminuerat. Et Cæsar, quamvis posthabitam, decies sestertii dote solatus est.

LXXXVII. « Sævitiam annonæ » incusante plebe, statuit frumento pretium, quod emptor penderet, « binos-

et de ritu toto, scripsi in proprio syntagmate *de Vesta* et *Vestalibus*. Lips. Gell. 1, 12. Ern.

Quæ septem et quinquaginta. At lex definiebat ministerio virginum tantum annos triginta. Spontanea igitur mansio Occiæ. Lips.

In eodem conjugio. Id est, univira esset, cujus rei honos. Tertull. de cast. exhort. 13, *Monogamia apud ethnicos in summo honore est : ut et virginibus nubentibus univira pronuba adhibeatur, et sic auspicii initium est. Item in quibusdam solennibus et auspiciis, ut prior sit univiræ locus. Certe Flaminica non nisi univira est*. Lips. Sive potius, non divortio abisset a marito. Patet ex iis, quæ de Agrippa subjicit. Sic placebat etiam Mercero. Ern.

Dissidio domum imminuerat. Scribendum *discidio* et hic et quotiescumque pro divortio hæc vox occurrit. Verissimum est enim, quod observavit Giphanius, male hoc nomine a Scioppio reprehensus, *dissidium* esse dissensum animorum, *discidium* disjunctionem, quæ fit corpore, loco, domo. Vide ad Liv. 25, 18. Gron. Vide quid prosit diligentia inspiciendorum librorum. Non opus erat conjecturis, nec dicendum erat Ryckio, ante hic *dissidio* lectum, se recipere *discidio*, si inspexisset veteres editiones. Beroaldus, ut J. Gron. monuit, plane expressit *discidio*, idque e cod. unico. Sed *discidio* etiam habent editiones Alciati, Rhenani, Aldi, Gryph. Non igitur recipitur, sed restituitur *discidio*. Adde ad 3, 34. Ern.

Decies sestertii dote. Numerus hic in dote, quod observavimus, inter honestiores quasi legitimus et solennis, notatque diserte Juvenalis 10, 335.... *et ritu decies centena dabuntur Antiquo*. Et Seneca Consol. ad Helv. 12. *Beatioresne istos putas, quorum pantominæ decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cujus liberi a senatu in dotem æs grave acceperunt?* Et Martialis non uno loco. Lips. Ursino magis placet : *Et Cæsar quamvis posthabitum decies sestertium, etc.* non, *sestertii*. Fallitur : nam *dos decies sestertium* latinum non est, sed *dos decies sestertii*. Gron. Est summa census senatorii illis temporibus. Ern.

Statuit frumento pretium. De modo

que numos se additurum negotiatoribus in singulos modios. » Neque tamen ob ea « parentis patriæ, » delatum et antea, vocabulum adsumsit, acerbeque increpuit eos, qui « divinas occupationes, » ipsumque « dominum » dixerant: unde angusta et lubrica oratio sub principe, qui libertatem metuebat, adulationem oderat.

LXXXVIII. Reperio apud scriptores senatoresque eorundem temporum, Adgandestrii, principis Cattorum, lectas in senatu literas, quibus « mortem Arminii » promittebat, « si patrandæ neci venenum mitteretur: » responsum esse, « non fraude, neque occultis, sed palam et armatum populum romanum hostes suos ulcisci. » Qua gloria æquabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem vetuerant, prodiderantque. Ceterum Arminius, abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo, regnum adfectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit:

pretioque annonæ, infra 15, 72. Lips. *Negotiatores* mox intellige frumentarios, ut in Sueton. Aug. 42. ubi male Casaubonus quosvis negotiatores intelligebat. Ern.

Acerbeque increpuit eos, qui etc. Suet. Tib. 27. *Alium dicentem sacras ejus occupationes; et rursum alium, auctore eo senatum se adisse: verba mutare, et pro auctore suasorem, pro sacris laboriosas dicere coegit.* Ern.

Ipsum dominum. Rectissime. Facta tantum suppetissent dictis. Nam domini vox proprie non nisi in servos, aut etiam conjunctos, de quo Exc. *P.* Lips.

Scriptores senatoresque. Non displiceat *senioresque*. Primum, quia sæpe advocat noster testes ejus ævi, qui fuissent in re præsenti, ut 3, 16., *Memini audire me ex senioribus, visum inter manus Pisonis libellum*, et 11, 28., *Verum audita scriptaque senioribus tradam.* Deinde, quia peccatum et alias in ea voce, ut 13, 50., *Sed impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere senatores, dissolutionem imperii docendo*, etc. ubi certe scribo, *seniores*, ut dicam in loco. Possit tamen aliquis defendere hic *senatores*: quia res quasi arcano acta in senatu. Sed viderit lector: a priori sententia Janus Douza est. Lips. Vulgatum defendunt Gruterus, Acidalius, Freinsh. quod mihi quoque magis probabile Ern.

liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi rom. sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit: prœliis ambiguus, bello non victus: septem et triginta annos vitæ, duodecim potentiæ explevit: caniturque adhuc barbaras apud gentes; Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus, recentium incuriosi.

Perinde celebris. Hanc terminationem pro masculino genere reperi etiam ap. auctorem ad Herenn. 2, 4. in libris, quos vidi. Alias optimi scriptores masculinum genus exprimunt *celeber*, ut in aliis prope omnibus hujus formæ adjectivis: in quibus soli fortasse aut maxime poetæ interdum etiam terminationem in *is* genere masculino usurpant, quod studiosi elegantiæ in scribendo non imitabuntur. Itaque quando pronus fui in hanc sententiam, ut Tacitum scripsisse putarem *celebratus*. Liv. 29, 26., *partim factis fortibus, partim suapte fortuna quadam ad ingentis incrementa gloriæ celebratus*. Nam MS. codicem horum librorum sæpe contractione vitiosa verborum peccare, jam aliquoties notavimus. Vide ad c. 63, ubi *reditus* pro *rediturus* etc. et 3, 17. Frustra sæpe in lexicis et indicibus laudatur hic nominativus, ut *locus celebris* in indice Quintiliani, et in thesauro latinæ linguæ; *celebris Deus* ex Tibullo etc. cum in locis iis, qui laudantur, casus obliqui sint. Sic Liv. 27, 1., *equestris tumultus*, sed edd. quædam vett. *equestres*, quod factum videtur ex *equester*. Similiter 27, 42, *equestris terror*. MSS. Put. Cantabr. *eques*, quod Salmasius et J. Gron. recte putant factum ex *equester*, idque restituit Drakenb. *Celebris* tamen in omnibus edd. est etiam 13, 47. 14, 19., unde et h. l. nihil mutare ausus sum. Ern.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER TERTIUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Agrippina, cum urna ferali, magno planctu passim excipitur. — II. Funerum solennia. Primores urbis obvii. — III. Tiberius, Augusta et Antonia publico abstinent. — IV. Mœror publicus. — V. Tiberius, parcus visus in honorando funere, — VI. excusat se et populum erigit. — VII. Justitium omissum. Drusus ad illyricos exercitus abit; — VIII. Piso ad Drusum, — IX. inde Romam alacri animo. — X. Mox accusatur. Princeps caussam ad senatum remittit. — XI. Patroni reo quæsiti. — XII. Tiberii oratio ad patres. — XIII. Accusatorum criminationem — XIV. reus male diluit. In eum judices haud proni; populus offensissimus. — XV. Plancina caussam suam dissociat. Pisonis mors, — XVI. dubium an jussu, et ad Tiberium codicilli. — XVII. Piso filius absolvitur. Plancina Augustæ precibus condonatur. Sententias in Pisonem — XVIII. princeps mitigat. Adulatio imprudens. — XIX. Drusus ovat. Vipsania moritur. — XX. Tacfarinas bellum in Africa renovat. — XXI. Id Apronii severitate opprimitur. — XXII. Lepida, suppositi partus, adulterii, veneficii accusata, — XXIII. Tiberio perplexe agente, damnatur. — XXIV. Silanus exilii veniam impetrat. — XXV. Lex Papia Poppæa. Delatores. — XXVI. Excursus de legibus, quæ initio paucæ et simpli-

ces, paullatim primo, — XXVII. deiu immensum auctæ. — XXVIII. Earum correctio tentata. — XXIX. Nero Germanici, ad honores promotus; Juliam ducit, Drusi filiam. — XXX. Volusii et Sallustii mors et elogium. Aulæ potentia infida.

XXXI. Tiberius et Drusus coss. Irreverentia juventutis notata. Viarum cura. — XXXII. Tacfarinas turbat iterum. Lepidus Asiæ proconsul. — XXXIII. Uxores a provinciis arcet Cæcina; — XXXIV. ei repugnat Val. Messalinus, adstipulante Druso. — XXXV. Blæsus proconsul Africæ. — XXXVI. Abusus imaginum principalium — XXXVII. repressus a Druso. — XXXVIII. Accusati repetundarum, majestatis. Thraciæ motum — XXXIX. Velleius comprimit. — XL. Gallia ducibus Floro et Sacroviro rebellat. — XLI. Andecavos coercet Aviola; Turonios opprimit. — XLII. Florus sua manu cadit. Finis Treverici tumultus. — XLIII. Æduos turbat Sacrovir; — XLIV. Romam percellit, non Tiberium. — XLV. Silius — XLVI. Gallos fundit, crupellarios cædit. Sacrovir sibi manum infert. — XLVII. Tiberius simulat iter in Gallias. — XLVIII. Quirini mors honestata. — XLIX. Lutorius accusatus — L. defenditur a Lepido, — LI. necatur in carcere. SC. de differenda pœna.

LII. Ædiles de luxu coercendo agunt. Senatus rem remittit ad principem. — LIII, LIV. Hic medicinam a tempore sperandam pronuntiat. — LV. Paullatim sponte mutati mores. — LVI. Tribunitia potestas petita Druso et — LVII. impetrata cum adulatione patrum. — LVIII. Flamen dialis ambit provinciam. — LIX. Alii obsistunt. Drusus superbia notatur. — LX—LXIII. Imago libertatis. Asyla græcarum civitatum senatus examinat et modum præscribit. — LXIV. Augustæ morbus. Tiberii in matrem non sincerus amor. — LXV. Tempora fœda adulatione infecta. — LXVI. C. Silanus, repetundarum et majestatis postulatus — LXVII. a multis urgetur et a principe ipso et — LXVIII. damnatur. Dolabellæ adulationem — LXIX. reprimit Tiberius et sententias mitigat. — LXX. Cordus, Ennius, Capito rei. — LXXI. Equestris Fortuna. Jus flaminium. — LXXII. Basilica Paulli.

Pompeii theatrum. — LXXIII. Tacfarinatis petitio impudens. — LXXIV. Blæsus eum adgreditur, fratrem ejus capit; nec bellum conficit. — LXXV. Mors Salonini, Capitonis, — LXXVI. Juniæ, cujus solenne funus. Hæc triennio gesta,

M. VALERIO ET M. AURELIO COSS.

TIBERIO IMP. IV. ET DRUSO NERONE II. COSS.

C. SULPICIO ET D. HATERIO COSS.

I. Nihil intermissa navigatione hiberni maris, Agrippina Corcyram insulam advehitur, litora Calabriæ contra sitam. Illic paucos dies componendo animo insumit, violenta luctu, et nescia tolerandi. Interim, adventu ejus audito, intimus quisque amicorum, et plerique militares, ut quique sub Germanico stipendia fecerant, multique etiam ignoti vicinis e municipiis, pars officium in principem rati, plures illos secuti, ruere ad oppidum Brundisium; quod naviganti celerrimum fidissimumque adpulsu erat. Atque, ubi primum ex alto visa classis, complentur non modo portus et proxima maris, sed mœnia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat, mœrentium turba et rogitan-

COMMENTARIUS.

Ut quique. Sic cum J. Gronovio restitui, quod præter citatos ipsi libros habet etiam ed. Rhenani, Gryphii. Alii, J. F. Gron. Ryckius *quisque.* Ern.

Fidissimumque. Sic præter libros J. Gronovio laudatos, Rhenanus. Male irrepserat *fidelissimum*, quod verbum illi etiam alibi a librariis et operis typographicis substitutum est. Ern. Ceterum apta vox. Virg. Æn. 2, 23., *Statio malefida carinis.* ib. 400., *litora cursu fida.*

Proxima maris. Legendum *mari* censent Muretus, Freinshemius, Ryckius. Sane *proxima maris* proprie sunt pars maris proxima, non loca mari vicina. Ern. Nil mutandum, nam eo sensu adjectiva vicinitatem notantia etiam cum genitivo struuntur. Sic H. 5, 16., *propiora fluminis*, et 3, 42., *per proxima litorum.* Sallust. Jug. c. 48., *Media planities deserta, præter fluminis propinqua loca.* ubi plura. Wopk.

tium inter se, « silentione, an voce aliqua egredientem exciperent? » neque satis constabat, quid pro tempore foret: cum classis paullatim successit, non alacri, ut adsolet, remigio, sed cunctis ad tristitiam compositis. Postquam duobus cum liberis, feralem urnam tenens, egressa navi, defixit oculos, idem omnium gemitus: neque discerneres, proximos, alienos, virorum feminarumve planctus: nisi quod comitatum Agrippinæ, longo mœrore fessum, obvii et recentes in dolore anteibant.

II. Miserat duas prætorias cohortes Cæsar, addito, « ut magistratus Calabriæ Apulique et Campani suprema erga memoriam filii sui munera fungerentur. » Igitur tribunorum, centurionumque humeris cineres portabantur: præcedebant incompta signa, versi fasces: at-

Successit etc. Portum ingressa est. *Succedere tectis* et similia frequenter apud Virgilium in primis, et alios. Sic etiam *subire* idem Virgilius Æn. 5, 281. ubi Burmannus e Plinio Ep. 9, 26. laudat *subire portum*. Ceterum locus virgilianus maxime illustrat nostrum. Sergesti navis amiserat remorum unum ordinem. Hinc tarde movebatur. Sed ut, de more, alacriter portum ingrederetur, *Vela facit tamen et plenis subit ostia velis:* velificatione usus pro remigatione. Illustrant etiam, quæ viri docti de formula *inhibere remis*, quod faciunt ingressuri portum, dixere. Gronov. Obs. 4, 26. et alii ad Cic. Att. 13, 21. Ern.

Duobus cum liberis. Julia, in Lesbo anno superiori nata. Vid. 2, 54., et filio nescio quo. Ern.

Feralem urnam. Respice adnotata ad 2, 75.

Defixit oculos. In terram de more tristium, e Virgil. Æn. 6, 469. Ern. Immo et in urnam. Frustra Muretus et alii: ubi omnium oculos in se convertit.

Et recentes in dolore. Bongarsius deleri volebat *in*, ut 1, 41., *recens dolore et ira*, aut ut referretur ad *anteibant*. Ern. Alias præp. *a* poni solet. Sic Virg. Æn. 6, 450. *Recens a vulnere Dido*. Auctor tamen ad Herenn 2, 7., *Recentior in dolore*. — Fors *ut recentes*. Wopk.

Magistratus Calabriæ. Municipales duumviros, quinqueviros, et similes interpretatur Muretus. Recte. Ern.

Incompta signa. De ornatu signorum dixi ad 1, 24. De versis fascibus res sic habet. In dolore, quia omnia fieri præter morem amant, etiam lictores fasces præferebant inversos. Pedo in Eleg. ad Liviam 142. *Quos primum vidi fasces, in funere vidi: Et vidi versos, indiciumque mali*. Statius Theb. 6. 214. ... *versis ducunt insignibus ipsi Grajugenæ*

que, ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia, cremabant. Etiam quorum diversa

reges. Nec fasces solum suos lictores, sed milites invertebant etiam scuta et arma. Virg. Æn. 11, 93. ....*et versis Arcades armis.* manentque in militia nostra hodie vestigia ejus ritus. Adde, quod non indignum monitu, versionem hanc armorum, non luctus solum notam fuisse, sed etiam transfugii et defectionis. Ammianus 26, 9. Sed quare hic, aut unde fasces? neque enim populi romani magistratus adfuisse video. Respondeo, signa quidem prætorianorum fuisse: at fasces ipsius Germanici defuncti, qui cineribus præferebantur, insignia nuper potestatis. Addo, quod designatores lictores eos habere soliti, qui funeris ordinem et solennia curabant. Lips.

Trabeati equites. Trabea quid ad luctum? nihil. Immo contra utebantur ea in diebus solennibus lætisque, ut in equitum transvectione: quod Dionysius notat Ant. 6, 13. Sed et Domitiano decretum per honorem, ut quotiens consulatum gereret, *equites romani, quibus fors obtigisset, trabeati et cum hastis militaribus præcederent eum, inter lictores apparitoresque.* Sic Suet. 14. Denique nusquam trabea in luctu? Equitesque Romæ toga pulla usi in funere, ut reliqui cives. Credo igitur, vestem hanc trabibus purpuræ intextis (id enim trabea) sumptam hic, non doloris indicium sed ordinis: ad discriminandum, inquam, in coloniis equitem a plebe, et splendorem funeri conciliandum. Trabeæ enim propriæ equitum: (nam grammaticorum inventa hic non moror, qui faciunt etiam regum, ducum, augurum) et ideo *trabeata agmina*, ipsi equites Statio, in Epulo Domitiani Silv. 4, 2, 32. *Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Cæsar Agmina mille simul jussit discumbere mensis.* et 5, 2, 15. ad Crispinum: quem locum fusius adscribam, quia mei eget..... *non te series inhonora parentum, Obscurum proavis, et priscæ lucis egentem Plebeia de stirpe tulit: non sanguine cretus Turmali trabeque ac remis, et paupere clavo Augustam sedem et Latii penetrale senatus Advena pulsasti: sed præcedente tuorum Agmine.* Vere enim emendo, *non sanguine cretus turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.* Id est, non tu ex plebe satus, immo nec ex ordine equestri: quem deinde describit tribus notis, luxuria non indecora ingenii, ut solet in illo poeta. *Turmalem sanguinem* vocat; quia propriæ equitum turmæ: *trabeam Remi*, quia ii trabeati, exemplo regum: *pauperem clavum*, id est, angustum et artum, qui ordinis equestris. Lips. Quæ de trabea hic disputantur, partim confirmantur, partim emendantur a Rubenio de Lato Clavo 1, 5. De usu trabeæ in funere Germanici Lipsio consentit Ferrar. de Re Vestiar. P. 1. l. 2, 6. Ern

Funerum solennia. Observa hunc ritum, quod alibi defunctis, et usto jam cadavere, nihilominus non aras tantum statuebant, sed struebant et accendebant rogos, quasi verum ibi funus et cadaver esset. Ostendit hic locus, et Senecæ ad Marciam c. 3.

oppida, tamen obvii, et victimas atque aras diis manibus statuentes, lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Drusus Tarracinam progressus est cum Claudio fratre liberisque Germanici, qui in urbe fuerant. Consules, M. Valerius et C. Aurelius (jam enim magistratum occœperant) et senatus ac magna pars populi viam complevere, disjecti, et, ut cuique libitum, flentes. Aberat quippe adulatio, gnaris omnibus lætam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.

III. Tiberius atque Augusta publico abstinuere, inferius majestate sua rati, si palam lamentarentur, an ne, omnium oculis vultum eorum scrutantibus, falsi intelligerentur. Matrem Antoniam non apud auctores re-

de Druso, hujus patre, qui in Germania obierat, et reliquiæ item relatæ: *Mater longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret.* Ait, *per omnem Italiam:* in coloniis nempe et municipiis, qua transibant: ut hic. Lips.

Diversa oppida. Vide dicta ad 2, 60. Ern.

C. Aurelius. Sic cod. Flor. edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi, Gryphii. *M.* est ex emendatione, ducta e catalogo coss. in Dionis libris, et Cassiodoro, quorum, ut recte judicat Jac. Gron. non est ea auctoritas, ut propterea aliquid in Tacito contra cod. scriptum debeat mutari. Ern. De consulibus ipsis vid. notata Ryckii ad h. l.

Magistratum occœperant. Ergo Januario hæc mense gesta. Lips.

Disjecti. Satis hoc mirum, ubi coss. et senatus; qui solent ordine et composite incedere sive stare. Sed hic apparet aliter factum, sparsosque fuisse: an quia sponte venerant? an id quoque testando dolori? ea confusio videtur adhærere, nec decori cura. Lips. Possis etiam ad solum populum referre. Ern.

Aberat quippe adulatio. Reddit rationem, quare incomposite, sine arte, sine ambitione, atque ut natura dabat, doluerint: nempe qui et vere lugebant, sibi lugebant, non principi, suo dolori dabant, non alieno commodabant et venditabant lacrimas: dolendo non adulabantur Tiberium, quippe quem nemo ignorabat gaudere morte Germanici, utcumque tristitiam fingeret. Gron.

Matrem Antoniam. Hæc illa est Antonia Drusi, quam Plinius 7, 16., ait, nunquam spuisse: illa, quam Valerius 4, 3, 3. mire laudat a continentia et amore in conjugem. Lips.

Apud auctores rerum. Sic hoc ipso libro c. 30. *C. Sallustius rerum romanarum florentissimus auctor.* Ern.

rum, non diurna actorum scriptura, reperio, ullo insigni officio functam; cum, super Agrippinam et Drusum et Claudium, ceteri quoque consanguinei nominatim persoripti sint: seu valetudine præpediebatur, seu victus luctu animus magnitudinem mali perferre visu non toleraverit: facilius crediderim, Tiberio et Augusta, qui domo non excedebant, cohibitam, ut par mœror, et matris exemplo avia quoque et patruus attineri viderentur.

IV. Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies:

Diurna actorum scriptura. De actis diurnis abunde dictum a nobis ad Suet. Excursu 1. Dixit autem inverse pro *diurnorum actorum scriptura*, cujus formæ multa exempla apud prosaicos hujus ætatis. Vid. dicta ad eandem Sueton. Excursu 9 Add. ad 4, 32. Ern.

Perferre visu non toleravit. Visu est ablativus absolutus, pro *si videret*, ut c. 14. Sed qui modus loquendi: *perferre toleravit? Perferre* et *tolerare* idem est. Nisi *toleravit* idem est, quod *ausa est*, quod non puto. Τὸ *perferre* pro insititio habendum videtur, quo in margine quis τὸ *toleravit* explicavit. Sed tamen et sic duriusculum est, *magnitudinem non toleravit*, pro, non putavit se tolerare posse. An fieri possit, *non speravit?* Ern. Pleonasmus iste non infrequens est. Sic *ferre et perpeti*, *perferre et pati* ap. Cic. Phil. 3, 11. Horat. Ep. 1, 15, 17. (* et Liv. 10, 11.) Hillero τὸ *tolerare* idem videtur ac τολμᾶν, audere, ut ap. Budæum in Comm. Gr. L. p. 467. (999) ἀνέχειν et ὑπομένειν jungi docentur. Sane salva est lectio recepta.

Par mœror et m. e. Heinsius l. c. concinnius fore putat: *pari mœrore et m. e.* Non puto. In *par mœror* intell. *videretur*. Ern. — Malim *esset*. Ita verbum substantivum frequens subauditur, ut 1, 7. H. 1, 5. 3, 31. 4, 18. Vita Agric. 35. Wopk.

Per silentium vastus. Pichena malebat *vastum*. At mihi falli vir optimus videtur. Nam, si *vastum silentium* accipimus, tam dies inquies fuit silentio quam ploratibus. At quid est *per silentium inquies?* Apud Ovidium in regia Somni Met. 11, 602. *Muta quies habitat.* Apud Statium *pressisque silentia pennis Muta sedent.* Si ἀντὶ τοῦ *inquies* apud Tacitum esset *varius*, tolerarem. At Tacitus utrique proprium assignat verbum. *Dies magna* dicitur, quo magna res gesta est: *dies faustus*, quo quid feliciter evenit. Sic *dies vastus per silentium* est pars diei silentium habens, quasi in vasta solitudine. Interdum præ nimio dolore stupentes conticuerant et in tanta multitudine erat silentium loci vasti et deserti: interdum ploratus quietem turbabat. Sic c. 9. *die frequenti*,

plena urbis itinera; collucentes per campum Martis faces. Illic miles cum armis, sine insignibus magistratus, populus per tribus, « concidisse rempubl. nihil spei reliquum, » clamitabant; promptius apertiusque, quam ut meminisse imperitantium crederes. Nihil tamen Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam; cum « decus patriæ, solum Augusti sanguinem, unicum antiquitatis specimen » adpellarent, versique ad cœlum ac deos « integram illi subolem, ac superstitem iniquorum, » precarentur.

V. Fuere, qui « publici funeris pompam » require-

est parte diei, qua hominum frequentia in publico versatur. Gron. Idem tropus apud Ennium in Iphig. notatur a Servio ad Æn. 1, 56., ubi *vasta virgo* pro desolata.

Collucentes per campum. Dixit ad morem priscum: quo ii, qui funus prosequebantur, cereos manibus gestabant, candelas, funalia, faces. Donatus id obtinuisse eo censet, quia noctu olim cadavera solita efferri. Super hoc more Excurs. in *A.* Lips.

Miles cum armis. Sic 1, 8. *Die funeris milites velut præsidio stetere.* Gron. Sic etiam Muretus. Non credo. Etiam funeri Drusi milites cum armis adfuere, sed non præsidii caussa, verum ut cum populo exequias celebrarent. Albinovanus ad Liviam v. 217. *Armataque rogum celebrant de more cohortes: Et pedes exsequias reddit equesque duci.* Ern.

Sine insignibus magistratus. Id est, sine toga prætexta, sine anulis, sine lato clavo. Quæ omnia accurate mihi dicta in scripto de funeribus singulari. Lips.

Populus per tribus. An in tribus divisus et digestus, ut unaquæque tribus suum proprium locum haberet? Non puto. Videtur intelligi simpliciter populus universus, et modus loquendi adhibitus iste, ut prioribus membris aptius responderet ultimum. Ern.

Solum Augusti sanguinem. Non vere: plures erant, ut Lepidi et Silani, ex Julia nepte; sed reliquos velut degeneres, credo, arguunt, hanc solam Augusto dignam. Lips.

Unicum antiquitatis specimen. Perfectissimum exemplar antiquæ virtutis femineæ apud Romanos: formam loquendi copiose illustrat, more suo, Broukhusius ad Propertium 4, 11, 93. Ern.

Superstitem iniquorum. Forsitan *inimicorum*, Rhenanus. Hodie notissimum est, *iniquos* etiam inimicos dici. *Dii iniqui* sunt inimici, adversi, irati, ut exemplis non sit opus. Ern. —* Cf. Cic. fam. ep. 11, 27. in Vert. 5, 69. pro Sylla 19 et 23.

Publici funeris pompam. I. e. talem, qualis esse deberet in funere publico, qualis in funere Drusi fuis-

rent, compararentque, « quæ in Drusum, patrem Germanici, honora et magnifica Augustus fecisset. Ipsum quippe asperrimo hiemis Ticinum usque progressum, neque abscedentem a corpore simul urbem intravisse : circumfusas lecto Claudiorum Liviorumque imagines : defletum in foro, laudatum pro rostris : cuncta a majoribus reperta, aut quæ posteri invenerint, cumulata. At Germanico ne solitos quidem, et cuicumque nobili debitos, honores contigisse. Sane corpus, ob longinquitatem itinerum, externis terris quoquo modo crematum : sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima

set, ut facile patet e sequentibus. Sic recte Freinsh. et alii. Non posuissem hæc, nisi Vertran. ad h. l. nota doceret, posse alicui hæc obscura videri et male intelligi. De funere publico alio loco dicetur. Ern.

Ticinum usque. Vide quædam non valgata apud Valerium Max. 5, 5. Lips.

Claudiorum Juliorumque imagines. Drusus hic in Juliam familiam *ne adoptione quidem* venit : unde ergo in pompa funebri imagines illi gentis Juliæ ? nisi forte, quia mater deducta in domum Augusti. Hæc et talia de summo pectore dici possunt ; at mihi nondum eviluit conjectura mea, *Liviorum.* Caussa duplici : primum, non præposnisset Claudios Juliis Tacitus. Id nefas. Deinde cum a patre latæ imagines, cur omissæ a matre, quæ præsertim antiquæ, et multæ ? Lips. Add. Epist. Quæst. 4, 3. Sic et Muretus, Freinsh. et alii. *Julii* et *Livii* sæpe in libris scriptis permutantur, ut (et *Livius* et *Lælius*) ap. Liv. 22, 35. Est hæc emendatio, mea opinione, ita certa, ut eam in textum recepe-

rim, etsi e nota Ryckii intellexi, tamen alicui vulgatum rectum videri posse. Quamquam ejus ratio admodum levis. Nec quisquam poterit docere, vitricorum imagines, omissis maternis, in funeribus prælatas ; estque id credere perabsurdum. Ceterum, qui *Juliorum* defendere et nos reprehendere volet, id debebit docere. Frustra obloquitur etiam Mattius Opinion. 1, 19., qui conatur ostendere, adoptatum in Juliam familiam Drusum. Ea omnia falsissima sunt. Nec magis valet Broterii ratio, qui ob Augusti benevolentiam dicit Juliorum imagines prælatas. Sit ita. Sed, an propterea Liviorum imagines remotæ : saltem et hæ debebant commemorari. Ern.

Sane corpus. Ferendum esse, quod corpus sine solita magnificentia crematum ; quia procul Roma id factum sit. 11, 23., *fruerentur sane vocabulo civitatis.* Ern.

Quanto prima. Legendum, *quando*, putabat Muretus : male. Dixit more suo, pro : quanto magis ab initio, statim post mortem, sors negavisset debitos honores sepulturæ. Vid. ad 1,

fors negavisset. Non fratres, nisi unius diei via, non patruum, saltem porta tenus, obvium. Ubi illa veterum instituta? propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina et laudationes et lacrimas, vel doloris imitamenta? »

57. Ern. — Similis structura 1, 68. 4, 48. 6, 45. Wopk.

Non fratrem. Scribe, *fratres*, nisi sui et historiæ oblitus Tacitus. Duo enim Germanico superstites fratres, Claudius natura, adoptione Drusus, semperque eo nomine etiam hunc noster insignit. Scripsit autem supra, Drusum et Claudium Tarracinam usque progressos. Lips. Mirifici sunt homines eruditi in defendenda vulgata: Claudium non pro homine habitum; qui tamen supra memoratur: per invidiam unum commemoratum; quasi hoc esset invidiam facere, si aperte mentiaris. Supra 2, 71. etiam commemoratur *frater*: sed ibi alia ratio est, ut ibi dixi. Una ratio vulgatæ defendendæ est, si dicas intelligi *ullum*, *aliquem*. Sed Lipsium verum vidisse puto. Ern. Recte *fratres*: nec obstat, quod dicendum foret obvios. Ad proximum substantivum refertur *obvium*, ut sæpe solet.

Veterum instituta. Bene instituta dixit, quia idoneis de caussis, et virtutis studii injiciendi caussa mores isti recepti, ut præclare demonstrat Polybius 6, 51. quem locum velim legi in primis a tironibus. Ern.

Toro effigiem. Ritum fuisse arbitror, ut, si cadaver adhuc vegetum et coloratum, ipsum in toro sive lecto ostenderetur: sin autem (ut in peregre functis, aut diu functis) aut non esset cadaver, aut decore proponi non posset, tum effigies cerea ejus loco in lecto ostenderetur. Colligo ex hoc loco, tum Dionis de Augusto, qui Nolæ obierat, 56, 34., *lectus erat*, inquit, *ex auro et ebore, purpureis auratisque stragulis: in cujus ima parte cadaver arcæ inclusum latebat; effigies autem ejus cerea triumphali habitu supra apparebat.* Idem in Pertinacis funere, quod ei Severus solenniter duxit, adnotavit idem scriptor, 74, 4. et in ipsius Severi Herodianus 4, 3. Lips. Ceterum Muretus, Grotius, Ryckius scribi volunt *propositam*: quod est verbum proprium in hac re: Græci dicunt similiter προτιθέναι, ut Herodianus l. c. Verum puto. Sic noster Hist. 1, 78., *fuere qui imagines Neronis proponerent*, ubi v. Gronov. et in Diatr. in Stat. c. 6. Præpositiones *pro* et *præ* in compositis centies permutantur in libris. Saltem longe melius hoc, quam Jac. Gronovii *repositam* e Virgil. Æn. 6, 220., *membra toro defleta reponunt. Propositam* etiam probat. Heins. in Obs. Misc. l. c. p. 388, quem etiam vide ad Petron. c. 40, ubi, si quis vellet scribi *toralia reposuerunt uxoris*, facilius probarem quam in h. l. Ern. *Propositam* in textum recepi. Sic et Suet. Galba 10.

Vel doloris imitamenta. Simile in Claudii funere, 13, 4. *Ceterum peractis tristitiæ imitamentis.* Lips. *Vel* non disjunctive capio cum Freinshemio, sed pro *saltem*. Sensus est, ut, si non vero dolore moverentur, saltem imitarentur simularentque dolorem. Nam istis ipsis rebus, quæ comme-

VI. Gnarum id Tiberio fuit; utque premeret vulgi sermones, monuit edicto: « Multos illustrium Romanorum ob rempubl. obiisse; neminem tam flagranti desiderio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adjiceretur: non enim eadem decora principibus

moratæ sunt, imitari dolorem solent, eædemque l. c. imitamenta doloris dicuntur. Ern.

Gnarum id Tiberio fuit. Delendum putat Muretus verbum *fuit*. Sic 1, 5., *gnarum id Cæsari*. Item 2, 20., *nihil ex iis incognitum Cæsari*. Sed nulli tali legi se adstrinxit Tacitus, omittens interdum hoc verbum, interdum addens. Non bene viri docti, quod semel aut aliquoties dixit Tacitus, id eum ubique ac semper cogunt dicere. Nemo ita in dicendo ac scribendo constans, ac semper sibi similis est. Ern.

Monuit edicto. Ita moris ætate illa, ut princeps populum peccantem aut exorbitantem alloqueretur per libellum, coerceretque. Eo respicit metaphora scita Senecæ epist. 94. *Præcepta sapientiæ, quæ affectus nostros velut edicto coercent et obligant:* et cave quidquam ibi mutes. Lips.

Idque et sibi et cunctis. An non magis, *et functis?* in vulgata mihi frigus. Lips. Mihi multo majus frigus in τῷ *functis*. Quid enim? an *functis* vel mortuis egregium erat, quod nemo eorum tam flagranti desiderio celebratus esset? Immo et sibi, inquit, honestum decensque esse, et omnibus, qui sic Germanicum desiderarent. Malnit autem dicere *cunctis*, quam *populo romano*, quia mox voce *populi* usurus erat. Nam gravi luctu et sibi honorem habitum significat, cui proximus erat Germanicus, et ipsos lugentes laudem mereri, quod sic testarentur, quanti virtutes ejus facerent. Gron. Recte. Sed *idque* esse vitiosum suspicor, pro eoque legendum *itaque*. Clarum enim videtur, e consuetudine majorum colligi, quid deceat. Ern. Bene Crollius et Wopkens. commentum hoc rejiciunt. Recte se habet *idque*. Perperam quoque suspectum est Ernestio τὸ *adjicere*. Ulpianus l. 1, de Offic. procons.: *Non in totum xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adjicere.*

Non enim eadem decora. Sententia commoda: non eadem decere principes viros primoresque in republica, et ipsum imperatorem; eadem, inquam, quæ populum. Huic luctum permitti, at non illis. Plane hoc ipsis Tiberii verbis quasi expressum voluit Pedo v. 347. *Non eadem vulgusque decent, et culmina rerum.* Ennius poeta, apud D. Hieronymum in Epit. Nepotiani: *Plebs hocce regi antistat; in loco licet Lacrimare plebi, regi honeste non licet.* Similia Euripides in Iphigenia v. 446. At vero in Taciti verbis, legebam olim: *Non enim decora eadem principibus viris et imperatori populo. Modicis domibus*, etc. Populus imperator et principes, Romani sunt: ideoque contra, de *modicis civitatibus* mox sequitur. Probat Pichena; sed hoc amplius vellet: *populo, quæ mod. d. a. civitatibus. Convenisse*, etc. Lips. Olim erat: *et imperatori populoque modicis d. a. civitatibus convenisse* etc. quod nunc est in textu e MS. unico resti-

viris et imperatori populo, quæ modicis domibus aut civitatibus. Convenisse recenti dolori luctum, et ex mœrore solatia : sed referendum jam animum ad firmitudinem, ut quondam D. Julius, amissa unica filia, ut D. Augustus, ereptis nepotibus, abstruserint tristitiam. Nil opus vetustioribus exemplis : quotiens populus romanus clades exercituum, interitum ducum, funditus amissas nobiles familias constanter tulerit. Principes mortales, remp. æternam esse : proin repeterent solennia : et, » quia ludorum Megalesium spectaculum suberat, « etiam voluptates resumerent. »

VII. Tum, exuto justitio, reditum ad munia; et Dru-

tutum a Pichena. Ern. Cum Pichena faciunt Muretus et Acidalius.

Recenti dolori. Sic MS. Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus, quod cur mutaretur, nulla necessitas fuit. Itaque restituimus, pro *dolore*. Ern.

Ex mœrore solatia. Satis acute Joh. Chifletius in ep. ad Lipsium in Burm. Syll. t. 1, p. 727. substituere tentat *silentia*. Verum id non necesse. *Expletur quippe lacrimis egeriturque dolor*. Ovid. Trist. 4, 3, 38.

D. Julius. V. Sen. Cons. ad Marc. c. 14.

D. Aug. Respice ad 1, 3.

Abstruserint. Acidalius conjiciebat : *absterserint* : frustra, ut opinor. Vulgatum exquisitius est. Ern. Sic et 15, 5. *metu abstruso*. Cf. et Arnzenius ad Plin. paneg. c. 45, ubi *bonos otio aut situ abstrusos et quasi sepultos*.

Funditus amissas nobiles. Respicit Fabiam familiam, et vulgarem traditionem sequitur, de qua Perizon. Animadv. Hist. c. 5, p. 193. f. Ern.

Megalensium spectaculum suberat. Vides ergo multum temporis intercessisse a die mortis Germanici. Nam mortuus ipse extremo novembri : quod facile colligo ex Suetonii verbis scribentis in Calig. 6. *Et, ut fato functum palam factum est, non solatiis ullis, non edictis inhiberi luctus publicus potuit, duravitque etiam per festos decembris mensis dies*, id est, per Saturnalia, quæ medio decembri. At Megalensium spectaculum, de quo nunc, incidit in nonas apriles, per quas, LVDI. MATRI. MAG. ut in kalendario notatum. Lips. In cod. MS. est *Megalesium*, et in edd. veteribus: itaque restitui. Sic et in aliis auctoribus boni libri scripti et editi habent. Vid. copiose de hac scriptura dicentem Dukerum ad Liv. 34, 54. Ceterum miror, Ryckio *τὸ suberat* suspectum esse, et pro eo velle rescribi *subierat*, quod *subesse*, pro instare, non reperiatur. Si *subire* est prope accedere, adpropinquare, cur non *subesse* prope esse, adesse : et sic Plancus ad Cic. 10, 21. *subesse propinquis locis*. Ern. — Sic et Cic. pro Mil. 16. Hegesipp. 1, 8. Ovid. Met. 11, 234. Wopk.

sus Illyricos ad exercitus profectus est, erectis omnium animis spe petendæ e Pisone ultionis, et crebro questu, « quod, vagus interim per amœna Asiæ atque Achaiæ, adroganti et subdola mora scelerum probationes subverteret. » Nam vulgatum erat, *missam*, ut dixi, « a Cn. Sentio famosam veneficiis Martinam, subita morte Brundisii exstinctam, venenumque nodo crinium ejus occultatum, nec ulla in corpore signa sumpti exitii reperta. »

VIII. At Piso, præmisso in urbem filio, datisque mandatis, per quæ principem molliret, ad Drusum pergit: quem haud fratris interitu trucem, quam remoto æmulo æquiorem sibi sperabat. Tiberius, quo integrum judicium ostentaret, exceptum comiter juvenem, sueta erga filiosfamiliarum nobiles liberalitate auget. Drusus

Petendæ e Pisone ultionis. Freinsh. conjicit, *sed petendæ* etc. Heinsius *ultioni*: sed deinde corrigit se, et vulgatam defendit aliis Taciti locis c. 9, 27. 41. quibus alia addi facile possent. Ita intelligendum *caussa*. Sed an dicimus: *erecti sunt animi propter petendam ultionem?* Immo, *in ultionem, ad petendam ultionem*. Liv. 21, 20., *erecti in expectationem belli*. Cic. Phil. 4, 5., *erecti ad libertatem recuperandam*. Sed pro eo dices tu quidem *libertati recuperandæ*, stylo Taciti, non *propter libertatem recuperandam*. Ceterum Freinshemii conjecturam veram puto. Literæ *spe* semel in antiquis libris scriptæ bis legendæ erant: cujus negligentia aut inscitia et alia loca corrupta. Sperabant Drusum ultionem sumturum a Pisone: ecce ille abit ad exercitum. Ern. Loca ab Heinsio allata nil probant. Ibi *caussa* subauditur, quod hic non valet. Excidisse puto *spe*; restitui.

Vagus interim. Heinsius conjicit *itinerum*. Frustra. Ern.

Ut dixi. Cf. 2, 74.

Quem haud fr. int. t. quam. Pro, *non tam* ellipseos τοῦ *tam* in hac constructione etiam alia exempla notata Mureto ad h. l. Vid. Cortius ad Sall. Jug. c. 100, et Drakenb. sæpe ad Livium. Similiter noster loquitur infra c. 17. Et 13, 23., *tam* ante *quam* aberat a cod. Budensi. Ern.

Sueta erga fil. Mos igitur fuit, principem donare aliquid filiis præsidum, qui e provinciis redirent, atque ipsum adirent. Exempla velim notari. Lips.

Erga filiosfamiliarum. Filiosfamiliarum, una voce legendum monuit Mercerus, et recepit Pichena. In cod. Flor. sic esse testatur Jac.

Pisoni, « si vera forent, quæ jacerentur, præcipuum in dolore suum locum, » respondit; « sed malle falsa et inania, nec cuiquam mortem Germanici exitiosam. » Hæc palam, et vitato omni secreto: neque dubitantur præscripta ei a Tiberio, cum incallidus alioqui et facilis juventa, senilibus tum artibus uteretur.

IX. Piso, Dalmatico mari tramisso, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adsequitur legionem, quæ e Pannonia in urbem, dein præsidio Africæ, ducebatur: eaque res agitata rumoribus, « ut in agmine atque itinere crebro se militibus ostentavisset. » Ab Narnia, vitandæ suspicionis, an, quia pavidis consilia in incerto sunt, Nare ac mox Tiberi devectus, auxit vulgi iras, quia navem tumulo Cæsarum adpulerat; dieque et ripa frequenti, magno clientium agmine ipse, feminarum comitatu Plancina, et vultu alacres incessere. Fuit inter irritamenta invidiæ domus foro imminens, festa ornatu, conviviumque et epulæ, et celebritate loci nihil occultum.

Gron. Vett. edd. habent *filios familiarium*. Ern.

Præscripta et a Tiberio. Melius, *præscripta ei*. Lips.

Se militibus ostentav. Quod alias dicitur *venditare, jactare*, h. l. *ostentare* dixit: Verbis factisque legionis gratiam captasset. Ern.

Vitandæ suspicionis. Pichena mavult *suspicioni*. Sed utrumque Tacito in usu. V. cap. 7.

Die frequenti. Sc. casu aliquo, ut ap. Sueton. Calig. c. 15, ubi v. dicta. Ern.

Vultu alacres incessere. Ut ille ap. Livium 2, 61. Appius, et alii contemnentes accusationem V. Sueton. Tiber. c. 2. Ern.

Festo ornatu. Ob lætitiam domini redeuntis. Ornatum festum intelligit laurum et lucernas. Juvenalis 6, 79. *Ornentur postes, et grandi janua lauro*. De lucernis vide quæ notavi in electis 1, 4. et adde egregium Arriani locum in Serm. Epicteti 1, 19., Ἠξίωται ἡμαρχίας· φάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται· ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. Ἔρχεται εἰς οἶκον, εὑρίσκει λύχνους ἀπτομένους· ἀναβαίνει εἰς τὸ Καπιτώλιον, εὐχαριστεῖ. Idem 2, 17. Τίνων, ἂν σωθῇς, ἄλφα λύχνους, ταῦτ' ἐστὶ τὰ τοῦ φιλοσόφου. Μέγα σοι ἀγαθὸν ἔσται σωθέντι, τοιοῦτο καὶ λύχνον ἅπτειν ἄξιον. Nec lucernas solum in diebus ejus-

X. Postera die Fulcinius Trio Pisonem apud consules postulavit. Contra Vitellius ac Veranius, ceterique, Germanicum comitati, tendebant, « nullas esse partes Trioni; neque se accusatores, sed rerum indices et testes, mandata Germanici perlaturos. » Ille, dimissa ejus caussæ delatione, « ut priorem vitam accusaret, » obtinuit, petitumque est a principe, « cognitionem exciperet: » quod ne reus quidem abnuebat, studia populi et patrum metuens; contra, « Tiberium spernendis rumoribus validum, et conscientiæ matris innexum esse: veraque aut in deterius credita, judice ab uno facilius discerni: odium et invidiam apud multos valere. » Haud fallebat Tiberium moles cognitionis, quaque ipse fama distraheretur. Igi-

modi festis, sed etiam funalia cereosque accendebant. Panegyristes Theodosii c. 37: *Quid portas virentibus sertis coronatas? quid aulæis tardantes plateas, accensisque funalibus auctum diem referam?* ubi ex optimo libro lego, *aulæis undantes plateas*. Lips. In MS. est *festa ornatu*, idque expressere Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus: neque erat mutandum, cum sit exquisitius eo, cui cedere coactum est. Supra 2, 69., *Festa plebs* int. ornatu. Itaque nec Pichenæ conjectura opus: *festa, ornata*. Paullo post *ac* additum ex antiquis edd. Ern.

Esse partes Trioni. Trionis malebat Muretus: quod est usitatius sane. Sed etiam dativum bene habere puto cum Heinsio: qui comparat e c. 40, *libertati resumendæ tempus*; quod similiter tentat Pichena, conjiciens *libertatis*. Ern.

Cognitionem exciperet. Nodum in scirpo quærunt, qui *acciperet* vel *reciperet* tentant. *Exciperet* est admitteret. Gron. Similiter *excipere desideria, preces*, Suet. dixit Aug. 73. Item *excipere* pro suscipere sæpe occurrit. Ern. Cf. Burm. ad Suet. Jul. 73, ubi *simultates excipere*.

* *Spernendis r. valid.* Sic infra 4, 37. Tib. *spern. honoribus validus.*

Consc. matris. Respice ad 2, 77 et 82.

Judice ab uno facilius discerni. Non Tacitus hoc dicit, sed Piso post pessimum ministerium vanissimæ spei serviens. Verius sanctior regis præceptor Pol. 3, 11., Διὰ τοῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον ὄχλος πολλὰ, ἢ εἷς ὁστισοῦν· ἔτι μᾶλλον ἀδιάφθορον τὸ πολύ· καὶ καθάπερ ὕδωρ τὸ πλεῖον, οὕτω, καὶ τὸ πλῆθος τῶν ὀλίγων ἀδιαφθορώτερον· τοῦ δ' ἑνὸς ὑπ' ὀργῆς κρατηθέντος, ἢ τινὸς ἑτέρου πάθους τοιούτου, ἀναγκαῖον διεφθάρθαι τὴν κρίσιν. ἐκεῖ δ' ὀργὴν ἅμα πάντας ὀργισθῆναι καὶ ἁμαρτεῖν, etc. Gron. Adde, quæ adolescentes regium imperium desiderantes dicunt ap. Liv. 2, 3. Ern.

Distraheretur. Usitatius et fre-

tur, paucis familiarium adhibitis, minas accusantium et hinc preces audit, integramque caussam ad senatum remittit.

XI. Atque interim Drusus, rediens Illyrico, quamquam patres censuissent, « ob receptum Maroboduum, et res priore æstate gestas, ut ovans iniret, » prolato honore, urbem intravit. Post quæ reo, « L. Arruntium, T. Vinicium, Asinium Gallum, Æserninum Marcellum, Sex. Pompeium patronos » petenti, iisque diversa

quentius est *differre* hoc sensu: quod etiam noster habet 1, 4. mox c. 12. Ern.

Post quæ. Sic Pichena e cod. MS. emendavit; prius legebatur *postquam*.

T. Arruntium. Nic. Faber, vir quem probitas et eruditio juxta amant (veris, nec ambitiosis laudibus utor) notis ad Senecam patrem legendum censet, *Lucium*, non *Titum*. Verissime: est illustris ille vir, senator et consularis, Augusti judicio dignus principatu, Tacito nostro sæpe nominatus. Lips. Idem placet Ryckio, qui eundem esse putat, de quo noster 1, 13. Ern. CS. a. U. 759. Ejus *sanctissimæ artes* prædicantur 6, 7. *Raræ frugalitatis virum* Seneca dicit ep. 114. Plura dat Brummer. ad Leg. Cinc. c. 7.

Fulcinium. Quid? Fulcinium Trionem patronum petit Piso? Atqui is accusationem ejus petiit, obtinuitque: et mox etiam exsequitur. Ambigo de lectione, nisi alius aliquis Fulcinius ab isto. Lips. Muretus emendabat *T. Arellium Fuscum*, qui fuit nobilis orator, aliquoties memoratus Senecæ in controversiis. Ryckius conjiciebat *T. Vinicium*: id consentire cum scriptura MS. in quo *Fulnicius*, testatur J. Gronovius; quod est nomen *T. Vinicius*: idque cum Gronovio recepimus: etsi in prænomine adhuc dubium reliquum est, annon potius M. esse debeat. Nam *M. Vinicium* oratorem novi e 6, 15. *T. Vinicius* non occurrit. Sed *T.* magis consentit vestigiis scripturæ *Fulcinius* in MS.; et sunt plures Vinicii oratores, quorum mentio apud veteres. Ern.

Marcellum. Eprium nomine: cujus celebre ingenium in foro. Lips. De quo in Dial. de Orat. c. 8. Sed bene Freinsh. vidit, *Æserninum Marcellum* esse conjunctim legendum, ut edidere Gronovii, Ryckius. Fuit Æserninus Marcellus Asinii Pollionis nepos. V. Suet. Aug. 43. Ern.

Sex. Pompeium. Est ille, qui supra cum Apuleio consul: quem Valerius Max. amicum patronumque suum nimis plena manu laudat 4, 7. Vocat clarissimum ac disertissimum virum. Et 2, 6, 8. adsignificat proconsulem eum Asiæ fuisse, comite se: vocat ibi, *virum ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus instructissimum*: additque *facundissimum sermonem ore ejus, quasi e beato quodam eloquentiæ*

excusantibus, M. Lepidus et L. Piso et Livineius Regulus adfuere, arrecta omni civitate, « quanta fides amicis Germanici, quæ fiducia reo : satin' cohiberet ac premeret sensus suos Tiberius. » Iis haud alias intentior populus, plus sibi in principem occultæ vocis aut suspicacis silentii permisit.

fonte, manasse. Nec dissentit Ovidius, qui vitam illi suam fortunasque non uno loco refert acceptas. V. ex Ponto 1, 4, 5. L. 4. ut appareat, hunc Sextum amicum unice fuisse Musis studiisque : et ideo a nobis fugitivam memoriam ejus non frustra retractam. Lips.

M. Lepidus. Utrum est is, de quo 1, 13. et infra c. 35. an alter, de quo 4, 56. Prioris dignitas et gravitas non patitur credere, nisi forte propinquus Pisonis fuit. Alterius socordia, quæ ei objicitur, vix sinit credere, idoneum patrocinio suscipiendo fuisse. Sed potest etiam alius ab his esse. Fuere enim plures Pisones. Ern.

L. Piso. Orator, de quo 2, 34. Fratrem Cn. Pisonis putat Muretus. Ern.

Livineius. Primam literam geminandam, ut sit : *L. Livineius*, ut in veteribus numis scribitur, monet Muretus. De scriptura ipsius nominis concedo : et sic est 14, 17. quamquam ibi editi olim *Lividineius* : de prænomine dubito; cum etiam infra absit, et Tacitus in ponendis omittendisque prænominibus variet. Ern.

Quæ fiducia reo. Imitatus est illud Virgilii, *quæ sit fiducia capto*, Æn. 2, 75. ut jam monuit Muretus. Ern.

Satin'.... iis haud alias intentior populus. Tὰ *ac premeret* in unico libro posteriori (ubi nunc vulgo est *ac promeret*) loco meram esse delirationem librarii, Pichenæ subscribo : neque aut inde faciendum *an promeret*, aut tam puerilis atque ὀχλαράδους, ut Lucilius recte judicat, lusus lenocinio τὸ σεμνὸν suum condonasse Tacitum censeo. *Satin'* dixit, non *utrum*, ut alteram quoque dubitationis partem necesse fuerit adscribi. Quæ præterea hic moliuntur, vel ipse Pichena, qui putat legendum, *is haud alias intentior : populus plus* etc.; vel Gruterus, qui *ac premeret*, utroque loco delet, vel Acidalius, qui *iis* delet, ea me non afficiunt. Nam de Tiberio, quod significat toties, quid opus nunc repeti? Dein illa, *populus plus sibi permisit*, curta et manca oratio est, nisi populus idem *haud alias intentior* accipitur. Accedit, quod, cum tria posuerit, quæ tum occupabant cogitationes hominum et suspensas habebant, parum commode, duobus transmissis, de tertio aliquid interjicitur, quod nemo ignorabat. Quin, si verum volumus, omnis hæc periodus nihil aliud est, quam repetitio et explicatio τῶν *arrecta omni civitate*, quæ præcidi oportuerat mentione facta rerum, quæ cunctos etiam quietos sollicitarent. Quasi esset : His, inquam, arrecta omnis civitas, his intentus populus magis quam unquam alias, plus etiam sibi

XII. Die senatus Cæsar orationem habuit meditato temperamento: « Patris sui legatum atque amicum Piso-nem fuisse, adjutoremque Germanico datum a se, auctore senatu, rebus apud Orientem administrandis: illic contumacia et certaminibus asperasset juvenem, exitu-que ejus lætatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis dijudicandum. Nam, si legatus officii terminos, obsequium erga imperatorem, exuit, ejusdemque morte et luctu meo lætatus est, odero, seponamque a domo mea, et privatas inimicitias non vi principis ulciscar: sin facinus, in cujuscunque mortalium nece vindican-

1. *Et privatas inimicitias, non principis ulciscar. Novi principis* scripti, alii *non vi principis.* Vel, *ut privata has inimicitias, non ut principis.* Vel *orbi principis.*

juris fecit, aut in aurem loquendi de principe, aut in sermonibus repente vel obstinate tacendi, neque exspectato sono ora solvendi. Est enim, ubi et silentium sit genus libertatis. Docent apud nostrum Pætus Thrasea Helvediusque priscus ejus gener. Gron. Alterum *ac premeret* s. *an promeret* confidenter delere jubet etiam Heinsius. Recte. Mox *is*, e Pichenæ sententia, recepit Ryckius. Broterius conjicit: *iis intentior populus, haud alias plus sibi etc.* non male. Ern. Frustra Muretus ex similitudine verborum *premeret, promeret*, elegantiam quæsitam perhibet. Resecandum *an promeret*, quod jam Lipsius in edit. ultima omisit.

Patris sui legatum. In Hispania, ut apparet ex seq. Lips.

Adjutorem. Justinus 13, 6. cum, quæ Eumeni essent attributæ provinciæ, dixisset: *adjutores ei dantur cum exercitibus frater Perdiccæ Alcetas* etc. Livius 6, 22. *Volscum bellum M. Furio extra ordinem decretum. Adjutor ex Tribunis sorte L. Furius datus, non tam e Republ. quam ut collegæ materia ad omnem laudem esset.* Suetonius Tib. 63. *per legatos et adjutores suos.* Gron.

Non principis ulciscar. Ita emendavimus: tamen, cum vetus lectio sit, *novi principis*: aptius, ut nunc censeo, ex ea feceris, *non ut princeps*: sive mavis *non vi principis.* Non utar potestate, quam princeps habet: sed noxas mihi illatas, ut privatus, ulciscar. Lips. Primum etiam Faerno, Vertranio aliisque, alterum Ant. Augustino, Ursino, tertium Mureto, Mercero, Freinshemio placuit. In hoc dissensu mihi licere putavi sequi, quod scripturæ MS. esset convenientissimum, *non vi*: etsi video, in hac lectione esse etiam corrigendum, ut in altera *non ut princeps, sed* pro *et*: quod non est in prima, quæ vulgo hodie est in libris, *non principis.* Ern.

dum, detegitur; vos vero et liberos Germanici, et nos parentes, justis solatiis adficite. Simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso; quæsita sint per ambitionem studia militum; armis repetita provincia; an falsa hæc in majus vulgaverint accusatores: quorum ego nimiis studiis jure succenseo. Nam quo pertinuit, nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere, differrique etiam per externos, tanquam veneno interceptus esset, si incerta adhuc ista, et scrutanda sunt? Defleo equidem filium meum, semperque deflebo: sed neque reum prohibeo, quo minus cuncta proferat, quibus innocentia ejus sublevari, aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit: vosque oro, ne, quia dolori meo caussa connexa est, objecta crimina pro adprobatis accipiatis. Si quos propinquus sanguis, aut fides sua patronos dedit, quantum quisque eloquentia et cura valet, juvate periclitantem: ad eundem laborem, eandem constantiam accusatores hortor. Id solum Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius, quam in foro, apud senatum, quam apud judices, de morte ejus anquiritur: cetera pari modestia tractentur. Nemo Drusi lacrimas, nemo mœstitiam meam spectet, nec, si qua in nos adversa finguntur. »

Contrectandum oculis. Sic etiam Lactantius de Opif. D. c. 1. quem locum male tentat Clericus in Arte crit. p. 3, 1, 9, 6. V. Heumann. in Parergis crit. p. 147. et Intt. Lactantii l. c. Cicero etiam Tusc. 3, 15. dixit *mente contrectare*: quod dici non posset, nisi et diceretur *oculis contrectare*. Ern.

In curia. Scil. populi studia metuebat Tiberius.

Pari modestia. Ea æquitate, qua caussæ privatorum apud judices solent, aut debent tractari. Ern.

Adversa finguntur. Nihil me movet Acidalii, aliquid post hæc verba excidisse, suspicio. Sed, quia Tacito fere *adversa* sunt, quæ *secundis* opponuntur, hic eum scripsisse censeo, *diversa*. Ea enim et ipse et optimi quique sæpe accipiunt pro istis, quæ aliter *contraria* dicimus. Vide indi-

XIII. Exin « biduum criminibus objiciendis » statuitur, « utque, sex dierum spatio interjecto, reus per triduum defenderetur. » Tum Fulcinius vetera et inania orditur : « ambitiose avareque habitam Hispaniam : » quod neque convictum noxæ reo, si recentia purgaret; neque defensum absolutioni erat, si teneretur majoribus flagitiis. Post quem Servæus et Veranius et Vitellius, consimili studio, sed multa eloquentia Vitellius, objecere : « odio Germanici, et rerum novarum studio, Pisonem vulgus militum, per licentiam et sociorum injurias, eo usque corrupisse, ut » parens legionum « a deterrimis adpellaretur : contra, in optimum quemque, maxime in comites et amicos Germanici, sævisse : postremo, ipsum devotionibus et veneno peremisse : sacra hinc et immolationes nefandas ipsius atque Plancinæ : petitam armis remp. utque reus agi posset, acie victum. »

XIV. Defensio in ceteris trepidavit : nam neque ambitionem militarem, neque provinciam pessimo cuique obnoxiam, ne contumelias quidem adversum imperatorem infitiari poterat : solum veneni crimen visus est diluisse. Quod ne accusatores quidem satis

cem. Justinus 3, 4. *oraculi diversa sententia fuerat.* Suet. Julio 1. *diversarum partium habebatur.* Nemo, inquit, Drusi lacrimas, meam mœstitiam spectet, ne incitetur illis ad condemnandum innoxium : nemo, quæ in contrarium de nobis falso sparguntur, ne sontem eo facilius absolvat. Gron. Si vulgatum verum est, pertinent verba ad rumores de morte Germanici a Tiberio læte accepta. Ern.

Ambitiose avareque. Illud refer ad exercitus, hoc ad socios, sive provinciales : mox *licentia et injuriæ sociorum* commemorantur. Add. initium c. seq. Ern.

Servæus. De hoc ipso Tacitus 6, 7. *Quintus Servæus post hæc et Minutius Thermus inducti. Servæus proturæ functus et quondam Germanici comes.* Lips. Vide et 2, 56.

Sacra immolationes nefandas. De quibus 2, 75. *nefandæ* dicuntur, quia impie in Cæsarum domum. Sic etiam Freinsh. et Ryckius capiunt. Ern.

Petitam armis remp. Nempe bello provinciæ inferendo, ut mox. Ern.

Acie victum. Respice ad 2, 80.

firmabant, « in convivio Germanici, cum super eum Piso discumberet, infectos manibus ejus cibos, » arguentes. Quippe absurdum videbatur, inter aliena servitia, et tot adstantium visu, ipso Germanico coram, id ausum. Offerebatque familiam reus, et ministros in tormenta flagitabat. Sed judices per diversa implacabiles erant : Cæsar, ob bellum provinciæ illatum ; senatus, nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse. * *scripsissent* expostulantes : quod haud minus Tiberius quam Piso abnuere. Simul populi ante curiam voces audiebantur : « non temperaturos manibus, si patrum sententias evasisset : » effigiesque Pisonis traxe-

2. *Scripsissent expostulantes.* Mutila hæc haud dubie.

. *Cum super eum Piso.* Interior ergo discubuit Germanicus, ut dignissimus. De quo ordine sedendi non omnia mihi dicta in Convivio : dicam alibi plene et apertis tibiis. Lips.

Tot adstantium visu. Legendum videtur Pichenæ et Heinsio l. c. *visus*. Sed tamen utcunque ferri potest, *visu*, id est, in oculis tot adstantium. Immo a Tacito est. Sic supra c. 3 : *magnitudinem mali perferre visu non toleravit*, ubi vide not. Sensus : si tot adstantes viderent : si tot adstarent, qui videre possent. Tacitum porro constructiones libenter variare, id quoque jam aliquoties vidimus. Ern.

Ministros in tormenta. Servos Germanici, qui tum ministeria mensæ obiissent. Ern.

. *Nunquam satis credito.* Ita Livius 4, 51. 29, 37. 39, 56. Wopk.

Scripsissent expostulantes. Alieno loco hæc inserta. Mihi sententia præclare reddi videtur, si iis amotis legas : *Senatus, nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interiisse : simul populi ante curiam voces audiebantur.* Quo tamen illa quæ superant remittenda sint, mihi non liquet. Lips. Verba : *quod haud m. T. q. P. a.* Muretus supra poni volebat, post *arguentes* : quod nescio, an cuiquam probabile videri possit. Multo frigidior est ratio Schefferi in Obs. Misc. t. 8. 290. Frustra conjecturæ super hoc loco exercentur. Ern. Hillerus Racem. 26 putat, ex cap. 16 lacunam posse compleri, legendumque, *quæ Tiberius et Piso scripsissent, expostulantes*, i. e. obnixe vel acriter petentes, quo sensu occurrit hoc verbum 12, 46. compositum pro simplice. Alii malunt, *quæ Piso et Plancina scripsissent*, ex 2, 78. Broterius supplet *et quæ*, quod mihi satis arridet.

. *Effigiesque Pisonis.* Id solet in damnatis. Juvenalis 10, 58..... *descendunt statuæ restemque sequuntur.* Lips.

rant in Gemonias, ac devellebant, ni jussu principis protectæ repositæque forent. Igitur inditus lecticæ, et a tribuno prætoriæ cohortis deductus est: vario rumore, custos salutis, an mortis exactor sequeretur.

XV. Eadem Plancinæ invidia, major gratia: eoque ambiguum habebatur, quantum Cæsari in eam liceret. Atque ipsa, donec mediæ Pisoni spes, « sociam se cujuscumque fortunæ, et, si ita ferret, comitem exitii »

Devellebant. Sic rescripsimus pro vulgato *divellebant*, quod est ab h. l. alienum. *Devellebant* est revellebant sc. a basibus. Sic reposuimus ap. Sueton. Domit. 22, ubi omnes libri ante habebant *divellebant*, secutusque est exemplum nostrum Oudendorpius. Codex MS. sæpissime in hac syllaba vitiosus est, ut jam aliquoties vidimus. Ad *devell.* refer mox *protectæ*. Ceterum restat aliquid difficultatis in diversitate temporum, *traxerant.... devellebant*, foretque pronum corrigere *devellerant*. Sed non arbitror id necessarium. Partim jam devellerant et trahebant ad Gemonias, partim adhuc moliebantur, et devellere tentabant. Ern. Forsan enallage adest, *traxerant* pro *traxissent*, in eo erant, ut traherent. Sic sæpe poetæ. Tò *divellebant* sanum perhibet Hiller. Racem. 27, jam traxisse scil. populum istas effigies in Gemonias, et discerpturum fuisse, quum princeps inhiberet. Sic fere jam réddidit Perrotus. — *Traxerant* Rhunius quoque explicat per trahere volebant, ut apud Sueton. Cæs. c. 29. *Pepigit* pro *pacisci voluit*. Cf. Passerat. in Propertium, p. 159.

Mortis exactor sequeretur. Exactor, qui præpositus ad exigendum perficiendumque, et quasi custos. Livius 2, 5. de Bruto filios plectente: *Ei qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit.* Plinius ep. 9, 37. *Ac deinde ex meis aliquos operis exactores, custodes fructibus ponam.* Romæ marmor epitaphium (ap. Grut. 594, 2.), M. AVRELIVS. AVGG. NN. LIB. EPAPHRODITVS. EXSACTOR. OPERVM. DOM. NN. Tacitus in suppliciis fere usurpat, ut 11, 37. *Demittiat centurionibus, qui aderant, exsequi cædem.... custos et exactor e libertis Euodus datus.* Ambrosius lib. de Tobia cap. 9. *Dum vadis cum adversario tuo ad magistratum, da operam liberari ab illo, ne forte producat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.* Sed et ἐκπλῆκτος reperio, quasi muneris nomen, exactor; ut in Museo Carpensi (ap. Grut. l. c. n. 3), SEX. POMPEIVS. FAVSTVS. SEX. POMPEII. EXACTOR. Lips.

Comitem exitii. Proclive est conjicere *exilii*: *comes exilii, fugæ*, sæpe occurrit; quod et Huetio placuit. Cicero ad Div. 13, 71. *itinerum, navigationum, laborum et periculorum meorum omnium socius et comes.* Adde infra 4, 13. Sed vulgatum verum puto, propter verba, *si ita ferret*, sc. res, fortuna:

promittebat. Ut secretis Augustæ precibus veniam obtinuit, paullatim segregari a marito, dividere defensionem cœpit: quod reus postquam sibi exitiabile intelligit, an adhuc experiretur dubitans, hortantibus filiis, durat mentem, senatumque rursum ingreditur: redintegratamque accusationem, infensas patrum voces, adversa et sæva cuncta perpessus, nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, de quo adfectu perrumperetur. Relatus domum, tanquam defensionem in posterum meditaretur, pauca conscribit obsignatque, et liberto tradit. Tum solita curando corpori exsequitur: dein, multam post noctem, egressa cubiculo uxore, « operiri fores » jussit: et cœpta luce, perfosso jugulo, jacente humi gladio, repertus est.

XVI. Audire me memini ex senioribus, visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit; sed amicos ejus dictitavisse, « literas Tiberii et mandata in Germanicum continere: ac destinatum promere apud patres, principemque arguere, ni elusus a Sejano per vana promissa foret: nec illum sponte exstinctum, verum immisso percussore. » Quorum neutrum ad-

que, de ultimo malo sermonem esse, arguunt. Ern. Ante Huetium jam Paschalius in margine: magis placet *exilii*.

Redintegratamque accusationem. Valde inclino ad *redintegrataque accusatione*, quod certe elegantius foret: sed et vulgatum ferri potest; quod et in audiendis criminibus molestia est. Ern. Omnino rectius: *redintegrataque adcusatione*.

Adversa et sæva. Sic Catilinæ post primam Ciceronis orationem in senatu habitam eo nomine cum maledicta in consulem congereret: *Obstrepere omnes; hostem atque parricidam vocare.* Gron.

Ac destinatam promere. Ejusdem sententiæ fuit, quod Suetonius scripsit, in Tib. 52. *Quem* (Pisonem) *mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent*; loco hodie non corrupto solum, sed defecto. Conatur tamen ingeniose Torrentius · *ni Sejanus secreto obstaret.* Lips.

severaverim : neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui nostram ad juventam duraverunt. Cæsar, flexo in mœstitiam ore, « suam invidiam tali morte quæsitam » apud senatum, * crebrisque interrogationibus exquirit, « qualem Piso diem supremum noctemque exegisset. » Atque illo pleraque sapienter, quædam inconsultius respondente, recitat codicillos, a Pisone in hunc ferme modum compositos : « Conspiratione inimicorum, et invidia falsi criminis oppressus, quatenus veritati et innocentiæ meæ nusquam locus est, deos immortales tes-

Nostram ad juventam. Latissimo sensu, ad a. 43 valet. V. Ryckius.

*Apud senatum * crebrisque*. Putant vulgo post *senatum* aliquid, velut *queritur*, excidisse, ideoque asteriscum ponunt indicandæ lacunæ : quod negat Ryckius ita esse, sed intelligi tale verbum posse. Non negem, id latere posse in verbis *flexo in mœstitiam ore*, sed ita copula *que* locum non haberet : quæ indicat verbum præcessisse, quod ipsa cum *exquirit* conjungeret. Ern. Excidisse *queritur*, non verisimile, quia præcedit *quæsitam*. Malim, *refert*. Hiller. Racem. 27, subaudit *ait*, *dicit*. Cum Ryckio facit Lallemand.

Atque illo pleraque. Non fugiet corruptio loci attentum lectorem. Quis enim erit, ad quem hæc referantur, *Atque illo?* nullum certe nomen præivit. Puto mutila esse. Nisi sint ; scribe, *Atque filio*. Est enim σύλλογος, filium Pisonis attulisse parentis codicillos, et ab eo quæsisse Tiberium singulatim de morte. Lips. *Filio* placet etiam Ryckio. Alii *illo* ad libertum referunt : sed ita vox liberi post *crebrisque* exciderit necesse est. Verum non mihi fit credibile, libertinum in senatum admissum, et tamdiu præsentem fuisse, ut crebro interrogari a Tiberio posset : qui ne signatores quidem testamenti paterni in senatum admiserat ad signa sua agnoscenda, qui non senatorii ordinis essent, auctore Suetonio in Tib. c. 23. Nam quod Broterius, in hoc ipso Suetonii loco libertum Cæsaris, dicit, recitantem in senatu Augusti testamentum commemorari, id non satis est ad refellendum. Nam in tali brevi ministerio potuit adhiberi, non præsens esse ; cum res agerentur. Pro *atque* Heinsius l. c. malebat : *ad quæ*. Ern. Hiller. l. c. *illo* refert ad senatum in quo diversimode, sapienter, inconsulte, responsum. Sed ex senatu non potuit Tiberius exquirere, qualem Piso diem supremum noctemque exegisset.

Quatenus veritati. Melius, *quatinus* : id est quoniam. Lips. Nempe e distinctione grammaticorum vulgari : quod placet etiam Mureto. Sed ei distinctioni usus contrarius est. V. Ducker. ad Flor. 1, 5. et quos laudat Drakenb. ad Liv. 2, 55. Ern.

tor, vixisse me, Cæsar, cum fide adversum te, neque alia in matrem tuam pietate : vosque oro, liberis meis consulatis : ex quibus Cn. Piso qualicumque fortunæ meæ non est adjunctus, cum omne hoc tempus in urbe egerit : M. Piso repetere Syriam dehortatus est : atque utinam ego potius filio juveni, quam ille patri seni cessisset! eo impensius precor, ne meæ pravitatis pœnas innoxius luat. Per quinque et quadraginta annorum obsequium, per collegium consulatus quondam D. Augusto, parenti tuo, probatus, et tibi amicus, nec quidquam post hæc rogaturus, salutem infelicis filii rogo. »

XVII. De Plancina nihil addidit. Post quæ Tiberius adolescentem crimine civilis belli purgavit : « patris quippe jussa nec potuisse filium detrectare : » simul « nobilitatem domus, etiam ipsius, quoquo modo meriti, gravem casum » miseratus. Pro Plancina cum pudore et flagitio disseruit, « matris preces » obtendens : in quam optimi cujusque secreti questus magis ardescebant : « Id ergo fas aviæ, interfectricem nepotis adspicere, adloqui, eripere senatui ? quod pro omnibus civibus leges obtineant, uni Germanico non contigisse ! Vitellii et Veranii voce defletum Cæsarem : ab imperatore et Augusta defensam Plancinam ! perinde venena, et artes tam feli-

Per collegium. Quian' Augusto collega, an quia Tiberio ipsi ? Utrumque enim verum ; et consul cum Augusto fuit a. U. 731 ; consul iterum cum Tiberio a. 747. Lips. Non video, quare neget Freinsh. Augusti collegam in consulatu fuisse Pisonem, cum ei consulatus in fastis adsignetur cum Augusto, sive ordinarius ille fuit, sive suffectus, ut Capitol. fastorum auctoritatem sequentibus placet. Ern.

Perinde. Hæc est scriptura MS. quam expressere Beroaldus et Alciatus. Utrum data opera, an culpa operarum mutatum sit in *proinde*, nescio. Nam æque hæ proclives in hanc confusionem ac librarii, de quibus centies hoc observatum est a doctis viris. Jam in Rhenani ed. et Aldi *proinde* reperitur. Atque habet aliquid commodi *proinde*. Videntur enim ratiocinari : quia in Germanico impune fuit, idem experiri licebit

citer expertas, verteret in Agrippinam, in liberos ejus, egregiamque aviam, ac patruum sanguine miserrimæ domus exsatiaret. » Biduum super hæc, imagine cognitionis, absumptum; urgente Tiberio liberos Pisonis, « matrem uti tuerentur. » Et, cum accusatores ac testes certatim perorarent, respondente nullo, miseratio, quam invidia, augebatur. Primus sententiam rogatus Aurelius Cotta, consul (nam, referente Cæsare, magistratus eo etiam munere fungebantur) « nomen Pisonis radendum fastis, » censuit; « partem bonorum publicandam: pars, ut Cn. Pisoni, filio, concederetur, isque prænomen mutaret. M. Piso exuta dignitate, et accepto

in Agrippina etc. Tum *perinde* quod significare potest, jam inest in verbo *verteret*. Sed tamen non ausus sum ab antiqua lectione discedere, non satis gravi, ut opinor, necessitate urgente. Ern.

Biduum super hæc etc. Ryckius putat, necessario legendum *super hac imagine*: nam *super* cum accusativo hic locum non habere: idque receplt Broterius. Sane nondum mihi locum occurrere memini, in quo esset *super hæc* pro *in his*, sive *his*. Sed tamen etiam durum *super imagine cognitionis absumere*. An Tacitus dedit: *biduum per hæc, imagine cognitionis, absumptum?* quod rei, et Taciti consuetudini aptissimum. Ern. Tralatitia metathesis, pro *super biduum*, plus quam biduum, *hac imagine* etc.; ut H. 3, 19., *Utque cumulos super-incessere*. c. 26, *quæ super cuncta*. 4, 40., *tali super re*. Sic et Ann. 4, 5., *Misenum apud* etc. Wopk. Crollius *super hæc* reddit per *post hæc*; Hillerus Rac. per *præter hæc*, ut ap. Liv. 2, 17. et 3, 1. et ap. nostrum 13, 18. et passim. Mihi videtur esse *in his*. Sic Curt. 8. 4. extr. *super vinum et epulas*. Stat. Theb. 1, 676., *Non super hos divum tibi sum quærendus honores*, i. e. inter sacra.

Miseratio quam invidia augebatur. *Magis* post *miseratio* intelligendum; cujus formæ multa exempla a doctis sæpe notata sunt: quod obiter monendum fuit, ne tirones aliquid excidisse putarent. Vid. quos laudat Cortius ad Sall. Catil. c. 8. init. Ern. Græcismum in his notat recte Vechnerus in Hellenol. 1, 5. Hom. Il. 1, 117., Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Magistratus etiam. Non vane id notat: prisco enim more, magistratus a judicandi onere immunes. Cicero in Verrem 1, 10. et alii. Lips. Referente principe consules sententiam rogabantur.

Isque prænomen mutaret. Quod et factum: nisi Dio mihi imponit, qui 59, 20. Lucium (non Cnæum) Pisonem, Cn. Pisonis et Plancinæ

quinquagies sestertio, in decem annos relegaretur, concessa Plancinæ incolumitate, ob preces Augustæ. »

XVIII. Multa ex ea sententia mitigata sunt a principe : « ne nomen Pisonis fastis eximeretur, quando M. Antonii, qui bellum patriæ fecisset, Julii Antonii, qui domum Augusti violasset, manerent : » et M. Pisonem ignominiæ exemit, concessitque ei paterna bona; satis firmus, ut sæpe memoravi, adversum pecuniam, et tum pudore absolutæ Plancinæ placabilior. Atque idem, cum Valerius Messallinus, « signum aureum in æde Martis ultoris, » Cæcina Severus, « aram Ultioni statuendam » censuissent, prohibuit : « ob externas ea victorias sacrari, » dictitans; « domestica mala tristitia operienda. » Addiderat Messallinus, « Tiberio et Augustæ et Antoniæ et Agrippinæ Drusoque ob vindictam Germanici grates agendas, » omiseratque Claudii mentionem. Et Messallinum quidem L. Asprenas, senatu coram, percunctatus est, « an prudens præterisset? » ac tum de-

filium præfuisse Africæ sub Claudio tradidit. Lips.

Exuta dignitate. Senatoria videlicet. Ita inferius scriptum, *exuere ordinem.* Lips.

Quinquagies sestertio. Sunt nobis *centum vigintiquinque millia Philippicum.* Videsis opes ejus ævi, etiam ab hoc exemplo, et quomodo vel exsuli provisum. Vere ergo Seneca Cons. ad Helv. 12. *Eo temporum luxuria prolapsa est, ut majus viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium principum fuit.* Lips. Frustra laborant Muretus et Ursinus : ille delens *sestertio*, hic *sestertium* legens. Gron. Monetæ gallicæ decies centena millia librarum.

Relegaretur. In cod. scr. et edd. antiquis est *relegatur.* Lipsius correxit. Nam supra dixit, *concederetur.* Recte. Fallitur J. Gron. defendens *relegatur*, quasi non penderet a *censuit* : quod secus est. Quid sententiæ dictionem secutum sit, post demum memoratur. Vid. ad 2, 63. 14, 15. 22. Ern. *Relegaretur* quoque legi vult Paschalius.

Signum aureum. Martis intelligit Freinshemius. Recte : ut facile e seq. colligas. Ern.

Ob externas ea victorias. Victoria edidit Beroaldus, apposita stellula, velut loco desperato. Victorius ad Cic. ep. 19. corrigit *victorias* duplicata litera sequente. Sed sic jam correxerat Rhen. quem alii secuti sunt. Ern.

mum nomen Claudii adscriptum est. Mihi, quanto plura recentium seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis observantur. Quippe fama, spe, veneratione, potius omnes destinabantur imperio, quam, quem futurum principem fortuna in occulto tenebat.

XIX. Paucis post diebus Cæsar auctor senatui fuit, « Vitellio atque Veranio et Servæo sacerdotia tribuendi. » Fulcinio « suffragium ad honores » pollicitus, monuit, « ne facundiam violentia præcipitaret. » Is finis fuit ulciscenda Germanici morte, non modo apud illos homines, qui tum agebant, etiam secutis temporibus vario rumore jactata : adeo maxima quæque ambigua sunt, dum alii quoquo modo audita pro compertis habent;

Is finis fuit ulciscenda Germ. morte. Videtur in mente habuisse Livianum illud, 1, 44., *is finis censendo factus est* : quamquam hæc forma sæpe occurrit ap. eundem 2, 30., *Is finis pópulationibus fuit.* Sed in istis locis dativo junctum putatur, e consuetudine Livii, cujus exempla bene multa ibi congessit Drakenb. In priori quidem nihil impedit etiam ablativum putari *censendo.* Etenim et in aliis formulis antique ponitur pro dativo, ut in his : *Triumviri auro argento ære f. f. Comitia conss. creandis.* Sic mox ablativi sunt in isto : *Drusus urbe egressus repetendus auspiciis.* V. 14, 4. Ern. Rectius *ulciscendæ mortis*, ut c. 43. et vulgo. Neque huc recte refertur 14, 4. Wopk.

Non modo apud illos homines.... etiam secutis temporibus. Conjunctionis *sed* post negationem *non*, et *non modo* omissæ frequentia exempla sunt apud Livium et Sallustium. v. Gronov. et Drak. ad Liv. 28, 39. Cortium ad Sall. Catil. 18, quos noster libenter imitatur. Ern. Conjectura hæc frequens anxie quæsita imitationis Livii, Sallustii, aliorum, quam maxime mihi displicet. Locutus est Tacito pro more sui temporis, neque istis egebat scribendi exemplis.

Adeo maxima quæque. Similis querela Thucydidis 1, 20. Οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων, καὶ ἢν ἐπιχώρια σφίσιν ᾖ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. Et statim : Οὕτως ἀπαλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται. Nec dubium, quin ad hæc loca respexerit noster. Lips.

Audita pro compertis h. In cod. scr. est *audire*, in ed. item Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi : defenditurque a Jac. Gron., ut substantive dictum. Sed *comperta* sane desiderant *audita*, recteque sic correctum textum puto. Deberet enim esse.

alii vera in contrarium vertunt : et gliscit utrumque posteritate. At Drusus, urbe egressus repetendis auspiciis, mox ovans introiit : paucosque post dies Vipsania, mater ejus, excessit, una omnium Agrippæ liberorum miti obitu : nam ceteros, manifestum, ferro, vel creditum est, veneno aut fame exstinctos.

quoquo modo audire pro comperire habent, non *pro compertis*. Vid. Vechneri Hellenol. 1, 10. Ceterum *audita* primum reperi in ed. Gryphiana mea. Ern.

Gliscit utrumque p. Cf. Cæs. B. C. 1, 13. Cic. Tusc. quæst. 1, 15.

At Drusus urbe egressus. Quæras, quo hæc egressio et reditio? Ad morem priscum. quo obtinuit, ut, qui e provinciis cum imperio redirent, illud ipsum amitterent, simul intrassent urbem. Ideo Livius 26, 9. *Quinto Fulvio ne minueretur imperium, si in urbem venisset, decernit senatus.* Et magis ad lucem Taciti, quod Dio 53, 32. tradit, Augusto decretum perpetuum proconsulare imperium, ita ut nec, si intra urbem venisset, minueretur, neve necessum esset ἀνανεοῦσθαι τὴν ἀρχήν, id est, renovare sive repetere auspicia. Nam auspicii nomine etiam imperium hic cape. Sed cui rei Druso opus fuit repetito imperio? ad ovationem. Nam qui triumphans ovansque urbem ingreditur, cum imperio id facit in illum diem : Drusus autem imperium amiserat, ingressus urbem ob fratris sui mortem. Debuit ergo repetere, ut ovaret. Ejus sententiæ sunt, quæ apud Ciceronem legis, spem triumphi abjicientem ad Att. 7, 7. *Utar ea porta, quam primam videro.* et apud Cœlium ad Cic. ep. 6. *Neque enim stulte Appius, qui, simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in urbem, triumphique postulationem abjecerat.* Apud Ulpianum l. ult. De off. proconsul. *Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium.* Iterum apud Cic. ad Att. 7, 1. *Mihi valde placet de triumpho nos moliri aliquid; extra urbem esse cum justissima causa.* Lips. Quid libera republ. fuerit *repetere auspicia*, vide docentem H. Valesium ad Liv. 3, 30, apud quem pluribus locis *repetita auspicia* a magistratibus commemorantur. Ern.

Miti obitu. Miti obitu, id est, citra vim, et ex fato. Sed videamus. M. Agrippæ tres uxores fuerunt. Prima, Pomponia Attici filia, conciliante eas nuptias M. Antonio triumviro. Ex ea genuit Vipsaniam, de qua hic, Drusi matrem. Altera, Marcella, Octaviæ filia. Ex ea quoque liberi, si Suetonio fides, diserte id in Augusto tradenti : etsi nihil de iis postea reperias, et videatur ea proles non fuisse vitalis. Tertia uxor, Julia : ex ea nati Caius et Lucius, Cæsares, Postumus Agrippa, Agrippina et Julia. In his plerisque vera Taciti nota. Caius enim et Lucius veneno crediti periisse; Agrippina, fame; Postumus, ferro. Juliam excipio : cujus mortem 4, 71. ita narrat ipse Tacitus, ut ex natura videatur, ferri aut veneni nulla mentione. Lips.

XX. Eodem anno Tacfarinas, quem priore æstate pulsum a Camillo memoravi, bellum in Africa renovat, vagis primum populationibus, et ob pernicitatem inultis: dein vicos exscindere, trahere graves prædas: postremo, haud procul Pagida flumine, cohortem romanam circumsedit. Præerat castello Decrius, impiger manu, exercitus militia, et illam obsidionem flagitii ratus. Is cohortatus milites, « ut copiam pugnæ in aperto facerent, » aciem pro castris instruit. Primoque impetu pulsa cohorte, promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos, « quod inconditis, aut desertoribus miles romanus terga daret: » simul excepta vulnera, et,

Pagida flumine. Quem alio nomine Belum dici Plinius 5, 17. ait. Lips. Mentionem Plinii h. l. alienam esse, quod Plinianus ille fluvius Pagida in Phœnice est, non in Africa, recte monuit Ryckius. Ern. Forsan hodie flumen est *Abeadh.*

Inconditis. Disciplinæ militari nulli, nedum romanæ, adsuetis. Sic *inconditum agmen* dixit Curtius 4, 14. et alii. Ern.

Simul excepta vulnera. Varietas interpungendi hujus loci indicare videtur, eum non eodem modo intellectum ab editoribus. Nam veteres edd. punctum habent ante et post hæc verba: quam interpunctionem servant Lipsianæ, quas vidi. Gronovianæ contra jungunt præcedentibus et sequentibus, commatibus tantum positis. Ryckius puncto sejungit ab antecedentibus, sed conjungit sequentibus. Sed nemo aliquid animadversionis huic loco addidit. Enimvero quæri potest, ad quod verbum vel expressum, vel intelligendum, hæc verba referantur. Id hoc modo indagabimus. *Excepta vulnera* sunt haud dubie Decrii, non, primo impetu fugatorum militum. Igitur non ad antecedens referri verbum possunt. Nec excepta sunt post illa dicta: nondum enim in hostem rursus irruerat. Itaque non intelligi potest *sunt*, quod videntur voluisse, qui hæc verba a ceteris separarunt punctis. Nihil aliud igitur restat, nisi, ut putemus, Decrium signiferis et militibus ostendisse vulnera, quæ ipse exceperit, fortiter pugnando, iisque ostendendis et exprobrare ignaviam et fortitudinem incendere voluisse, ut alii simili tempore facere. Unde fit, ut aut verbum huic rei exprimendæ positum, velut *ostendit*, vel *ostentat*, *nudat*, exciderit, aut e sequentibus *os in hostem intendit*, intelligendum sit: quod tamen durius esse, omnes, ut opinor, videbunt. *Ostendit* potuit excidere, quod sequens membrum verbo simili finiretur. Neque indecorum Tacito duo juncta membra verbis ὁμοιοτελεύτοις ponere: cum etiam Livius verbum *ostendere* ipsum his aliquo loco sic ponat. Ceterum simi-

quamquam transfosso oculo, adversum os in hostem intendit; neque prœlium omisit, donec, desertus suis, caderet.

XXI. Quæ postquam L. Apronio, nam Camillo successerat, comperta; magis dedecore suorum, quam gloria hostis anxius, raro ea tempestate et e vetere memoria facinore, decumum quemque ignominiosæ cohortis sorte ductos, fusti necat. Tantumque severitate profectum, ut vexillum veteranorum, non amplius quingenti numero, easdem Tacfarinatis copias, præsidium, cui Thala nomen, adgressas, fuderint. Quo prœlio Rufus Helvius, gregarius miles, servati civis decus retulit; donatusque est ab Apronio torquibus et hasta. Cæsar addidit civicam coronam, « quod non eam quoque Apronius, jure proconsulis, tribuisset, » questus magis, quam offensus.

lia loca plura memini me apud auctores reperire. Virgilius Æn. 5, 357. quamquam alia in caussa: *Et simul his dictis faciem ostentabat*, ubi multi libri *ostendebat*. Ern. Paschalius mutilum locum putabat. Supplet Ernesti; cujus ratio, si cui non arridet, intelligere poterit, *simul excepta* (*sunt ab eo*) *vulnera*: adposito colo. — * Sic Wopkens.

* *Desertus suis*. Pro *a suis*, ut notavit Heins. sic Just. 22. 4.

Sorte ductos etc. Totidem Sallustiana verba Servius citat ad Æn. 2, 201. *Sorte ductos fuste necat*; quod ad Crassum referendum videri in decimatione cohortis unius, vere observavit noster Douza. Lips. E MS. *fusti* restituit Pichena, cum ante vulgo legeretur *fuste*, similiter ap. Vellei. 2, 78. extr. ubi edd. *fuste percussit*, MS. *fusti*, quod late adscrit, etiam Taciti loco allato, Heinsius ad illum locum. *Fusti* etiam infra, 14, 8, meliores libri. item ibid. c. 44. De supplicio autem hoc tirones legant Polyb. 6, 36. Lipsium Milit. 5, 18. Ern. — * Sall. verba a Serv. cit. refer potius ad antiquiorem Crasso Appium Cos. de quo Liv. 259.

Thala. Positio urbis incerta. Oppidum magnum et opulentum Sall. vocat Jug. 75. Shaw travels in Barbary t. 1, p. 2, ch. 5. in Byzacio conjicit esse *Ferre-anah*, olim et *Telepte*, quæ sedes episcopalis medio ævo.

Torquibus. Cf. Cuperi ep. ad Sperling. 52.

Apronius jure proconsulis. Huc refer illud Suetonii 32. *Corripuit consulares exercitibus præpositos, quod de tribuendis quibusdam militaribus donis ad se referent: quasi non omnium tribuendorum ipsi jus*

Sed Tacfarinas, perculsis Numidis et obsidia adspernantibus, spargit bellum; ubi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans : et, dum ea ratio barbaro fuit, irritum fessumque Romanum impune ludificabatur : postquam deflexit ad maritimos locos, illigatus præda, stativis castris adhærebat : missu patris Apronius Cæsianus cum equite et cohortibus auxiliariis, quis velocissimos legionum addiderat, prosperam adversum Numidas pugnam facit, pellitque in deserta.

XXII. At Romæ Lepida, cui, super Æmiliorum decus, L. Sulla ac Cn. Pompeius proavi erant, defertur, « simulavisse partum ex P. Quirino, divite atque orbo. » Adjiciebantur » adulteria, venena; quæsitumque

3. *Inligatus præda.* An *inlectatus.* Sed *lento veneno inligare*, Ann. 6, 32. et similia.

haberent. Lips. Proconsul is in numo Drusi Cæs. memoratur ap. Vaillant in NN. Coll.

Obsidia adspernantibus. Id est, cum nollent obsidere aut oppugnare ultra præsidia romana, male bis terque accepti. Lips.

Spargit bellum. Non est late extendit, ut Freinsh. in Indice interpretatur : sed diversis locis vel diviso exercitu vel vagando gerere. Hoc quidem loco, ut sequentia clare arguunt, significat, cum copiis vagari incertis locis, et ubique circumferre bellum, ut Livius loqui solet. Cum diviso exercitu locis diversis bellum geritur, dicitur etiam *distrahi* bellum. Formulam *spargere bellum* posteriori hoc sensu illustrat Burmann. ad Val. Fl. 5, 488. Lucan. 3, 64. Ern.

Adhærebat : missu patris. Hic locus in editis interpunctione laborat, eaque caussa videtur fuisse, quare editores, inde ab Rhenano et Aldo, *missuque* dederint, cum e cod. MS. Beroaldus *missu* edidisset, quod a Pichena restitutum est. Fraudi fuit omissio copulæ ante *inligatus*, quæ est sane hoc loco durior, sed tamen a Taciti oratione non aliena. Antecedens est : *postquam deflexit ad maritimos locos*, (et) *inligatus præda*, *stativis castris adhærebat :* jam deinde consequens, de rebus Tacfarinatis conversis : *missu patris Apronius Cæsianus... prosperam pugnam facit etc.* Igitur post *adhærebat* colon posuimus. *Adhærebat* MS. non *hærebat*, ut editi. *Hærere* sane usitatius et elegantius dixisset; hinecque correctio nata. Pro *inligatus* frustra Heinsius conjiciebat *inlectatus*. *Illigatus* est, qui Livio sæpe *impeditus præda*. Ern.

L. Sulla — proavi. Hoc late demonstrat et probabiliter, fatente ipso Jac. Gronovio, Norisius ad Cenot. Pis. p. 257. Ern.

per Chaldæos in domum Cæsaris : » defendente ream Manio Lepido, fratre. Quirinus, post dictum repudium adhuc infensus, quamvis infami ac nocenti miserationem addiderat. Haud facile quis dispexerit illa in cognitione mentem principis : adeo vertit ac miscuit iræ et clementiæ signa : deprecatus primo senatum, « ne majestatis crimina tractarentur : » mox M. Servilium, e consularibus, aliosque testes illexit ad proferenda, quæ velut reticere voluerat. Idemque servos Lepidæ, cum militari custodia haberentur, transtulit ad consules ; neque per tormenta interrogari passus est de his, quæ ad domum suam pertinerent. Exemit etiam Drusum, consulem designatum, dicendæ primo loco sententiæ : quod alii ci-

Quæsitumque per Chaldæos. Quod semper capitale. *Cui autem opus est perscrutari super Cæsaris salute, nisi a quo aliquid adversus illam cogitatur, vel optatur ? aut post illam speratur et sustinetur ? Non enim ea mente de caris consulitur, qua de dominis*, ait apposite ad hanc rem Tertull. Apol. 35. Lips. Formam loquendi J. Gron. illustrat e Propertii 1, 7. *Atque aliquid duram quærimus in dominam.* Quod tamen ibi aliter dicitur. Ern.

Manio Lepido. Is Q. filius eo prænomine consul cum. T. Statilio Tauro a. U. 763., occurrit in tab. Narbon. ap. Grut. p. 229.

Post dictum repudium. Non ita capies, quasi alibi dixerit de eo repudio : sed *dicere* repudium usurpat, quod *mittere* vulgo : id est, postquam repudiasset eam Quirinus. Repudiarat autem ante annos 20. Sueton. Tib. 49. Lips.

Vertit. Quidnam ? an *signa iræ et el.* non putem. Intelligam *se*, mutavit sæpe orationem, modum agendi. Ern. — Commode *vertit* ad adcusativum refertur, nec opus absolute sumi. Wopk.

Ad proferenda. Vid. ad 2, 53. Ern.

Reticere. Acidalius volebat legi *reticeri*. Sensus est, quæ, ante simulaverat, se reticeri velle. Verba duriora sunt et vix sana. Negat Broterius : utinam docuisset, *velut voluerat*, sic dici. Ern.

Militari custodia. Militarem custodiam, uti se habuit, paullo uberius explicavi : non tibi veterane, sed tibi tiro, in Excurs. nostris in *B.* Lips. De custodia apud magistratus idem agit ad 6, 3. Ern.

Consulem designatum. Appianus Civil. 2, 5. Σιλανὸς μὲν δὴ πρῶτος ἐλεγεν, ὃς ἐς τὸ μέλλον ἤρετο ὑπατεύειν· ὧδε γὰρ Ῥωμαίοις ὁ μέλλων ὑπατεύσειν πρῶτος ἐσφέρει γνώμην, ὡς αὐτὸς, οἶμαι, πολλὰ τῶν κυρουμένων ἐργασόμενος, καὶ ἐκ τοῦδε εὐβουλότερόν τε καὶ εὐλαβέστερον ἐνθυμησόμενος περὶ ἑκάστου. Lips. Adde Sall. Cat. 50. Ern.

vile rebantur, « ne ceteris adsentiendi necessitas fieret: » quidam ad sævitiam trahebant: « neque enim cessurum, nisi damnandi officio.

XXIII. Lepida, ludorum diebus qui cognitionem intervenerant, theatrum cum claris feminis ingressa, lamentatione flebili « majores suos » ciens, « ipsumque Pompeium, » cujus ea monumenta et adstantes imagines visebantur, tantum misericordiæ permovit, ut, effusi in lacrimas, « sæva et detestanda Quirino » clamitarent, « cujus senectæ atque orbitati, et obscurissimæ domui, destinata quondam uxor L. Cæsari, ac D. Au-

Neque enim cessurum nisi damnandi officio. Boxhornius putat, ex his liquere, primo cedentem loco, ultimo sententiam Drusum dixisse, et quidem *damnandi officio*, id est, ut sic suctis damnantium suffragiis Lepida damnaretur. Scilicet adeo inops erat Tiberius paratorum ad damnandum, quos vellet perdere, ut, quæ vinceret absolventes una, Drusi sententiam in postremum differendam haberet. Unde autem constat, Drusum ultimo loco sententiam dixisse? Neque enim, quod censuerunt aliqui priores mitius, prior etiam Rubellius Blandus, cui Drusus accessit, inde sequitur hunc post omnes demum rogatum. Varia illa judicia fiebant in senatu, simulatque Drusum Tiberius sententiæ primo loco dicendæ, ut consulem designatum, necessitate solvisset. Qui pejorem in partem hoc interpretarentur, conjiciebant, eum velle Lepidam condemnari: nam, si absolvi vellet, utique non erat passurus, ut gratiam, quam initurus erat primus auctor clementiæ, alius occuparet. Quod eventus comprobavit. *Neque enim cessurum, nisi damnandi officio*, est, non enim daturum aliis priorem locum, nisi ad invidiosam caussam damnandi. Ut recte et alii omnes acceperunt. Gron. Ferrar. in Elect. 1, 10., conjicit *adsensurum*, frustra. Quid est *adsentiri damnandi officio?* si esset *damnantibus*, alia res esset. Nunc quæritur, quare primo loco in censendo cedat. Altera conjectura est, ne quod ipse censuisset, ceteris necessario censendum videretur, tanquam volente Tiberio, qui filio subjecisset, quid censeret. Altera, quia damnari vellet Lepidam Tiberius: cujus sententiæ primum auctorem nollet esse filium. Vid. etiam J. Gronov. Exr.

Ea monumenta. De ipso theatro accipienda esse, quod Pompeius exstruxerat, quodque Pompeii theatrum sæpe vocatur, recte monuit Freinsh. *Monumenta* sunt ædificia publica, alicujus cura sumptuve exstructa. Vid. Clavis Ciceron. in h. v. Exn. De theatro Pompeii vide 14, 20.

Et obscurissimæ domui. Abunde infra hoc ipso libro. Lips.

Destinata uxor L. Cæsari, ac D. Augusto nurus. Non alibi quam in hi-

gusto nurus, dederetur. » Dein tormentis servorum patefacta sunt flagitia, itumque in sententiam Rubellii Blandi, a quo aqua atque igni arcebatur. Huic Drusus adsensit, quamquam alii mitius censuissent. Mox Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur. Tum demum aperuit Tiberius : « compertum sibi etiam ex P. Quirini servis, veneno eum a Lepida petitum. »

XXIV. Illustrium domuum adversa (etenim haud multum distanti tempore Calpurnii Pisonem, Æmilii Lepidam amiserant) solatio adfecit D. Silanus, Juniæ familiæ redditus : casum ejus paucis repetam. Ut valida D. Augusto in remp. fortuna; ita domi improspera fuit, ob impudicitiam filiæ ac neptis, quas urbe depulit, adulterosque earum morte aut fuga punivit. Nam culpam, inter viros ac feminas vulgatam, gravi nomine

pide repperi hanc historiam, qui Bergomi visitur, PVDENS. M. LEPIDI. L. GRAMMATICVS. PROCVRATOR. ERAM. LEPIDAE. MORESQVE. REGREAM. DVM. VIXI. MANSIT. CAESARIS. ILLA. NVRVS. ATTEIVS. PHILOLOGVS. DISCIPVLVS. Post damnationem demum positus lapis videtur : et Pudenti adscripta gloria, tanquam illo vivo Lepida casta, bona. Lips. Hanc inscriptionem exhibent Gruterus p. 653, et alii. Ea suspecta est Ryckio ad h. l. primo, quia *nurus Cæsaris* dicitur, cum tantum destinata fuerit : deinde, quia pater ejus M. dicitur, cum Q. prænomen habuerit : tertio, quia contra rationem temporis Atteius Pudentis discipulus vocatur. Primæ duæ rationes dubitandi evanescent, si hanc inscriptionem non de hac Lepida, sed de alia, quæ Drusi conjunx fuit, cujus pater M. Lepidus, quæ post patris mortem damnata est, (vid. 4, 20. 6, 40.) accipiamus; ad quam video eam relatam esse a Peschvicio in Comm. de Familia Cæsarum August. §. 92. Egit de hac inscriptione etiam Norisius l. c. Ern. Peschvicius sibi parum constat. Nam §. 10. eum titulum ad hanc nostram refert, quæ hic destinata D. Augusti nurus, rectius pronurus, dicitur.

In remp. Malim *in republica* : opponitur enim *domi*, et exprimit, quod alias opponitur τῷ *domi*, *foris*, *publice*. Sic et Huetio placuisse, testatur Broterius : negat ipse necessarium esse : sed non docet, *fortunam in remp.* dici latine. Ern. — Sic variare orationem amat noster, nec quid mutandum. Wopk.

* *Fuga punivit.* Hoc est exilio. Sic græce quoque φυγάδες, exules.

« læsarum religionum ac violatæ majestatis » adpellando, clementiam majorum, suasque ipse leges egrediebatur. Sed aliorum exitus, simul cetera illius ætatis, memorabo, si effectis in quæ tetendi, plures ad curas vitam produxero. D. Silanus, in nepti Augusti adulter, quamquam non ultra foret sævitum, quam ut amicitia Cæsaris prohiberetur, exsilium sibi demonstrari intellexit: nec, nisi Tiberio imperitante, deprecari senatum ac principem ausus est, M. Silani fratris potentia, qui per insignem nobilitatem et eloquentiam præcellebat. Sed Tiberius grates agenti Silano, patribus coram, respondit, « se quoque lætari, quod frater ejus e peregrinatione longinqua revertisset: idque jure licitum,

Effectis in quæ tendi. Heinsius, l. c. p. 389, conjiciebat: *in quæ intendi*, ut alibi *intendi ad curas* H. 2, 67.; sed etiam *tendere* rectum est. *Tendere in aliquid* est conari aliquid, suscipere: quo sensu sæpe dici *tendere* etiam lexica docent, intellectu pronominis *se*, sive etiam *animum*. Ut dicimus *intendere iter, cursum*, et *tendere* apud Livium 23, 34. Add. Drakenb. ad Silium 10, 73. Sic etiam dici potest *tendere animum* et *intendere*. Sed pro *tendi* legendum *tetendi*. Nam prima syllaba in talibus perfectis sæpissime excidit. Vid. exempla bene multa ap. Drakenb. ad Liv. 37, 53. quo in loco pariter codex non unus *tendisse* pro *tetendisse*, quod recte illi prætulit Drakenb. Ceterum non ignoro locum Senecæ Herc. fur. 538, *rates carbasa tenderant*. Nam in altero Propertii 3, 6, 37. qui laudari solet, Broukhusius recte dedit et defendit *nexisse*. Groslotius volebat *tendo*. Ern. — Rectius *quæ intendi* ut apud Sallust. Jug. c. 104. Wopk.

Plures ad curas. Vid. ad 4, 11. Ern.

Qui per insignem nobilitatem et eloq. Elegans conjectura Acidalii: *qui super insignem nobilitatem et eloquentia præcellebat. Et* pro etiam. Ern. — Recte. Sed per *nobilitatem* intellige dignitatis splendorem, ut 6, 29. et confer 14, 19. Wopk.

Licitum, quia non SC. non lege. Observa. triplex ratio, sive via, a patria abeundi. Primum, jussu decretoque senatus, quasi reip. interesset. Quæ ratio validissima, nec facile veniam aut indulgentiam inveniebat. Ideo Augustus in Agrippa Postumo, *multa de moribus adolescentis questus, ut exsilium ejus SC. sanciretur, perfecerat.* Ann. 1, 6. Altera ratio, per judices et sententiam ex lege. Hæc quoque firma, et olim usurpata: at tertia novitia, cum princeps in exsilium mittebat, quæ verius relegatio tantum erat, et velut a parente publico, nam et patribus domi ac privatim hoc jus, facta. Ovidius omnes

quia non senatusconsulto, non lege pulsus foret. Sibi tamen adversus eum integras parentis sui offensiones : neque reditu Silani dissoluta, quæ Augustus voluisset. » Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est.

XXV. Relatum deinde de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus, post Julias rogationes, incitandis cælibum pœnis et augendo ærario sanxerat : nec

4. *Incitandis cælibum pœnis.* Pro *intendendis.* Sed hoc longius abit, nisi ex *intendendis* corrupto fecere librarii *incitandis.* Possis et *intentandis*, ut infra c. 28, *terror omnibus intentabatur.* Forte *iterandis.* Sic *iterare tumulum* pro *restituere*, Ann. 2, 7; *vulnus*, 6, 35; *et testudo iterata*, Hist. 3, 28. Forte, etiam *invitandis.* Sequentia de delatoribus confirmant. Huc refer Ann. 4, 30., *Delatores, genus hominum publico exitio repertum. . . . per præmia eliciebantur,* id est, *invitabantur.* Apud Nasonem Epist. 17, 183., *invitant omnia culpam. Invitata improbitas parvulo successu.* Plin. Hist. Nat. 2, 23 (21). Petron. 41, Fragm. Trag., *Libertatem sine tyranno nacti, cœpimus invitare convivarum sermones.* Vel forte, *invitandis*, quod verius. Sic Ann. 13, 1., *Junius Silanus exitium suum ingenti violentia irritavit.* Hist. 2, 17., *Irritabat Batavos Padus ipse.* C. 53, *Expositum ad invidiam Marcelli nomen irritaverat Cæcinam :* ubi Acidalius, *invitaverat.* 3, 4., *T. Ampius suspiciones militum irritabat.* C. 70, *irritare hominum oculos.* 4, 32., *Epistolæ Antonii suspicionnes militum irritavere.* 2, 24., *irritato prælio sponte refugi milites.* Apud Senec. de Benef. 3, 14., *non est irritandus animus ad avaritiam*, ubi alii *invitandus.* Vide illic Juretum. *Excitare invidiam in bonos*, noster Ann. 3, 36.

tangit Trist. 2, 135. *Nec mea decreto damnasti facta senatus ; Nec mea selecto judice jussa fuga est. Tristibus invectus verbis* (*ita principe dignum*) *Ultus es offensas, ut decet, ipse tuas. Adde, quod edictum, quamvis immite minaxque, Attamen in pœnæ nomine lene fuit. Quippe relegatus, non exsul, dicor in illo.* Gradatim ibi vides tres has species : et levissimam ac lenissimam tertiam, quæ auctoritate magis, quam jure constat. Cum tamen edicta principum vim legis haberent : verbo *legis*, et hanc speciem Tacitus est complexus : et, cum nulla harum intervenisset, aperte quidem, Tiberius redeundi merito gratiam fecit. Lips.

De moderanda Papia Poppæa. Lex apud veteres in multa fama, et usu : de qua ubertim disseruimus in Excurs. et multa ad Taciti aliorumque lucem, in *C.* Lips.

Incitandis cælibum pœnis. Id est, augendis atque intendendis. Lips. Pichena putat etiam *incitatas pœnas* dici fortasse, quia jacebant, nec erant in usu. Locum haberet hæc interpretatio, si legeretur *excitandis.* Vid. Obs. 2, 16. Gron. Ceterum, si pœnæ cælibatus auctæ sunt, ante legem Papiam Poppæam tales pœnæ fuerint necesse est. Cum autem nulla talis lex ante fuerit, ut docuit Lipsius in Exc. pœnæ intelligendæ sunt de notis censorum : de quibus idem Lipsius. Heinsii conjecturæ argutiores sunt, quam ut probare possim. Ern.

ideo conjugia et educationes liberum frequentabantur, prævalida orbitate. Ceterum multitudo periclitantium gliscebat, cum omnis domus delatorum interpretationibus subverteretur: utque antehac flagitiis, ita tunc legibus laborabatur. Ea res admonet, ut de principiis juris, et quibus modis ad hanc multitudinem infinitam ac varietatem legum perventum sit, altius disseram.

XXVI. Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur; et, ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At,

5. *Cum omnis domus delatorum interpretationibus subverterentur. Subverteretur* scripto Pichena. Mihi vulgatum longe elegantius, de quo ad Nasonem Fast. 3, 189.

Incitare pœnas est augere pœnas. Sic et *incitare celeritatem*. Cic. de Orat. 1, 20., *proceritatem* Colum. 4, 33. Groslotius in Syll. Burm. t. 1, conjiciebat *incitandum cœlibum p. et augendi ærarii* scil. caussa. Paschalius verba *inc. c. p. et a. a.* pro glossemate habet et uncis includit; aut, si sint Taciti, pro *incitandis* jubet legi *intendendis*.

Prævalida orbitate. Quia id genus omnes captabant, colebant. Seneca Cons. ad Marc. 19., *In civitate nostra plus gratiæ orbitas confert, quam eripit: adeoque senectutem solitudo ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos ejurent, et orbitatem manu faciant.* Lips. Paschalium si audias, magna transpositione hic opus est. Post verba laudata inserenda existimat ex c. 28, *acriora ex eo vincla* etc., usque ad *levamentum fuere*: tum verba c. 28, *lege Papia Poppæa* abundare putat.

Domus subverteretur. Sic e MS. restituit Pichena, quem secutus est Jac. Gron. Sic habent etiam edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani et Aldi, Gryphii. Recentiores *subverterentur*. Ern.

Suopte ingenio peterentur. *Suopte ingenio* refertur ad *honesta*, non ad *vetustissimi*. Sic Liv. 2, 30. *Sed cura fuit consulibus et senioribus patrum, ut imperium, suo vehemens, mansueto permitteretur ingenio.* Gron. Acidalius autem et Ursinus referebant ad *vetustissimi*, malebantque *peterent*, cum etiam sequatur *cuperent*: quod non adeo displicet: neque tamen contra libros aliquid mutem, et, ut sæpe dixi, Tacitus variat libenter modos loquendi. *Suopte ingenio* autem non referam ad *honesta*: non quæritur jam de rebus per se honestis, sed ad *peterentur*. *Suopte ingenio pet.* est *sponte*, quod opponitur *præmiis*. Sine præmiorum spe petebantur honesta, insito amore honesti, etc. Ern.

postquam exui æqualitas, et pro modestia ac pudore ambitio et vis incedebat; provenere dominationes: multosque apud populos æternum mansere. Quidam statim, aut postquam regum pertæsum, leges maluerunt. Hæ primo, rudibus hominum animis, simplices erant: maximeque fama celebravit Cretensium, quas Minos; Spartanorum, quas Lycurgus; ac mox Atheniensibus quæsitiores jam et plures Solon perscripsit. Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat: dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit: repertaque quædam a Tullo et Anco: sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent.

XXVII. Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis, et firmandæ concordiæ: creatique decemviri, et accitis, quæ usquam egregia, compositæ duodecim tabulæ, finis æqui juris:

Incedebat. Oriebatur, ut 15, 37. *postquam tenebræ incedebant.* Liv. 29, 24. *timorque in exercitu incederet*, ut J. F. Gron. rescripsit: aut invaserat animos, grassabatur, ut multis locis apud Livium. Vid. Gronov. ad l. c. Adde 4, 46. Ern.

Cretensium. De Cretensium rep. et legibus lege Polybium 6, 43. ubi negat primo Spartanæ similem, deinde laudandam fuisse: quod Xenophontem, Platonem, Ephorum et Callisthenem tradidisse dicit: quibus adde Aristotelem de Rep. 2, 9. Ern.

Ac mox Ath. quæsitiores jam et. Malim *ac mox Atheniensibus* vel potius *Atheniensium quas* etc. Wopk. Facile pronomen a sequente voce absorberi potuit; ni ex more suo variare orationem voluerit noster.

Solon. Cod. MS. *Solo:* quæ terminatio et ipsa proba est, ut sæpe docuere viri docti in talibus nominibus. Vide, quem hic laudat Jac. Gronovius, J. F. Gronovium, ad Senec. Agam. 514. Nominatim ap. Valer. M. 8, 9. in MSS. est *amantissimus patriæ Solo*, ut l. c. tradit Gron. Ern.

Nobis Romulus. Viri docti jam laudarunt locum Pomponii in l. 2. de Origine Juris. *Initio civitatis nostræ populus sine certa lege, sine jure certo, primum agere instituit: omniaque manu a regibus gubernabantur.* Ern.

Finis æqui juris. Non de extremo tempore capiam cum Freinsh. sed de absolutione et perfectione juris. Tabulis XII perfectis absolutum quoddam juris æqui corpus extitit, quam ei laudem Cicero et alii tribuunt: neque ei quicquam accessit magnopere novis legibus. Sic Ciceroni Planc. 25, *consulatus* dicitur

nam secutæ leges, etsi aliquando in maleficos ex delicto, sæpius tamen dissensione ordinum et apiscendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ sunt. Hinc Gracchi et Saturnini, turbatores plebis; nec minor largitor, nomine senatus, Drusus; corrupti spe, aut illusi per intercessionem socii. Ac ne bello quidem Italico, mox civili, omissum, quin multa et diversa sciscerentur: donec L. Sulla dictator, abolitis vel conversis prioribus, cum plura addidisset, otium ei rei haud in longum paravit; statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis reddita licentia, quoquo vellent, populum agitandi. Jamque non modo in commune, sed in singulos homines latæ questiones: et corruptissima republ. plurimæ leges.

XXVIII. Tum Cn. Pompeius tertium consul, corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor,

finis honorum populi. Eodemque modo Tuscul. 2, 1., *finis sperandi* est summum, quod quis sperare potest Ceterum ea, quæ sequuntur, ex historiis illustrare, nihil attinere putavi, cum ex omnibus historiæ r. compendiis, Floro, Velleio etc., cognoscere de iis liceat. Ern. Hillerus Racem. 27, cum Freinsh. sentit, quia postea quoque *multa et diversa sint scita*, in quibus per vim latis æquitas desiderata sit. Ast Ernestinæ interpretationi favent Cic. de Orat. 1, 44. ubi *leges XII tabb. bibliothecas omnium philosophorum et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare* dicit; et Liv. qui 3, 34., eas *fontem omnis publici privatique juris* vocat.

Lepidi rogationibus. De quibus Florus 3, 23. et quædam Sallust. in Fragm. l. 1. Lips.

Licentia. Per legem tribunitiam, quam Cicero vocat, sive Pompeiam, latam a Pompeio in primo consulatu, qua tribunis plebis jus pristinum restituit. Vid. Clav. Cic. Ern.

In singulos homines. Per privilegia, ut Ciceroni accidit, quæ per leges sacratas et XII tabularum irrogare nefas erat. Ern.

Auctor idem ac subversor. Nam leges de ambitu et judiciis tulit: et in suis amicis non servavit, immo perrupit. Ex Dione, Asconio, aliis. Lips. Adde legem de jure magistratuum et de petitione Cæsaris absentis. Sueton. Cæs. c. 28. De tribuni-

quæ armis tuebatur, armis amisit. Exin continua per viginti annos discordia : non mos, non jus. Deterrima quæque impune, ac multa honesta exitio fuere. Sexto demum consulatu Cæsar Augustus, potentiæ securus, quæ triumviratu jusserat, abolevit : deditque jura, quis pace et principe uteremur. Acriora ex eo vincla, inditi

6. *Deditque jura, quis pace et principe uteremur.* Locus mendosus omnium consensu : opinor, quis *pacem se principe tueremur.* Optimum enim pacis stabiliendæ fundamentum leges. Hist. 4, 74., *Nos, quamquam totiens lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur.*

tia potest : quam sustulisse videtur, tribunis, qui intercesserant pro Cæsare, armis persequendis, vide Cæs. B. C. 1, 5. 7. Ern.

Per viginti annos discordia. Rotundus numerus, non verus. Nam a Pompeii II consulatu ad Augusti VI intersunt anni 24. Lips.

Abolevit. Uno edicto. Vid. Dio 53, 2. Ern.

Quis pace et principe. Quibus uteremur, est, quod cum Pomponio dicas, *aleremur;* regeremur, viveremus. *Pace*, id est, per pacem terra marique ab ipso restitutam, nullo jam civilium armorum metu, eoque non talia, qualia triumviratu jussa, quæ sæpe temporum erant, non justitiæ : præsentis et paucorum, non perpetuæ publicæque utilitatis. *Pace* igitur jam reducta, sed *et principe*, nempe instituto, introducto, exorto, summæ rei præposito, velut eorum vindice ac defensore. Per pacem sub principe, quia pacis interfuit omnium potestatem ad unum conferri; cui scilicet ea non posset eripi, jamdudum parata, confirmata, succincta armis inter victos aut inermes atque imbelles. Gron.

Acriora ex eo vincla. Assentior Pichenæ, *artiora.* Lips. Nisi forte magis ad vim verbi *vincula*, quam ad verbum ipsum respexit. *Custodias* quidem *acres* supra habuimus 1, 5. Sed ibi *custodiis* aptius verbum est, quam h. l. vinculis. Ern.

Inditi custodes, et lege P. P. præmiis inducti. Hæc verba quam varie tentata sint, non dicam. Muretus *inditi* et copulam *et* deleri volebat. Sed verbum *inditus* frequens est Tacito, nec ejusmodi, ut a librariis ortum videatur. *Inditi custodes* haud dubie bene dicuntur, pro impositis. Hæc enim duo verba in multis modis loquendi permutari possunt, ut *indere et imponere nomen, castellum rupi*, 4, 46. etc. ut etiam monuit Gronovius in nota proxima. Sed *inditi* sive *impositi legum custodes* non possunt intelligi, nisi de magistratibus, hac de caussa constitutis, ut videant, ne qui contra leges peccent : nam accusatores, qui et ipsi custodes legum dicuntur 4, 30. *alliciuntur*, non *imponuntur*. Tales ab Augusto nulli constituti sunt. Itaque mihi in mentem venit, sic esse legendum : *acriora ex eo vincula indita, custodes ex lege P. P. præmiis inducti. Vincula indita* non raro occurrunt : etiam Tacitus noster sic dixit 11, 1. Durius porro est *custo-*

custodes, et lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut, si a privilegiis parentum cessaretur, velut parens om-

des lege P. P. præmiis inducti: nec est frustra illud *et*, quod in codice est, et corruptum reliquæ corruptioni locum dedit. *Legis præmia* et *ex lege* promiscue dici, nulla dubitatio est. Sic infra c. 55, *obsequium inde in principem et æmulandi amor, validior quam pœna ex legibus et metus*: quamquam, si quis malit τὸ *et* delere, nulla alia voce reposita, non valde repugnem: etenim et sic dici potuit. Heinsius quoque vidit aliquid ex hac emendatione: sic enim vult rescribi: *artiora ex eo vincula indi, ac custodes l. P. P. præmiis induci*. Nostrum lenius esse, omnes, ut opinor, videbunt. Pro *inducti* possis etiam conjicere *inlecti*: ut infra 4, 30. dicuntur *elici*: sed non necessarium puto. Ern.

Lege Papia Poppæa præmiis inducti. Delatores scilicet accusatoresque. Sueton. Nerone 10, *Præmia delatorum Papiæ legis ad quartas redegit*: ut appareat præmia magna fuisse, et fortean tertiam aut semissem. Lips.

Visi a privilegiis etc. Legendum *ut si*. Lips. Accipio, *ut si*: de reliquo bonam spem habeo. Ab eo tempore, inquit, quod legibus, pace et principe, usi sumus; quod pax reducta et novo imperii nomine, nova potestate, principe, juncta locum juri et judiciis dedit; acrius stringebant et impediebant leges, severiusque (si non et sævius interdum) animadversum, et exercita vindicta in illos, qui tenerentur: nec tanta impunitas et suffugia, quanta in libertate, aut per motus civicos, vel grassantes, vel impendentes. Neque enim, ut prius, exspectatum, donec alicui forte liberet diserto inimicitias exsequi nomine deferundo, aut magistratus mulctam diceret, de qua ad populum certaretur: sed *inditi custodes et præmiis inducti*: hoc est, capita legibus addita, quibus præmia definiebantur accusatoribus, delatoribus, quadruplatoribus, sycophantis, tanquam bonis viris et custodibus legum et cognitoribus populi ac defensoribus. Vel Papia Poppæa quam insigniter illos invitat! sed minore invidia, cum populus in partem prædæ vocaretur, et magna specie æquitatis, ut, quum tanta privilegia maritatis et patribus essent proposita, si tamen ab illis per matrimonia et susceptos liberos appetendis cælibes cessarent, eorum in relicta et legata juri populus omnium parens succederet, atque iis ut caducis frueretur. *Inditi*, impositi, ut 4, 46. *castella rupibus indita*, et 11, 1. *vinclis inditis*. *Custodes*, ut 4, 30. Cicero Div. in Cæcil. de repetundis 5, *cujus legis non modo a populo rom. sed etiam ab ultimis nationibus severi custodes requirantur*. Adde in eadem c. 20 et 21. Ut et pro Roscio Amerino c. 20. Illud, *ut si non utilitate publica* etc. neque invenio in Tacito, nec requiro, aut eo locum quasi mancum suppleri existimo. Potuit hoc Augusto in mente aut prætextum tantæ acerbitati fuisse: Tacitus, si hominem novi, sentiebat, non opus esse præmiis; delatores qui non castigat, et esse patitur, satis invitare. Pergit: ceterum non intra æqua stetit delatorum impotentia. Neque enim satis

nium populus vacantia teneret. Sed altius penetrabant; urbemque et Italiam et quod usquam civium corripuerant: multorumque excisi status: et terror omnibus intentabatur; ni Tiberius statuendo remedio, quinque consularium, quinque e prætoriis, totidem e cetero senatu sorte duxisset, apud quos exsoluti plerique legis nexus modicum in præsens levamentum fuere.

XXIX. Per idem tempus Neronem, e liberis Germanici, jam ingressum juventam, commendavit patribus, utque « munere capessendi vigintiviratus solveretur,

habebant ea criminari, quæ palam erat lege obligari: sed velut altius introspicientes et penitius scrutati vim et sententiam legis casus et criminum genera infinita commenti erant, ut propemodum nemo insons esset: et pari vehementia per omnes imperii romani partes, quicquid ubique civium esset, nihil sæpe minus exspectantes, in jus raptabant. Non enim capio, *sed hæc altius*. Tacitus, cum effert *penetrabant* et *corripuerant*, intellectum voluit *custodes* isti custodiendi, sive accusatores. Gron. *Altius penetrabant*, dixit, ut 2, 36. plus sibi arrogabant, quam lex et consilium legislatoris volebat. Ceterum cum Gronovio et Ryckio credo, nihil deesse: ideoque et asteriscum, qui hic erat post *ut si*, removi. *Ut si* retinui, quod jam Gronov. receperat. Ern.

Multorumque excisi status. Hoc est quod antea dixit: *omnisque domus delatorum interpretationibus subvertebantur*. Et calumniæ multæ in hac lege circa ingenuitatis jura, et similia: ut periclitaretur non dubie multorum status. Plinius Paneg. 34, de hisdem: *Vidimus delatorum judicium quasi grassatorum, quasi latronum. Non solitudinem illi noviter, sed templum, sed forum insederant: nulla jam testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum avaritia. Advertisti oculos*, etc. Quibus in verbis emendo, *Non solitudinem illi, non iter*: quod perperam cooleverat, *noviter*. Itinera sane insident obsidentque grassatores. Lips.

Per idem t. Vide Sueton. Tib. 54.

Capessendi vigintiviratus solveretur. Non ergo aditus ad majores honores, nisi illo adepto? Apparet ex his verbis, itemque e Dione de Claudio 60, 5., Τοὺς γαμβροὺς τότε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι, καὶ μετὰ τοῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀποχαῖς, ἐκέλευσε, καὶ ὀψέ ποτε πέντε ἔτεσι θᾶσσον τὰς ἄλλας ἀρχὰς αἰτῆσαι σφίσιν ἐπέτρεψε. Vigintiviros aperuit nobis solus Dio 54, 26. Triumviros monetales, triumviros capitales, quattuorviros viales, decemviros stlitibus. Instituti sunt hoc numero ab Augusto (antea ad viginti sex erant) a. 741. Dionem adi, atque etiam Festum in voce prætecturæ;

et quinquennio maturius, quam per leges, quæsturam peteret, » non sine irrisu audientium postulavit. Prætendebat, « sibi atque fratri decreta eadem, petente Augusto. » Sed neque tum fuisse dubitaverim, qui ejusmodi preces occulti illuderent. Ac tamen initia fastigii Cæsaribus erant: magisque in oculis vetus mos, et privignis cum vitrico levior necessitudo, quam avo adversum nepotem. Additur pontificatus, et, quo primum

7. *At tamen initia fastigii Cæsaribus erant.* Scribo, *jacta*, vel *jacti*, *tamen initia fastigii*, ut *jacere fundamenta*, *jacere semina cædibus.* Ann. 6, 47., infra hoc libro, C. 54, recte a Lipsio castigatum opinor, *simultates jaciunt, ac mihi relinquunt*, quasi simultatum fundamenta dicat. C. 66, *Mamercus antiqua exempla jaciens.* Cicero de Leg. Agrar. 2, 15., *Hunc quasi gradum quemdam atque aditum ad ceteri jactum intelligetis.* Vid. infra 4, 22.

cujus locum Cujacius emendavit Observ. 11, 24. Lips.

Quinquennio maturius. Vides ergo, quam aberret vir doctus et Italiæ suæ suada, qui negat, legitimam ullam ætatem quæsturæ fuisse. Fuit. Præter hunc locum, Spartianus in Juliano c. 1. *Quæstor, ante annum, quam legitima ætas sinebat, designatus est.* Sueton. Calig. 1. *Quæsturam quinquennio ante quam per leges liceret, et post eam consulatum, gessit.* Sed quænam illa? Vide in Excurs. *D.* Lips.

Prætendebat sibi. Vide Dionem de Tiberio 53, 28. in actis a. 730. de Druso, 54, 10. in actis a. 735. Lips.

Qui ej. pr. occulti ill. Heinsius *occulte.* Sed videsis 4, 12. 40, 67. 14, 32. Sallust. Jug. c. 61. Frontinum Strat. 2, 5, 8. Vopiscum in Aurel. c. 24. Wopk.

Ac tamen initia. Frustra Muretus: *hæc tamen. Ac tamen* exprimit Græcorum καὶ τοι, quo in argumentando utuntur. Enim vero tum facilius ferri tales preces poterant, quod in recenti imperio mollius tractandi hominum animi, et occultanda dominatio, moresque adhuc erant hominum veteris reipublicæ, qua peterentur talia a senatu. Ern. Sic et *ac tamen*, 6, 30.

Magisque in oculis. Quasi dicat: tamen alii non illudebant, et attendebant, hæc initia et gradus ad principatum esse. Quæsturam, inquam, extra ordinem aut ætatem datam, et solutionem a vigintiviratu; itemque attendebant vetus et ab Augusto institutum, non recens a Tiberio; quod si ille fecisset, qui vitricus tantum istorum erat, Tiberii et Drusi, cur non Tiberius in nepotibus usurparet, magis junctis? nepotibus tamen, adoptione: cum sanguine propatruus eorum esset. Lips.

Additur pontificatus. De Nerone agit Germanici F. quem tamen ego pontificem in lapidibus, qui data opera honori ejus et memoriæ positi, non lego. Exstat urna (a Caligula, ut e Suetonio colligas, dicata) Romæ: (ap. Grut. p. 237.) OSSA. NERONIS. CÆ-

die forum ingressus est, congiarium plebi, admodum lætæ, quod Germanici stirpem jam puberem adspiciebat. Auctum dehinc gaudium, nuptiis Neronis et Juliæ, Drusi filiæ. Utque hæc « secundo rumore, » ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Sejanus des-

8. *Adspiciebat. Adspiciebant* rectius.

SARIS. GERMANICI. CÆSARIS. F. DIVI. AVG. PRON. FLAMIN. AVGVSTALIS. QVÆSTORIS. Et in Hispania marmor, quod amicus noster Carolus Clusius descripsit: (ib. p. ead.) NERONI. CÆSARI. GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG. PRON. FLAMINI. AVGVSTALI. SODALI. AVGUSTALI. Ubi cum Flamen utrobique insculpatur, non pontifex: subvereri in mentem venit, ne in cognato honore Tacitus si forte aberrarit. Lips. Tacitum cum lapidibus sic conciliat Ryckius, ut dicat, decretum esse primum inter pontifices locum, qui vacaret postea: id cum longius videretur, datum interea Flaminium. Ceterum his inscriptionibus: addenda alia ex Thes. Mur. t. 1, p. 188. NERONI. CÆSARI. GERMANICI. CÆSARIS. F. TI. CÆSARIS. AVGVSTI. N. FLAMINI. AVGVSTALI. SODALI. TITIO. FRATRI. ARVALI. FETIALI. QVÆSTORI. EX. S. C. Ern.

Quo primum die. Id est tirocinii die sive togæ virilis: quo, auspicii caussa, tirones a patre proximisque solenni officio in forum deduci, et inde in Capitolium solent. Notat Plutarchus in Bruto et Valerius Max. 5, 4. *M. Cotta eo ipso die, quo togam sumsit virilem, protenus, ut e Capitolio descendit, C. Carbonem, a quo pater ejus damnatus fuerat, postulavit.* Suet. in Aug. 26. *Duodecimum et rursus tertium decimum biennio post consulatum magno, id est* 17, *annorum intervallo, ultro petiit, ut Caium et Lucium filios amplissimo præditus magistratu, suo quemque tirocinio deduceret in forum.* In Tiberio 15. *Romam reversus, deducto in forum filio Druso.* Munera etiam sportulasque dari tirocinio solere, observabis hic ex Tacito, et Suetonii Ner. 7. *Deductus in forum tiro, populo congiarium, militi donativum proposuit.* et Calig. 10. Nec in principum modo liberis, sed vulgo id servatum, disco ex Plinio Ep. 10, 117., *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, solent totam Bulen atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare.* Lips.

Nuptiis Neronis. Quod igitur supra est 2, 42., *Silani filiam Neroni vetustissimo liberorum Germanici pactam*, pactam desponsamque fuisse credimus, nuptam deductamque non fuisse. Aut, si fuit, fatum abstulit, et locum huic fecit. Lips.

Secundo rumore. Sensus planus est h. l. vel ex antitheto. Sed non male legentur, quæ Heinsius probavit ad nobilem locum Virgil. Æn. 8, 90., ubi navigantes dicuntur *iter celerare rumore secundo.* Ern.

Quod filio Claudii. Explicat Sueton. Claud. 27. *Drusum Pompeiis imberem amisit, piro per lusum in sublime jacto, et hiatu oris excepto, strangulatum: cui et ante paucos dies*

tinaretur. Polluisse nobilitatem familiæ videbatur, suspectumque jam nimiæ spei Sejanum ultra extulisse.

XXX. Fine anni concessere vita insignes viri, L. Volusius et Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen præturam egressa: ipse consulatum intulit, censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opumque, quis domus illa immensum viguit, primus adcumulator. Crispum, equestri ortum loco, C. Sallustius, rerum romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit. Atque ille, quamquam prompto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria, multos triumphalium consulariumque potentia anteiit: diversus a veterum instituto, per cultum et munditias; copiaque et adfluentia luxu propior: suberat tamen vigor animi, ingentibus negotiis par, eo acrior, quo somnum et iner-

Sejani filiam despondisset: ita enim eum locum in antiquis 2, 6. olim restituimus. Vide initium lib. 4. Lips.

Videbantur. Immo *videbatur:* nempe Tiberius. Nam quod Freinsh. intelligit, *ii, quibus auctoribus id gestum erat*, non videtur hic locum habere. Gron.

Ultra. Sic MS. Beroaldus. Vitio operarum et negligentia correctorum, ut opinor, irrepsit *ultro* (quod jam Alciati, Rhenani, et Aldi ed. habet) ut sæpe alias in scriptis et editis libris. *ultra extulisse* Sejanum videbatur, *quam satis esset, quam oporteret*, quæ interdum adduntur ab auctoribus, interdum omittuntur. *Ultro* latinitati et sententiæ melius convenire pronunciat Broterius, sed non docet. Ern.

Consulatum intulit. In fastis nondum notatus L. Volusii consulatus Suffectum cons. fuisse, apertum est, recteque monet Broterius. Ern.

Censoria etiam potestate. Munusne illud intellegit, quod Augustus instituit, triumviratum recognoscendi equites? de quo Suet. 37. an potius lectas ab eo decurias judicum vult, (quod censorium olim munus) honore a principe dato. Lips. Mihi prius verum videtur, propterea, quod munus legendorum judicum nunquam mandatum privato reperitur, ut dixi in Excursu 14 ad Suetonium: nec censoriæ potestatis pars, judices legere: sed prætoriæ, libera republica, Cæsarum sub principatu. Ern.

Luxu. Pro luxui, antique. Vid. Voss. de analog. 2, 18. Cf. infra c. 33, 34.

tiam magis ostentabat. Igitur, incolumi Mæcenate, proximus; mox præcipuus, cui secreta imperatorum inniterentur, et interficiendi Postumi Agrippæ conscius, ætate provecta, speciem magis in amicitia principis, quam vim tenuit, idque et Mæcenati acciderat; fato potentiæ, raro sempiternæ, an satias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum est, quod cupiant.

XXXI. Sequitur Tiberii quartus, Drusi secundus consulatus, patris atque filii collegio insignis. Nam biennio ante Germanici cum Tiberio idem honor, neque patruo lætus, neque natura tam connexus fuerat. Ejus anni principio Tiberius, quasi firmandæ valetudini, in Campaniam concessit, longam et continuam absentiam paullatim meditans: sive, ut, amoto patre, Drusus munia consulatus solus impleret. Ac forte parva res, magnum ad certamen progressa, præbuit juveni materiem apiscendi favoris. Domitius Corbulo, prætura functus, de L. Sulla, nobili juvene, questus est apud senatum, « quod sibi inter spectacula gladiatorum loco non de-

Speciem m. q. vim. Hoc sensu Vell. 2, 30. *imaginem sine vi* dicit ex emendatione Heinsii. Vide Ruhnken. ad h. l. Cf. et noster c. 60. item 6, 43. 15, 14.

Tam connexus. Suspicor Tacitum scripsisse *connexis.* GRON.

Sive ut amoto. Non desideratur alia portio alternativa orationis, ut Ferreto visum: etiamsi non apparet priori parti τὸ *sive* præpositum, quod ei fraudi fuit. Sic 2, 24. *visa, sive ex metu credita.* Hoc facile alii assecuti. Sed vim τοῦ *meditans* haud scio, an satis perceperint. Id enim non est cogitans, sed in antecessum experiens, prætentans, prægustans, et ei quasi proludens. Ut *meditari* dicimur, in quo nos exercemus ad discendum: et morbi genus in difficultate respirandi *meditationem mortis* vocat Seneca ep. 54. ubi notavimus. Pro eo *discere* ponit in Hercule Furente v. 1076. Somnum alloquens: *genus humanum cogis longam discere mortem.* id est, meditari. GRON.

Materiem. Sic Ms. et edd. vet. GRON. Sic et 1, 76.

Quod sibi inter spectacula. In theatro olim discreta loca: nondum, ut vides, in circo aut amphitheatro. Alias, caussa non fuisset huic que-

cessisset. » Pro Corbulone ætas, patrius mos, studia seniorum erant : contra Mamercus Scaurus et L. Arruntius aliique Sullæ propinqui nitebantur. Certabant orationibus, et memorabantur « exempla majorum, qui juventutis irreverentiam gravibus decretis notavissent : » donec Drusus apta temperandis animis disseruit; et satisfactum Corbuloni per Mamercum, qui patruus simul ac vitricus Sullæ, et oratorum ea ætate uberrimus erat. Idem Corbulo, « plurima per Italiam itinera, fraude mancipum et incuria magistratuum, interrupta et impervia, » clamitando, exsecutionem ejus negotii libens suscepit : quod haud perinde publice usui habitum, quam exitiosum multis, quorum in pecuniam atque famam damnationibus et hasta sæviebat.

XXXII. Neque multo post, missis ad senatum literis,

relæ. Discrevit primus Claudius imp. et *in circo*, (Suetonii verba sunt c. 21.) *propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis.* Tamen Augusti temporibus decretum patrum fuit, *ut quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus*, ait idem Suet. Aug. 44. Sed id extra urbem dumtaxat fuit firmum. Lips.

Memorabantur exempla majorum. Si animus est, consule Electa mea 1, 23. et adde, quod in Plutarchi Gracchis p. 856. scribitur, C. Veturio mortem illatam, quia tribuno in forum venienti non decessisset. Lips.

Oratorum ea ætate. Dico 6, 29. Lips. *Ea* recte adjecit Ferretus.

Fraude mancipum. Mancipes hic, qui vias publicas reficiendas quæstus sui caussa redimebant. Hyginus : *Viæ publicæ et curatores accipiunt, et per redemptores muniuntur.* Lapis Romæ in hortis Carpensibus. (ap. Grut. p. 622, 2.) CN. CORNELIO. CN. F. SAB. MANCIPI. VIÆ. APPIÆ. Sed qui *magistratus?* credo, intellegit minores, id est, curatores viarum, qui ab Augusto. Vide Excurs. in *B.* Lips.

Exsecutionem ejus negotii. Non nunc tantum, sed et postea iterum sub Caio : et vir, cetera magnus, hæsit in his calumniæ sordibus, bonis omnibus invitis. Vide Dionem 59, 15. Lips.

Quorum in pecuniam. In possessorum videlicet, qui agros haberent viæ vicinos. Quasdam enim vias collaticia pecunia tueri finitimi debebant : ut vulgo hodie. Hyginus MS. *Viæ publicæ auctorum nomina obtinent, et curatores accipiunt, et per redemptores muniuntur. Nam et quorundam tutelæ a possessoribus, per tempora, certa summa exigitur.* Lips.

Tiberius, « motam rursum Africam incursu Tacfarinatis, » docuit; « judicioque patrum deligendum proconsule gnarum militiæ, corpore validum et bello suffecturum. » Quod initium Sex. Pompeius agitandi adversus M. Lepidum odii nactus, « ut socordem, inopem, et majoribus suis dedecorum, eoque etiam Asiæ sorte depellendum, » incusavit, adverso senatu, qui « Lepidum mitem magis, quam ignavum, paternas ei angustias, et nobilitatem sine probro actam, honori quam ignominiæ habendam » ducebat. Igitur missus in Asiam.

Pro consule. Sic cod. MS. et Beroaldi editio et Alciati, idque post J. Gron. restituimus. V. ad 2, 52. Ern.

M. Æmilium Lepidum. Est Q. filius, consulis a. 732. ipse consul a. 763. Ryckius edidit *Manius*. Recte, si est is, de quo c. 22. quod tamen videtur adhuc dubitari posse. Ern.

Asiæ sorte depellendum. Disputant, utrum jam sortitus fuerit, an adhuc debuerit sortiri. Ego vero non sortitum, nec sortiendum habuisse censeo. Sortiri solebant Asiam et Africam. Sed, quia extra ordinem deligebatur, cui mandaretur Africa, restabat Asia sola. Quid igitur sorte opus? Porro de his sortiebantur duo consularium omnium vetustissimi. Horum priorem fuisse Man. Æmilium Lepidum accipimus: ita ad hunc jam Asia sine sortitione pertinebat. Hactenus etiam obtinuisse potest dici, nempe spe ac destinatione, et sua, et omnium, qui non essent ei malevoli, et ea si careret, veniente anno, inde depellebatur. Quid ergo est? impedivit virum doctissimum vocabulum *sors*, quod putavit locum non habere, nisi utique urna intercessisset. At *sors* nihil aliud hic Tacito, quam provincia, sive sorte, sive sine sorte haberetur, ideo, quia rite ac solenniter non nisi per sortem habebatur: ut sæpe apud Livium. Sic 42, 31. *Illud quoque præcipuum datum sorti Macedoniæ, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos.* Sic cum Cicero *conjunctionem sortis*, *necessitudinem sortis*, dicit, nihil aliud dicit quam communis provinciæ conjunctionem et necessitudinem. Ep. 2, 19. *ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinem quoque accedere:* hoc est, provincia conjuncta. Invitis omnibus scriptis ita tenendum; nec magis Victoria ad edendum *fors*, quam Gebhardo ad probandum *accidere*, fuit intima caussa. Sed et frustra captatur τὸ *depellere*. Neque enim id aliter dicitur quam *dejicere honore* Livio 4, 44. 39, 41. et *detrudere* Suetonio in Julio 24. *detrudendi Domitii caussa:* non sane quem jam habebant, in cujus possessione erant, sed quem petebant, spe tantum et votis sibi despondebant. Gron.

Honori quam. Respice ad c. 17.

Et « de Africa » decretum, « ut Cæsar legeret, cui mandanda foret. »

XXXIII. Inter quæ Severus Cæcina censuit, « ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur; » multum ante repetito, « concordem sibi conjugem, et sex partus enixam : seque, quæ in publicum statueret, domi servavisse, cohibita intra Italiam, quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset. Haud enim frustra placitum olim, ne feminæ in socios aut gentes externas traherentur: inesse mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, et romanum agmen ad similitudinem barbari incessus convertant. Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed, si licentia adsit, sævum, ambitiosum, potestatis avidum : incedere inter milites, habere ad manum centuriones : præsedisse nuper feminam exercitio cohortium, decursu legionum.

Uxor comitaretur. Olim id insolens. Declamatores apud Senecam patrem Controv. 25. de Flaminino. *Hic est Flamininus, qui, exiturus in provinciam, uxorem a porta dimisit.* Et alius: *In hoc tecum uxorem non misimus? ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem.* Ita lego locum eum et distinguo. Nec in crebro usu etiam temporibus Augusti: ut ex Suetonii verbis apparet c. 24. *Disciplinam severissime rexit: ne legatorum quidem cuiquam, nisi gravate, hibernisque demum mensibus, permisit uxorem intervisere.* Sed irrepsit : et Germanico Agrippina in provinciis comes, ipsi Augusto Livia. Lips. Vid. et Ulpian. l. 4, §. 2. D. de off. Pro CS.

Quadraginta stipendia. Est ergo idem ille Cæcina, de quo 1, 61. *Quadragesimum id stipendium Cæcina parendi aut imperitandi habebat.* Lips.

Præsedisse nuper feminam. Tangit Plancinam. Supra 2, 55., *Nec Planciña se intra decora feminis tenebat, sed exercitio equitum, decursibus cohortium interesse.* Lips. Quod in isto loco dixerat *interesse*, h. l. invidiose augens rem, vocat *præsidere*: nisi capias lenius, pro præsentem esse, et loco ac sede insigni spectare : quod *præsidere* subinde significat. V. ad Sueton. Tib. 6. Porro, ut ibi legionum nulla mentio, ita hic equitum. Legiones ibi cohortium nomine intelligi possunt. Nec tamen necessarium puto pro *cohortium* scribere *equitum*. Ern.

Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus objectari : his statim adhærescere deterrimum quemque provincialium : ab his negotia suscipi, transigi : duorum egressus coli, duo esse prætoria : pervicacibus magis et impotentibus mulierum jussis; quæ Oppiis quondam aliisque legibus constrictæ, nunc vinclis exsolutis domos, fora, jam et exercitus regerent. »

XXXIV. Paucorum hæc adsensu audita, plures obturbabant, « neque relatum de negotio, neque Cæcinam dignum tantæ rei censorem. » Mox Valerius Messallinus, cui parens Messalla, ineratque imago paternæ facundiæ, respondit : « Multa duritie veterum in me-

Decursu. Ut mox *luxu* c. 30.

Duorum egressus coli, duo esse prætoria. Egressus coluntur prosequendo, deducendo : qui honos habebatur in provincia magistratui. *Duo prætoria*, si de castris sermo esset, caperem de duobus tentoriis, quorum altero dux, altero uxor tenderet, ut plura prætoria memorantur, ubi plures in exercitu duces. Sic Livius 25, 22. *tria prætoria* in obsidione Capuæ memorat, quod duo proconsules et unus proprætor obsidioni præerant. Sed non est sermo de bello et castris, ut contextus facile docet. Nec credibile, duobus diversis palatiis in provincia habitasse præsidem et uxorem. Igitur pronus sum in hanc partem, ut credam, per *prætorium* h. l. intelligi turbam hominum, quæ versari ante prætorium solet, ut præsto sit, si quid velit, appareat, deducat, comitetur : quo sensu prætorium dici, dudum demonstravit Perizonius de Prætorio p. 120. idque contextui consentaneum : nisi quis malit per αὔξησιν dici, et significari, duo prope prætoria esse. Ern.

Oppiis.... legibus. De lege Oppia v. Liv. 34, 1. Ern.

Vinclis exsolutis. Acidalius conjicit *exsolutæ*. Plautus enim Trucul. 4, 3, 10. *At si verum mihi eritis fassæ, vinclis exsolvemini.* Sed tamen noster supra 28. *exsoluti plerique legis nexus;* infra 39. *ad exsolvendum obsidium.* Unde apparet, *exsolvere* interdum prorsus idem quod solvere. Statius Silv. 1, 6, 4. *Saturnus mihi compede exsoluta.* Denique Tacitus H. 3, 12. *vincitur : sed exsoluta statim vincula.* Inscrere autem *non modo*, ut idem vult, incivile est. Gron. Legebatur prius *non vinclis exs.* unde Rhen. bene fecit *nunc v. exs.*

Val. Mess. Cf. Broukh. ad Tibull. 2, 5.

Multa duritie veterum. Cod. scr. et edd. vett. *duritie.* Dubium videri potest, utrum *duritiæ*, vel *duritiei* (sæpe enim in libris scriptis permu-

lius et lætius mutata : neque enim, ut olim, obsideri urbem bellis, aut provincias hostilis esse : et pauca feminarum necessitatibus concedi, quæ ne conjugum quidem penates, adeo socios non onerent; cetera promiscua cum marito, nec ullum in eo pacis impedimentum. Bella plane accinctis obeunda : sed revertentibus post laborem, quod honestius, quam uxorium levamentum? At quasdam in ambitionem aut avaritiam prolapsas. Quid? ipsorum magistratuum nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? non tamen ideo neminem in provinciam mitti. Corruptos sæpe pravitatibus uxorum maritos : num ergo omnes cælibes integros? placuisse quondam Oppias leges, sic temporibus reipubl. postulantibus: remissum aliquid postea et mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignaviam alia ad vocabula transferri : nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. Porro ob unius aut alterius imbecillum animum male eripi maritis consortia rerum secundarum adversarumque.

tantur, v. g. *spe et spei, die et diei.* V. Drakenb. ad Liv. 9, 37.) an *e* vel *a duritie* dederit Tacitus. Sed genitivus sane Taciti consuetudini convenientior, unde recepisse videntur recentiores editores. An *duritie* dictum pro *duritiei*, ut ap. Virgilium *die* pro *diei* in illo G. 1, 208. *libra die noctisque p. u. f. h.* ut mox et c. 30 dicit *luxu* pro *luxui* et similia? V. Cortium ad Sall. Jug. c. 52. Si Livium non decet *pernicie* pro *perniciei* 5, 13. cur Tacitum dedeceat? In hac ambiguitate, optimum duxi, veterem lectionem servare. Heinsius volebat: *duritiæ veteris.* Ern. — Vel *duritie* est pro *duritiei*, vel exponendum *multa ex duritie.* Wopk. Cf. A. Gell. 9, 14.

Melius et lætius. Consensu dicunt viri docti (in iis Heins. l. c. p. 391) legendum *in melius et lætius*: idque non dubitavi recipere : adeo certa et evidens res est. Τὸ *in* a finali *m* præcedentis vocis sæpe interceptum, observarunt viri docti : item ab initiali sequentis : innumeris prope locis ad Liv. Drakenb. Ern. Potiss. ad 37, 1. Probat Wopkens.

Adeo non. Pro *nedum* 6, 15. dixit, cum aliis hujus ætatis scriptoribus. Vide et H. 4, 80. Ern. Adde ib. 3, 39.

Post laborem. Insititium et a glossa ortum putabat Bongarsius. Sane, si abesset, nemo desideraret; sed nec idonea est delendi caussa, cum sæpe similia occurrunt. Ern.

Simul sexum natura invalidum deseri, et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. Vix præsenti custodia manere illæsa conjugia : quid fore, si per plures annos, in modum discidii, obliterentur? Sic obviam irent iis, quæ alibi peccarentur, ut flagitiorum urbis meminissent. » Addidit pauca Drusus de matrimonio suo; « nam principibus adeunda sæpius longinqua imperii. Quotiens D. Augustum in Occidentem atque Orientem meavisse, comite Livia? se quoque in Illyricum profectum; et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper æquo animo, si uxore carissima, et tot communium liberorum parente, divelleretur. » Sic Cæcinæ sententia elusa.

XXXV. Et proximi senatus die, Tiberius, per literas castigatis oblique patribus, « quod cuncta curarum ad principem rejicerent, » M. Lepidum et Junium Blæsum nominavit, ex quis proconsul Africæ legeretur. Tum audita amborum verba, intentius excusante se

In modum dissidii obliterentur. Scribe *discidii*, hoc est divortii. Quasi divortium cum eis factum esset. Ut 2, 86. *Agrippa discidio domum immiserat.* Gron. Atqui sic habent edd. veteres Beroaldi, Alciati, Rhenani. Adde ad 2, 86. Primus *dissidii* dedit Aldus, vitio, ut opinor, operarum : nam alias fere sequitur Rhenani editionem. Ern.

Tot communium liberorum parente. Non plus trium. infra c. 56. *Esse illi conjugem, et tres liberos.* Lips.

Proximi senatus die. Usitatius dixisset *proximo senatus die.* Sed etiam alterum rectum est. Sueton. Cæs. 79. *proximo senatu L. Cottam sententiam dicturum.* Ern.

M. Lepidum. Duone ergo Lepidi eo tempore prænominibus iisdem? Nam alius certe ab isto, qui proconsul Asiæ c. 32. Non censeo : Manium censeo prænomen fuisse huic, non Marcum, facili scriptorum in nota ea lapsu. Et hercle Manium Lepidum supra reperies clare, Lepidæ, quæ damnata, fratrem. Diversa etiam ingenia istorum. Marcus, ignavus, socors : Manius, prudens, gravis, sævis aliorum adulationibus adversus : quem Tacitus ex professo laudat 4, 20. Repono ergo ubique Manium, in eo Lepido qui in senatu et in urbe. Lips. Sed v. ad 1, 13. Hic quoque Gronovius debebat restituere M. pro Lipsiano *Manius;* ut fecit Ryckius. *Manius Lepidus* est Proc. Asiæ, de quo ante c. 32, ubi tamen v. quæ dixi. Ern.

Lepido, cum « valetudinem corporis, ætatem liberum, nubilem filiam » obtenderet : intelligereturque etiam, quod silebat, avunculum esse Sejani Blæsum, atque eo prævalidum. Respondit Blæsus, specie recusantis, sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium haud jutus est.

Sed neque eadem adseveratione, et consensu adulantium. Quid velit Tacitus, satis video ; sed hoc ita sit expressum, ut ille voluit, nec ne, parum mihi liquet. Contrarium enim verba menti sonare videntur. Si *auditus est consensu adulantium*, videtur ei contigisse, quod desiderare se fingebat, et valuisse excusatio. Valde itaque mallem ; *et consensu adulantium adjutus est.* Intellige, visa est frangi et expugnari ejus modestia, ut honestius remitteret, ac delatum honorem susciperet. Non ita intente serioque sese excusavit : et, ut majori cum specie desisteret, subvenerunt pudori ejus, et juverunt eum, quasi cuneis factis obturbantes per adulationem et cogentes scilicet judicio Cæsaris et senatus cedere. Ut 1, 8. *Remisit Cæsar adroganti moderatione.* 12, 41. *Et Cæsar adulationibus senatus libens cessit, ut vicesimo ætatis anno consulatum Nero iniret.* Hi non *auditi* sunt : quippe orationi eorum repugnabatur : sed *adjuti* in eis, quæ specie recusantium flagrantissime cupiebant. Verbum sic habes 11, 38. *Juvitque ejus oblivionem senatus.* 12, 3. *Prævaluere hæc adjuta Agrippinæ illecebris.* Et eodem 61. *Claudius facilitate solita, quod uni concesserat, nullis extrinsecus adjumentis velavit.* Suet. Vitellio 4. *Neroni acceptior peculiari merito, quod, præsidens certamini neroneo cupientem inter citharœdos contendere, nec quamvis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egressum theatro, revocaverat quasi perseverantis populi legatione susceptâ, exorandumque præbuerat.* Hic quoque adjutus, non auditus. Noster quoque 14, 10. *Atque cum auctore Burrho prima centurionum tribunorumque adulatio firmavit.* Et hoc adjuvandi genus. Gron. Enimvero *consensu adulantium adjuvari*, idem est, quod alterum. Consensus adulantium adjuvare simulatorem non aliter potest, nisi, ut credatur id, quod credi vult. Itaque legerem *nec consensu adul.* vel *auditus* vel *adjutus* est, si in cod. scripto esset illud *auditus*. Nunc Jac. Gronovii indicio constat, *auditus* esse conjecturam Beroaldi, quam pro lectione codicis secuti sint posteri editores : cum in codice sit *haud justus* : ex quo ille fecit *haud jutus* quod nos quoque secuti sumus, ut melius conveniens scripturæ codicis et sententiæ, quam vulgatum *auditus*. Participium *jutus*, ne cui insolens videatur, est etiam 14, 4. Delectatur noster simplicibus, non admodum usitatis : sic *paratus* pro apparatus infra c. 52. 55. *Vincire* pro *devincire* 4, 10. *firmare* pro *affirmare*, 6, 6, 50. *noscere* pro *cognoscere*, ibid. 9. *premere* pro *opprimere*, Hist. 4, 2. Edit.

XXXVI. Exin promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur. Incedebat enim deterrimo cuique licentia, impune probra et invidiam in bonos excitandi, adrepta imagine Cæsaris; libertique etiam ac servi, patrono vel domino cum voces, cum manus intentarent, ultro metuebantur. Igitur C. Cestius, senator, disseruit: « principes quidem instar deorum esse: sed neque a diis, nisi justas, supplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium aliave urbis templa perfugere, ut eo subsidio ad flagitia utatur. Abolitas leges et funditus versas, ubi in foro, in limine curiæ, ab Annia Rufilla, quam fraudis sub judice damnavisset, probra sibi et minæ intendantur, neque ipse audeat jus experiri,

9. *Invidiam in bonos excitandi.* Volebam aliquando *exertandi*. Nunc refero ad illa supra c. 25, *incitandis cœlibum pœnis.*

Incedebat deterrimo cuique etc. V. ad c. 26. idem c. 60. sic expressit *crebrescebat græcas per urbes licentia asyla statuendi.* Ern.

Arrepta imagine Cæsaris. Græci moris fuit, ad vim injuriamque arcendam, confugere ad templa, statuas, aras. Eo genere tutelæ frequenter supplices utebantur, frequentissime servi. Vide nostra in Excurs. *F.* Lips.

C. Cestius senator. Nescio, an moris Tacito inter titulos addere, *senator.* Et quid hic opus; aut quis nesciat, in senatu non nisi senatorem disseruisse? Ambigo (non enim affirmo) an non *senior* substituendum: ad discrimen: quia reperio illo ævo duos Cestios fuisse, patrem et filium. 6, 7. *Admonuit Cestium patrem.* An magis placet, *senatu?* quod esset in senatu: elleipsi Tacito percrebra. Lips. Sed etiam 1, 75. est *Pius Aurelius, senator*, ubi non suspectum Lipsio. Discriminis caussa ab aliis ejusdem nominis additum non dicam: non enim tollitur Lipsii dubitatio: sed ut distinguatur a consularibus, prætoriis etc. Solet enim et alibi tale quid addere, ut c. 31. *Domitius Corbulo, prætura functus.* Adde 2, 33. Plura exempla congessit Ryckius ex ipso Tacito, ubi senatoris nomen additur, ut 2, 27. 6, 38. 12, 42. Ern. Adde 1, 75. et Suet. Aug. 53. C. Cestii pyramidem, quæ Romæ exstat, ad hunc non pertinere, docet Ryckius ad 6, 31.

Fraudis sub judice damnavisset. I. e. perfecisset, ut ea ab judice damnaretur fraudis. V. dicta ad Sueton. Tib. 8. Ern.

Audeat jus experiri. A glossa videtur, *Jus. Experiri* enim, pro jure agere, frequentissimum priscis. Lips. Olim tuebamur hunc locum Observ.

ob effigiem imperatoris oppositam. » Haud dissimilia alii, et quidam atrociora circumstrepebant; precabanturque Drusum, « daret ultionis exemplum, » donec accitam convictamque attineri publica custodia jussit.

XXXVII. Et Considius Æquus, et Cœlius Cursor, equites rom. quod fictis majestatis criminibus Magium Cæcilianum, prætorem, petivissent, auctore principe, ac decreto senatus puniti. Utrumque in laudem Drusi trahebatur: « ab eo in urbe, inter cœtus et sermones hominum, obversante, secreta patris mitigari. » Neque luxus in juvene adeo displicebat. « Huc potius intenderet, diem editionibus, noctem conviviis traheret, quam

2, 11. Gron. Nempe *jus experiri* h. l. est, uti potestate per leges data, abducendi convictum fraudis, donec judicatum solvat. Mox pro *et quidam* Heinsius *et quidem*. Ern.

Convictamque. Non fraudis, quod frustra tentassent, sed probrorum et minarum, quas intendisset Cestio. Ern.

Publica custodia jussit. Publicam custodiam, puto carcerem: discretamque a militari. Lips.

Huc potius intenderet. Seneca de Benef. 7, 20., *Si marmora et vestes desideraverit, nihil oberit cuiquam id, quo luxuria ejus instruitur: militem et arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scenæ et scorta et quæ feritatem ejus emolliant, libens offeram. Cui triremes et æratas non mitterem, lusorias et cubiculatas et alia ludibria regum in mari lascivientium mittam*. Juven. Sat. 4, 150. *Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset Tempora sævitiæ: claras quibus abstuliturbi Illustresque animas impune, et vindice nullo*. Gron.

Diem ædificationibus. Verane hæc lectio? si est, interpretor in Druso notari studium ædificandi, et crebras insanasque substructiones ex sententia scriptoris græci apud Suidam: Οἰκοδομήματα Ἀσσύρια καὶ ὑπερτηρὰς λειτουργίας χαίρειν ἐάσαντα, χρὴ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν. Ψεκτὸς γὰρ ὁ ἄρχων ὁ χαίρων οἰκοδομήμασιν ὑπερφυέσιν. Nam hoc tolerabile, præquam illud Ferretti. *Ædificationibus*, ait, *pro eo quod est emendandis rebus: nisi in verbo mendum sit*. Sed est profecto, me quoque judice, mendum. Quis enim apud Romanos viro principi ædificationes vitio dedit? laudi potius: ut M. Agrippæ, Augusto, aliisque. Et, ut vitium sint, quis scriptor id prodidit de Druso? cujus monumentum ullum ædificiumve suspicione non tango. Lego: *editionibus* convenienter sane ad Drusi mores. Nam editiones, proprie spectacula munera-

solus, et nullis voluptatibus avocatus, mœstam vigilantiam et malas curas exerceret. »

XXXVIII. Non enim Tiberius, non accusatores fatiscebant. Et Ancharius Priscus Cæsium Cordum, proconsulem Cretæ, postulaverat repetundis; addito majestatis crimine, quod tum omnium accusationum complementum erat. Cæsar Antistium Veterem, e primoribus Macedoniæ, absolutum adulterii, increpitis judicibus, ad dicendam majestatis caussam retraxit, ut turbidum et Rhescuporidis consiliis permixtum, qua tempestate, Cotye interfecto, bellum adversus nos volverat. Igitur

que. Editores, qui ea præbent, uti in Saturnalibus dixi. Diem ergo trahebat Drusus editionibus sive spectaculis : noctem, conviviis epulisque. Notant utrumque id vitium in eo scriptores. Noster 1, 76., *Edendis gladiatoribus Drusus præsedit, quamquam vili sanguine nimis gaudens, quod in vulgus formidolosum, et pater arguisse dicebatur.* Ubi vides describi studium ejus in gladiatores, non sine sævitiæ nota. Nec in gladiatores modo, sed et histriones scenicosque. Dio 57, 14. Τοῖς τε ὀρχησταῖς οὕτω προσέκειτο, ὥστε καὶ στασιάζειν αὐτοὺς, καὶ μηδ' ὑπὸ τῶν νόμων, οὓς ὁ Τιβέριος ἐπ' αὐτοῖς ἐσεγράψατο, καθίστασθαι. Iterum c. 13. Τῷ δὲ Δρούσῳ τῷ υἱεῖ, καὶ ἀσελγεστάτῳ καὶ ἀμουσοτάτῳ, ὥστε καὶ τὰ ὀξύφατα τῶν ξιφῶν Δρουσιανὰ ἀπ' αὐτοῦ κληθῆναι, ὄντι, καὶ ἤχθετο, καὶ ἐπετίμα καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ πολλάκις. Crudelis ergo Drusus, et ideo cruentis illis spectaculis gaudens : quæ sibi non in publico solum, ut opinor : sed sæpe domi repræsentabat et in hortis. De ebrietate ejus, vide eundem c. 14. Hæc Taciti mens, hæc lectio : me quidem judice. Sed qui gladii illi Drusiani, quos Dio nominat? Vide, si lubet, in Excurs. C. Lips. *Editionibus* quoque legit Muretus. Paschalius volebat *ambulationibus*, donec vera lectio ex incorrupto aliquo exemplari promatur.

Complementum erat. Plinii verbis, *unicum crimen eorum, qui crimine vacabant.* Lips.

E primoribus Macedoniæ. Muretus conjiciebat scriptum fuisse *e pr. Maced.* h. e. *e provincia Macedoniæ.* Quasi non Suet. in Octavio 79. *Ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter suos* etc. Idem Tiber. 49. *Præterea Galliarum et Hispaniarum, Syriæque et Græciæ principes confiscatos.* Gron. Sed hoc non tollit dubitationem Mureti, quam sine dubio monuit nomen romanum, et res ipsa. Nempe inter primores provinciarum plures tum cives romani. Sed tamen nec hoc sufficit. Homo Romæ judicatus est, quod provinciali non satis convenit. Ern.

Cotye fratre. Minime hercle fra-

« aqua et igni interdictum reo, adpositumque, ut teneretur insula, neque Macedoniæ neque Thraciæ opportuna. » Nam Thracia, diviso imperio in Rhœmetalcen et liberos Cotyis, quis ob infantiam tutor erat Trebellienus Rufus, insolentia nostri discors agebat; neque minus Rhœmetalcen, quam Trebellienum, incusans, popularium injurias inultas sinere. Cœletæ Odrusæque et Dii, validæ nationes, arma cepere, ducibus diversis, et

10. *Cœlaletæ*, etc. Locus corruptus.

tre, sed (Tacito ipsi si fides) *fratris filio*. Ita enim 2, 64. scriptum: *Omnem eam nationem Rhœmetalces tenuerat, quo defuncto Augustus partem Thracum Rhescuporidi fratri ejus, partem filio Cotyi permisit*. Et Velleius 2, 129. *Qua ille prudentia Rascupolim, interemtorem fratris sui filii, Cotyis, evocavit*. Quin humani ergo aliquid Tacitus hic passus sit, nemo negaverit. Lips. Mihi non fit credibile, lapsum Tacitum in re ea, quam non obiter tractaret, (in quo genere etiam aliis tale quid accidit) quam alio loco recte tradidisset. Itaque pronior sum in Mureti conjecturam, e compendiaria scriptura FR. F. vulgatam lectionem ortam, cum librarii eam non adsequerentur, aut τὸ F. temere omisissent. Neque dubitarem sic rescribere, ut fecit Broterius, nisi altera loci emendandi ratio superesset, ut e margine in textum venisse hoc verbum diceremus: sive adscriptum a non satis perito, sive depravatum casu, aut vitio librarii aliquo. Quorsum enim addat rem paullo ante traditam? Jac. Gronovii correctionem *et fratre*, probare non sinunt verba *qua tempestate*, nec ordo verborum. Ern. Acute Heinsius ad Velleium 2, 129., *fraude interfecto*. Wopk. Expungo *fratre*; e margine irrepserat. Paschalius quoque exulare jubet.

Cœlaletæ Odrusæque et alii. A Plinio 4, 18., *Celœtæ* dicuntur: a Dione 54, 34. Σιαλέται, sed corrupte. Qui autem *Alii?* Populi nomen, sed perversum. Placuit in Epistolicis 5, 24, *Astii* reponi: et caussam vide. At nunc verum censeo, *Dii*, quæ vox abiit in *alii* linea tantum diducta. Similis error notatus mihi infra, in Agricolæ vita 31. Dii autem, montani Thraces. Locuples auctor Thucydides 2, 96. Παρεκάλει δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρακῶν πολλοὺς, οἱ Δῖοι καλοῦνται τὴν Ῥοδόπην οἱ πλεῖστοι οἰκοῦντες. Lips. Pro *Cœlaletas* scribendum *Cœletas* e Ptolemæo, Plinio, Livio, putat Ryckius. Vere, ut opinor, et sic edidi. Locus Livii tamen 38, 40. incertus, cum ibi e mera conjectura sic legatur. Pro *Odrusæ* alii *Odrussæ*, quæ nil differunt; denique pro *et alii*, rescripsi *et Dii*, ut Lipsius voluit. Dixisset *et aliæ v. n.* Recepit et Broterius. Ern. Ptolem. 3, 11. Κοιλητικὴ στρατηγία. Lectio *Dii* dubia esse nequit.

paribus inter se per ignobilitatem : quæ caussa fuit, ne in bellum atrox coalescerent. Pars turbant præsentia, alii montem Hæmum transgrediuntur, ut remotos populos concirent : plurimi ac maxime compositi, regem urbemque Philippopolim, a Macedone Philippo sitam, circumsidunt.

XXXIX. Quæ ubi cognita P. Velleio, (is proximum exercitum præsidebat) alarios equites ac leves cohortium mittit in eos, qui prædabundi, aut adsumendis auxiliis, vagabantur. Ipse robur peditum ad exsolven-

11. *Alarios equites ac leves cohortium.* Putabam aliquando *velites*. Nunc nil muto. Sic *leves cohortes* Ann. 2, 52., et *levem copiam* ibidem.

Turbant præsentia. Paschalius conjectat : *tentant præsidia*. Ingeniose magis quam vere.

Philippopolim. Describit eam Strabo l. 7, p. 320. in Astorum regione : Τπίρκειται δὲ τοῦ Βυζαντίου τὸ τῶν Ἀστῶν ἔθνος, (ex Livio, Ἀστίων leg. esset) ἐν ᾧ πόλις Καλύβη, Φιλίππου τοῦ Ἀμύντου, τοὺς πανηρετέστους ἐνταῦθα ἱδρύσαντος. Dicta eadem est Trimontium, Poneropolis, Δευλάνεωλις, caussis claris e Strabone. Lips.

A Mac. Philippo sitam. Ne quis *positam* legendum putet, cavet ipse Tacitus aliis locis similibus. V. ad 2, 7. nec opus cum Freinah. emendare *Macedoni Philippo*. Nulla necessitas est credendi, Tacitum semper græcismo usum, ut jam aliquoties monui. Ern.

P. Velleio. Sunt, qui illum velint esse, cujus Breviarium historiæ in manu, serium, doctum quantumvis opus, sed plenum adulationis fœdissimæ, cujus me pudet. Nec abnuerim, quin ille sit. Meruit servitio tam projecto evehi ad res magnas. Quamquam modicus originis, ut ipse fateri videtur, et diu tantum trib. militum : postea præfectus Ti. Cæsaris per novem annos aut legatus, ait ipse l. 2. Prænomen tamen illi in vulgatis libris est, Caius : nec id moveor. Nam Priscianus l. 6. eundem Marcum appellat : noster hic Publium. Quam confundi illa soleant, doctus scio. Lips. In cod. MS. est *P. Vellæo*, unde Beroaldus fecit *Velleius :* quo occasionem huic notæ datam ait Jac. Gron. Sed, an *Vellæus* aliud nomen est quam *Velleius ?* Sic *Cnaius* et *Cneus* scribitur, et alia similiter. Ceterum vix credam h. l. intelligendum historicum : cum ipse nihil de hac expeditione dicat in historia sua, quæ ultra hoc tempus porrigitur : non prætermissurus utique, ut putat Ryckius ad h. l. Ern.

Exercitum præsidebat. Sæpe hac forma utitur noster, ut 4, 5. 72. 12, 29. intellectu τοῦ *ad* vel *apud*. Ern.

dum obsidium ducit. Simulque cuncta prospere acta: cæsis populatoribus, et dissensione orta apud obsidentes, regisque opportuna eruptione, et adventu legionis. Neque aciem aut prœlium dici decuerit, in quo semermes ac palantes trucidati sunt, sine nostro sanguine.

XL. Eodem anno Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavere: cujus exstimulator acerrimus, inter Treveros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir. Nobilitas ambobus et majorum bona facta, eoque romana civitas olim data, cum id rarum, nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis colloquiis, ferocissimo quoque adsumpto, aut quibus ob egestatem ac metum ex flagitiis maxima peccandi necessitudo, componunt, Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula et cœtus seditiosa dissere-

Et majorum bona facta. Rhen. conjiciebat *bene facta.* Male; ut *bene dicta* et *bona dicta*, quamquam hoc ἀρχαϊκῶς: sic *bona facta* et *bene facta.* Infra c. 65. *prava dicta factaque:* qui locus jam laudatus Gronovio fil. ERN.

Componunt. Consilium capiunt, inter se conveniunt. Infrequens constructio verbi cum infinitivo.

Per conciliabula et cœtus. Scio quidem, nunc vulgo ita loqui doctos etiam homines, ut *conciliabula* dicant per contemptum quantumvis magna et frequentia concilia: sed, ubi quis veterum ita locutus sit, etiamnum quæro. Romanis vicorum aut oppidulorum, quæ jus nundinarum haberent numero erant, ut cum *fora et conciliabula* jungunt. Extra hæc *conciliabulum* haud dubie concilium minus aut minus frequens est. Nec *conciliabula et cœtus* aliter dicuntur, quam *concilia et cœtus.* Cicero in Somn. Scip. 3. *concilia cœtusque hominum jure sociati.* Item de Sen. 23. *in illud divinum animorum concilium cœtumque proficiscar.* De fin. 2, 24. *opiniones, quæ apud populum, quæ in omni cœtu concilioque proferendæ sunt.* Idem pro Domo 28. *quoniam plebi quoque urbana majores nostri conventicula et quasi concilia quædam esse voluerunt.* Non magis apud Tacitum *conciliabula* vel per contemptum vel tantummodo de clandestinis his dicuntur, quam Ciceroni *conventicula.* Sed nec *concilii* tam honesta appellatio est, ut non et interdum de clandestinis cœtibus usurpetur. In Tacito igitur ut non excludo congressus quoque secretos: ita expressum censeo id ipsum, quod Florus ait de

bant, « de continuatione tributorum, gravitate fenoris, sævitia ac superbia præsidentium : » et « discordare militem, audito Germanici exitio : egregium resumendæ libertati tempus, si ipsi florentes, quam inops Italia, quam imbellis urbana plebes, nihil validum in exercitibus, nisi quod externum, cogitarent.

XLI. Haud ferme ulla civitas intacta seminibus ejus motus fuit : sed erupere primi Andecavi ac Turonii. Quorum Andecavos Acilius Aviola, legatus, excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit. Turonii legionario milite, quem Visellius Varro, inferioris Germaniæ legatus, miserat, oppressi, eodem Aviola duce, et quibusdam Galliarum primoribus; qui tulere

Vercingentorige 3, 10. *ille festis diebus et comitialibus, quum frequentissimos in lucis haberet : ferocibus dictis ad jus pristinum libertatis erexit.* Sed tempus Florus : loca Tacitus designat. Per minora et majora populorum concilia, per vicos et oppida mercatuum aut sacrorum tempore, per loca, et tempora ubi quibusque magno aut aliquo numero coire ipsis inter se licebat. Gron.

Gravitate fenoris. Ita hoc habet. Provinciales et oppida, cum tributis gravibus premerentur, aliisque extra ordinem oneribus, pecuniam mutuam capiebant a divitibus illis romanis, idque grandi fenore. Unde hæc querela, et in Cicerone exempla jam tunc sunt : et Dio scribit 62, 2. *Senecam caussam rebellioni britannicæ sub Nerone dedisse, quod quadringenties* HS. *grandi fenore creditum, subito universum repetiisset.* Lips. V. Cicer. ad Att. l. 6. passim. Ern.

Libertati. Pichena malebat *libertatis.*

Civitas intacta seminibus ejus motus. Durior est modus loquendi, *intacta seminibus m.* nec placet nobis : quippe *seminibus* non convenit *intactus.* Ern.

Acilius Aviola. Hic ille ipse, quem Plinius 7, 53. insigni exemplo, elatum in rogo revixisse tradidit : et, quia subveniri non potuit, vivum exustum. Nam quod Onufrius in Comm. in fastos aliique ad illum Acilium referunt, qui consul extremus Claudio, desinant licet erroris, manifestus ἀναχρονισμὸς est. Nam ecce Valerius (quem scripsisse omnes scimus Tiberio imperante) 1, 8, 12. eamdem historiam recensuit. Quomodo autem ille operi suo inseruerit, quod post Claudium gestum ? Lips.

Visellius Varro. Nominatur in lapide Romæ (ap. Grut. p. 197, 3.) L. VISELLIVS C. F. VARRO CVRATOR. RIPARVM. ET ALVEI. TIBERIS. Hicne, an alius ? Lips.

auxilium, quo dissimularent defectionem, magisque in tempore efferrent. Spectatus et Sacrovir, intecto capite, pugnam pro Romanis ciens, « ostentandæ, » ut ferebat, « virtutis : » sed captivi, « ne incesseretur telis, adgnoscendum se præbuisse, » arguebant. Consultus super eo Tiberius, adspernatus est indicium, aluitque dubitatione bellum.

XLII. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quæ, conscripta Treveris, militia disciplinaque nostra habebatur, ut, cæsis negotiatoribus romanis, bellum inciperet : paucique equitum corrupti; plures in officio mansere. Aliud vulgus obæratorum aut clientium arma cepit : petebantque saltus, quibus nomen *Arduenna*, cum legiones utroque ab exercitu, quas Visellius et C. Silius adversis itineribus objecerant, arcuerunt. Præmissusque cum delecta manu Julius Indus, e civitate eadem, discors Floro, et ob id navandæ operæ avidior, inconditam multitudinem adhuc disjecit. Florus incertis latebris victores frustratus, postremo, visis militibus, qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque treverici tumultus finis.

XLIII. Apud Æduos major moles exorta, quanto civitas opulentior, et comprimendi procul præsidium.

Dubitatione. Heinsius : *dilatione* : male. *Dubitatio* est cunctatio : cum deliberamus quid agendum sit, et in neutram partem decernimus. Vid. ad 4, 42. Ern.

Cæsis negotiatoribus rom. Nam hi erant, qui fenore gravi premebant provinciales, ut e Cic. l. c. patet. Adde diatriben nostram de negotiatoribus rom. Ern.

Vulgus obæratorum. More Galliæ. Vide Cæsarem commentar. 1, 4. Lips.

Aut clientium. Quorum summa fides in patronos. Cæsar B. G. 7, 40. Ern.

Visis militibus. Heinsius : *obvios militibus.* Est durum adsuetis latiaritati meliori, *visis mil.* Sed a Tacito esse, non dubitari potest. Nam eodem modo et alibi dixit, ut H. 3, 62. Ern. — Forsan *visus mil.* Wors.

Augustodunum, caput gentis, armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, et nobilissimam Galliarum subolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosque eorum adjungeret. Simul arma, occulte fabricata, juventuti dispertit. Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis; ceteri cum venabulis et cultris, quæque alia venantibus tela sunt. Adduntur e servitiis gladiaturæ destinati, quibus more gentico, continuum ferri tegimen, *cruppellarios* vo-

Nobilissimam. MS. lectio est *nobilissimarum*, pro quo recte repositum *nobilissimam*. Ceterum, utrum *et nob.* an *nobilissimamque*, vel *ob nobiliss.* legendum, quorum istud Lipsio, illud Pichenæ, hoc Acidalio placet, difficile est dicere. Heinsius etiam putabat: *nobilissima G. subole l. st. i. operata.* Ern. Recte Boxh. adsentit Lipsio. Τὸ *et* ab ultima syllaba vocis præcedentis est absumtum.

Liberalibus studiis ibi operatam. Digna res nota, quod jam tunc ea urbs hospitium Musarum. Nam Rhenano quæ læva mens fuit, eum gloriam eam transferre voluit ad Augustocluienses? Scilicet indigni hac gloria nos Galli. Tueor et retineo in Excurs. *H.* Lips. De studiis Gallorum v. et Strabo 4. p. 196. Cato quoque Cens. Orig. 2. ap. Charis. l. 2. *Pleraque Gallia res duas industriosissime persequitur, rem militarem et argute loqui.*

Ibi. Sic Rhen. prius male *sibi.*

Operatam. Boxhornius vult *operantem.* Quasi *operati studiis* dici nequeant, qui cum maxime studiis attendunt. Livius 4, 60., *rem familiarem saltem acquiescere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reipubl. esset.* Plinius 26, 2. *sedere in scholis operatos.* Gron.

Gladiaturæ destinati. E Gallia genus gladiatorum, qui Mirmillones: quorum arma hic descripta. V. Saturn. nostra, Lips.

Quibus more gentico. Tertull. de anima 39. *pro gentica, pro avita, pro publica aut privata devotione.* Habet etiam Avienus Festus in Ora Maritima. Gron. Sic et noster 6, 33.

Cruppellarios vocant. Non alibi ea vox mihi lecta. Hæsi, ne *clibanarios* scribendum esset. Nazarius in Laud. Constantini 22. *Quæ enim illa fuisse dicitur species: quam atrox visu? quam formidolosa? operimento ferri equi atque homines pariter obsepti. Clibanariis in exercitu nomen est: superne omnibus tectis, equorum pectoribus demissa lorica et crurum tenus pendens, sine impedimento gressus a noxa vulneris vindicabat.* Ammianus 16, 10. *Sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant.* Iterumque c. 12, *Norant enim, licet prudentem ex equo bellatorem, cum clibanario nostro congressum, tegminibus ferreis absconditio bellatori nocere non posse.* Vocem peregrinam et persicam esse,

cant, inferendis ictibus inhabiles, accipiendis impenetrabiles: augebantur hæ copiæ vicinarum civitatum, ut nondum aperta consensione, ita viritim promptis studiis, et certamine ducum romanorum, quos inter ambigebatur; utroque bellum sibi poscente. Mox Varro, invalidus senecta, vigenti Silio concessit.

XLIV. At Romæ, «non Treveros modo et Æduos, sed quatuor et sexaginta Galliarum civitates descivisse:

suadeor Lampridii verbis in Severo 56. *Centum millia equitum eorum fudimus cataphractarios, quos illi clibanarios vocant.* Alioqui non incommode a græco κλίβανος deduxeris, quod σκεῦός τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτοῦσι, definit Moschopulus. Et clibanus apud Leonem imp. passim, pro thorace quo pectus tegitur. At hic tamen nihil mutem: et fortasse cruppellarii pedites fuerunt, non equites. Sane ex Taciti narratione non colliges pugnasse eos ex equis. Lips. *Crupellearios* habet MS. edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi, quam scripturam etiam secutus est Cangius in Gloss. Ern. Rhen. et Aldus duplici *p.* efferunt; Cangius simplici, ut Lipsius et alii, quod improbat Jac. Gron. Boxh. ab Hebr. *cirbel*, amicivit, texit, unde a *cirbelah*, tegumentum, dictos hariolatur. Alii ex eo, quod ferreæ vestis mole impediti, ictibus inferendis inhabiles, torperent membris quasi capti. Sic Broterius refert ad Celt. *cropet*, torpere, de qua voce v. Lepelletier in dict. de la L. Bret. Hillerus ad Germ. *krüppel*, Angl. *cripple*, G. inf. *kroepel*, Wallis *crupl*, paralyticus. Ipse in Gloss. Scherz. contuli Hesychii γρυπάλιον, senecio. Lipsius in marg. notavit *cruppes*, παχύς. Idem forsan cum Mureto verum vidit, vocem e *clibanarios* corruptam.

Viritim pr. studiis. Sensus est, et si nondum ita aperte favebant, ut publice mitterentur copiæ, tamen nemo impediebatur, quo minus ad id bellum iret voluntarius: in eoque prompta hominum studia fuere, multis eam militiam adpetentibus. Ern.

Quatuor et sexaginta. In certas gentes videntur Galliam divisisse. Strabo 4. p. 192. Lugduni aram Augusto exstructam ait, a communi Galliæ, cum inscriptione LX. gentium. Quod in numis etiam M. Antonii legimus, LVGDVNI. A. XL. libentius ad gentium numerum retulerim, quam, ut alii, ad annorum colonia conditæ (add. Quæst. Epist. 2, 21.) Appianus in Celtico 4, 2. ampliore numero ἔθνη τετρακόσια, in Galliis ponit, πόλεις ὑπὲρ ἑξακοσίας. Lips. Omnes Galliæ civitates indicari putat Freinsh. usus locis similibus, ubi numerus rerum ponitur pro universitate, ut Liv. 4, 23. Cic. N. D. 2, 37. Sed numerus civitatum gallicarum incertus est. Petr. de Marca de Primatu Lugd. p. 278. vult legi *quatuor et septuaginta*. Loqui ait Tacitum de populis Galliæ; quippe et Turonios et Andegavos in civitati-

adsumptos in societatem Germanos : dubias Hispanias : » cuncta, ut mos famæ, in majus credita. Optimus quisque, reipubl. cura, mœrebat : multi odio præsentium, et cupidine mutationis, suis quoque periculis lætabantur : increpabantque Tiberium, « quod, in tanto rerum motu, libellis accusatorum insumeret operam. An Julium Sacrovirum majestatis crimine reum in senatu fore? exstitisse tandem viros, qui cruentas epistolas armis cohiberent : miseram pacem vel bello bene mutari. » Tanto impensius in securitatem compositus, neque loco, neque vultu mutato, sed, ut solitum, per illos dies egit : altitudine animi, an compererat, modica esse et vulgatis leviora.

XLV. Interim Silius, cum legionibus duabus incedens, præmissa auxiliari manu, vastat Sequanorum pagos, qui finium extremi, et Æduis contermini sociique, in armis erant. Mox Augustodunum petit propero agmine, certantibus inter se signiferis, fremente etiam gregario milite : « ne suetam requiem, ne spatia noc-

bus ponat, et de universo corpore Galliarum, quod LXXIV. populis constiterit, additis ad LX. populos trium Galliarum, XIV. Narbonensis provinciæ, quas ei tribuit Ptolemæus. Ern.

Altitudine animi. Non est ea, quæ vulgo dicitur, eadem cum magnitudine animi, sed quam Sallustius B. Jug. 95. vocat *ingenii altitudinem*, quam recte Cortius dicit esse in iis, qui consilia sua ita celant, et abditos tenent sensus suos, ut assequi non liceat : qui etiam laudat Turneb. Adv. 3, 15. Casaubon. ad Cic. Epist. ad Att. 4, 6. Polybius vocat βάθος in Excerpt. p. m. 1441. (27, 10.) ad quem locum videndus Valesius : Cicero βαθύτητα ad Att. l. c. et 5, 10. 6, 1. Tunstallus in Epist. ad Midletonum p. 114. interpretatur *prudentiam*, ex 1, 8. non male : est enim illa altitudo pars prudentiæ : sed illud accuratius. Atque sic etiam ceperim apud Ciceron. Off. 1, 25. quem locum non bene tentant Pearcius et Chapmannus, ut alio loco ostendam. Sic Ovidius Am. 2, 4., 16. *ex alto dissimulare* : ubi vide Burm. qui recte de profundo silentio capit. Similiter *altitudinem animi* et in loco nostro, et apud Cic. Off. 1, 25. capere video Drakenb. ad Livium 4, 6. Ern.

tium opperiretur; viderent modo adversos et adspicerentur: id satis ad victoriam. » Duodecimum apud lapidem Sacrovir copiæque patentibus locis adparuere. In fronte statuerat ferratos, in cornibus cohortes, a tergo semermos. Ipse inter primores equo insigni adire, memorare « veteres Gallorum glorias, quæque Romanis adversa intulissent : quam decora victoribus libertas : quanto intolerantior servitus iterum victis. »

XLVI. Non diu hæc, nec apud lætos : etenim propinquabat legionum acies; inconditique ac militiæ nescii oppidani neque oculis neque auribus satis competebant. Contra Silius, etsi præsumpta spes hortandi causas exemerat, clamitabat tamen : « Pudendum ipsis, quod Germaniarum victores adversum Gallos tanquam in hostem, ducerentur. Una nuper cohors rebellem Turonium, una ala Treverum, paucæ hujus ipsius exercitus turmæ profligavere Sequanos. Quanto pecunia dites et voluptatibus opulentos, tanto magis imbelles Æduos evincite, et fugientibus consulite. » Ingens ad ea clamor:

Glorias. Cic. Planc. 24. *gloriæ dispares.* Gell. 2, 27., *compendio gloriarum.*

Quanto intolerantior iterum servitus victis. Gellius 19, 7. inter ea quæ notat ex Livio : *item, curis intolerantibus, pro intolerandis.* Et hinc *intolerantia morum Tiberii*, qui scilicet ferri nequirent, Suet. 51. Gron. Non ergo necessarium cum Grotio corrigere *intoleratior* ex 12, 11. ubi *toleratior* occurrit : quamquam et ibi MS. Reg. habet *tolerantior.* Ern.

Neque oculis neque. Sallustianum est apud Nonium 4, 110., *Formidine attonitus, neque animo, neque auribus, aut lingua competere.* Etiam tale hoc Livii 5, 42., *Romani ne auribus quidem atque oculis satis constare poterant.* Lips. Adde Cortium ad Sallust. fr. 953. et quos ibi laudat. Ern. Nonius reddit *competere*, rei meminisse aut constanter valere.

Rebellem Turonium. Itane *Turonium* an verius *Andecavum?* Ipse quidem c. 41. narravit: *Andecavos Acilius Aviola, excita cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit: Turonii, legionario milite, quem Visellius Varro miserat, oppressi.* Lips.

Et fugientibus consulite. Video Freinsh. interpretari : *ite, vincite, aut potius sponte jam fugientes eum sequimini.* Sed, quem auctorem apud

et circumfudit eques, frontemque pedites invasere : nec cunctatum apud latera. Paullum moræ adtulere ferrati, restantibus laminis adversum pila et gladios : sed miles, correptis securibus et dolabris, ut si murum perrumperet, cædere tegmina et corpora : quidam trudibus aut furcis inertem molem prosternere; jacentesque, nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. Sacrovir primo Augustodunum, dein metu deditionis in villam propinquam cum fidissimis pergit. Illic sua manu, reliqui mutuis ictibus occidere. Incensa super villa, omnes cremavit.

XLVII. Tum demum Tiberius, ortum patratumque bellum, senatui scripsit : neque dempsit aut addidit vero; sed « fide ac virtute legatos, se consiliis super-

alium invenire est *consilire* pro cursu sequi ? aut quem apud omnino *consilire ?* nam et, quod Muretus addit ex Livio, fucatum. Est enim 24, 28. ubi nihil melius, quam omnium codicum *consulere :* et quod ex nostro Ursinus 6, 36. non stat bono talo ; legendum enim, *occultos consilii*, ut Acidalius et Freinsh. viderunt. Quid, si legamus : *et fugientibus consulite*, id est, trepidos et tantum non jam fugientes exuite, detractisque armis et insignibus militaribus, leviores et fugæ paratiores reddite. Gron. *Consulite* placet etiam Heinsio, (* l. c. Misc. Obs. vol. 9, p. 392.) sed alio sensu, nempe, ut dictum sit pro *parcite*. Idem placebat Ryckio : nec dubito verum esse. Idem volebat Græv. in ep. ad Heinsium t. 4. Collect. Burm. p. 497. qui et alibi in cod. Med. esse *consilere* monet pro *consulere*, interpretaturque *parcite*. Itaque non dubitavi recipere. Ern. Ex ingenio dederant *consulite* J. Fr. Gron. et Heinsius. Id Jac. Gron. in cod. antiquo legi docet ; sed male explicat, occidite, ne cogantur fatigari fuga. Heinsius pro sua interpretatione adfert Lucani 7, 318. *ne cædere quisquam Hostis terga velit ; civis, qui fugerit, esto.* Et ex nostro 13, 40. *refugos non sequerentur.* — Crusius in Observat. misc. novis legit *consistite*. Rectius Heinsii *consulite*, pro parcite. Sic 15, 18. collato c. 61. et H. 3, 82. item Ann. 13, 40. 14, 38. Curt. 4, 1. Wopk.—Ironice hoc dictum putat Dureau de Lamalle, redditque : *je vous reccommande les fuyards.*

Incensa super villa. Cod. MS. et Beroaldus et Alciatus *ingressa :* pro quo in Rhenani, Aldi edd. *incensa :* recte, ut opinor : Jac. Gronovius tamen malebat *ingesta :* bene, si sequeretur : *omnes obruit, oppressit*, aut simile quid. Nunc *omnes cremavit* desiderat mentionem incendii. Ern.

fuisse. » Simul caussas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adjunxit, « magnitudinem imperii » extollens; « neque decorum principibus, si una alterave civitas turbet, omissa urbe, unde in omnia regimen. Nunc, quia non metu ducatur, iturum, ut præsentia spectaret componeretque. » Decrevere patres vota pro reditu ejus supplicationesque, et alia decora. Solus Dolabella Cornelius, dum anteire ceteros parat, absurdam in adulationem progressus, censuit, « ut ovans e Campania urbem introiret. » Igitur secutæ Cæsaris literæ, quibus « se non tam vacuum gloria prædicabat, ut, post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in juventa aut spretos triumphos, jam senior peregrinationis suburbanæ inane præmium peteret.

XLVIII. Sub idem tempus, « ut mors Sulpicii Quirini publicis exsequiis frequentaretur, » petivit a senatu. Nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuvium:

Superfuisse. Adfuisse, opem tulisse. Vid. intt. ad Gellium 1, 22. quem locum hic jam laudavit Muretus. Ern. Potius vicisse, superasse, reddendum Hillerus Racem. 28. censet ex Gellii l. c. ut in isto Cic. ap. Gell. *doctrina superfuit.*

Neque decorum principibus. Nam in minoribus bellis, principi, ut Claudianus ait de bello Gild. 384. *Vindictam mandasse sat est.* Et ipsa Roma huic rei apud eundem vatem de 6. Cos. Hon. 411. ....*medium non deserit unquam Cæli Phœbus iter; radiis tamen omnia lustrat.* Lips.

Omissa urbe. Pichena et Jac. Gron. putant, intelligi ex antecedentibus *proficisci ad id bellum:* sed Freinsh. legendum censet *omisisse urbem.* Sane illa repetitio h. l. durior est, ut et Ryckiana, qui e seq. intelligi volebat *duci.* Corruptela potuit nasci e compendiaria scriptura *omisse.* Sed etiam Heinsii remedium satis lene: *omissam urbem.* Ern. Hillerus l. c. supplendum putat *ire*, omissum ob sequens *iturum.* Pro Heinsio facit, quod sæpe librarii lineolas finalibus vocalibus loco literæ *m* imponere neglexerint. — * Freinsh. emend. probat Wopkens.

Metu ducatur. Acidalius mavult *motu;* sed metus ex motu intelligitur. Nil mutandum.

Publicis exsequiis. De quibus v. Gutherium de Jur. Man. 2, 1. Ern.

sed impiger militiæ, et acribus ministeriis, consulatum sub D. Augusto, mox, expugnatis per Ciliciam Homonadensium castellis, insignia triumphi adeptus; datusque rector C. Cæsari, Armeniam obtinenti, Tiberium quoque, Rhodi agentem, coluerat. Quod tunc patefecit in senatu: laudatis in se officiis, et incusato « M. Lollio, » quem, « auctorem C. Cæsari pravitatis et discordiarum, » arguebat. Sed ceteris haud læta memoria Quirini erat, ob intenta, ut memoravi, Lepidæ pericula, sordidamque et præpotentem senectam.

XLIX. Fine anni, C. Lutorium Priscum, equitem

Consulatum sub. Consul fuit a. U. 742. cum M. Valerio Messala. Quirinus a Dione, Josepho, Tacito constanter appellatur: ut mirer, cur maluerit Onufrius, *Quirinus*. Lips. Sed vide ad 2, 30. extr. Ern.

Mox expugnatis per Ciliciam. Tangit historiam solus, quod sciam, Strabo 12. p. 569. Τοὺς δὲ Ὁμοναδέας Κυρίνιος ἐξεπόρθησε λιμῷ, καὶ τετρακισχιλίους ἀνδρας ἐζώγρησε καὶ συνέφυσεν εἰς τὰς ἐγγὺς πόλεις. Τὴν δὲ χώραν ἀπέλιπεν ἔρημον τῶν ἐν ἀκμῇ. At idem is etiam in Africa gessit, si Floro accredam, aut certe veteribus ejus libris. Nam 4, 12, 41. ubi legitur: *Marmaridas atque Garamantas Furnio subigendos dedit*, alter meus scriptus codex, *Curinio*, alter *Quirino* refert. Et puto recte. Lips. Vid. ibi viros doctos et in pr. Duker. Ern.

Datusque rector. Diu etiam post in Syriam missus, ad census describendos. De qua re multa Josephus 18, 1. 2. et seq. Et mentio ejus apud Lucam in Historia sacra. Lips.

Coluerat. Prudentior Archelao, qui *Rhodi agentem nullis officiis coluerat*, 2, 42. Ern.

Incusato M. Lollio. Ita emendavi olim, cum vulgo esset *M. Folio*. Hausi emendationem facile ex historia, quæ apud Suet. 12. *Namque privignum Caium Orienti præpositum, cum visendi gratia trajecisset Samum, alieniorem sibi sensit ex criminationibus M. Lollii, comitis et rectoris ejus.* Item Plinium 9, 58. et Velleium 2, 102. Fuit enim hic Lollius C. Cæsari rector, quo more principibus juvenibus etiam nunc dantur: et post illum P. Sulpicius Quirinus, Tiberio amicus. Caussa errori, quod in priscis libris sine geminatione fere: *Lolio*. Lips.

Pravitatis et discordiarum. Sic Livius 4, 26. *pravitas consulum discordiaque inter ipsos*; ubi vide nostra. Gron.

Ut memoravi. Scilicet c. 22.

C. Lutorium Priscum. Vulgo, *Clutorium*. Sed Dio auctor sic emendandi, apud quem 57, 20. est, Γαΐος Λουτόριος. Error ex adhæsu notarum, ut infra *Panteius*, qui est P. Anteius. Mentio hujus aut alterius Lu-

romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat, pecunia donatum a Cæsare, corripuit delator, objectans, « ægro Druso composuisse, quod, si exstinctus foret, majore præmio vulgaretur. » Id C. Lutorius in domo P. Petronii, socru ejus Vitellia coram, multisque illustribus feminis, per vaniloquentiam legerat. Ut delator exstitit, ceteris ad dicendum testimonium exterritis, sola Vitellia, « nihil se audivisse, » adseveravit. Sed arguentibus ad perniciem plus fidei fuit: sententiaque Haterii Agrippæ, consulis designati, in dictum reo ultimum supplicium.

L. Contra M. Lepidus in hunc modum exorsus est. « Si, P. C. unum id spectamus, quam nefaria voce C. Lutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer, neque laqueus, ne serviles quidem cruciatus, in eum suffecerint. Sin flagitia et facinora sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio, majorumque et vestra exempla temperant: et vana a scelestis, dicta a maleficiis differunt, est locus sententiæ, per quam neque huic delictum impune sit, et nos clementiæ simul ac severitatis non pœniteat. Sæpe audivi principem nostrum conquerentem, si quis, sumpta morte, misericordiam ejus prævenisset. Vita Lutorii in

torii apud Plinium 7, 40. ubi tamen male, *Sutorio Prisco*. Lips.

Corripuit delator. Curtius 10, 1. Gron.

Ad dicendum testimonium exterritis. Ita territis metu periculi, ut dicerent testimonium contra C. Lutorium: formam loquendi supra jam illustravimus 2, 62. Sed etiam Livius 7, 42. *multitudinem ad arma consternatam esse*. Ern.

Ne serviles quidem. Id est, patibula crucesque. Lips.

Vita Lutorii in integro est. Sententia mihi mallet, *esto*. Lips. Non necessarium puto cum Pichena. Vult dicere: atqui Lutorius adhuc vivit, non sibi vim attulit: sinamus locum fieri principis misericordiæ: præsertim cum nec servatus periculum reipub. allaturus sit etc. Ern.

integro est; qui neque servatus in periculum reipubl. neque interfectus in exemplum ibit. Studia illi, ut plena vecordiæ, ita inania et fluxa sunt: nec quidquam grave ac serium ex eo metuas, qui suorum ipse flagitiorum proditor, non virorum animis, sed muliercularum adrepit. Cedat tamen urbe et, bonis amissis, aqua et igni arceatur. Quod perinde censeo, ac si lege majestatis teneretur. »

LI. Solus Lepido Rubellius Blandus e consularibus adsensit: ceteri sententiam Agrippæ secuti: ductusque in carcerem Priscus, ac statim exanimatus. Id Tiberius solitis sibi ambagibus apud senatum incusavit, cum extolleret « pietatem, quamvis modicas principis injurias acriter ulciscentium; » deprecaretur « tam præcipitis verborum pœnas: » laudaret Lepidum, neque Agrippam argueret. Igitur factum SC. « ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spa-

Studia illi etc. Vecordiam intelligit, quam supra *vaniloquentiam* dixerat, dementiam: *inania* et *fluxa* vocat, quippe nihil cuiquam nocitura studia. Ern.

Rubellius Blandus. Forsan is, notante Ursino, qui in numo æneo IIIVIR. A. A. A. F. F. cujus etiam mentio 3, 23.; 6, 27, 45.

Pietatem quamvis modicas. Sic vocabatur tum temporis, quæ veriore vocabulo est *sæva adulatio* 4, 20. Sueton. August. 66. *laudavit quidem pietatem tantopere pro se indignantium.* Domitiano 11. *Permittite, P. C. a pietate vestra impetrari.* Ovidius Metam. 1, 204., *Nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum, Quam fuit illa Jovi.* Non melior *pietas* Vitellianorum H. 2, 69. Gron.

Verborum pœnas. Recte, quia verba, non facta Lutorii pœna adfecta sunt. Nec male tamen, *reorum pœnas*, argumento decreti, quod secutum. Lips.

Ante diem decimum. Intercederat nota numeri, quam nos certis auctoribus restituimus. Suetonio Tiber. 75. *Nam cum SC. cautum esset, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur.* Dione 57, 20., Καὶ δόγμα τι παρασθῆναι ἐκέλευσε, μήτ' ἀποθήσειν ἐντὸς δέκα ἡμερῶν τὸν καταψηφισθέντα ὑπ' αὐτῶν, μήτε τὸ γράμμα τὸ ἐπ' αὐτῷ γενόμενον, ἐς τὸ δημόσιον ἐντὸς τοῦ αὐτοῦ χρόνου ἀποτίθεσθαι. Qui et idem repetit, fine libri 58. Nec aliud Seneca sensit de Tranquill. 1, 14., *Credisne illum decem medios usque ad supplicium*

tium damnatis prorogaretur. » Sed non senatui libertas ad pœnitendum erat; neque Tiberius interjectu temporis mitigabatur.

LII. C. Sulpicius, D. Haterius coss. sequuntur: inturbidus externis rebus annus, domi suspecta severitate adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta, quis pecunia prodigitur. Sed alia sumptuum, quamvis

dies sine ulla solicitudine exegisse? Mansisse videtur id decretum, donec Theodosius imp. clementissime convicto et damnato reo dies indulsit triginta vitæ: in l. Si vindicari C. De pœnis. Sidonius ergo non abest quin falsus sit, l. 1. epist. 7, qui id tribuit SC. Tiberiano. *Ex vetere*, inquit, *SC. Tiberiano triginta dierum vitam post sententiam trahit.* Hæc satis certa videbantur; at turbant me declamatores: inter quos Quinctil. Themate declam. 313., *Damnatorum*, inquit, *supplicia in diem tricesimum differantur.* Et in ipsa declam. *Et mihi videtur ideo constituta esse lex, quæ damnatum post tricesimum diem puniri voluit, quoniam videbat legum lator posse fieri, ut deciperetur accusator.* Item Calpurnius Flaccus (Pithœo nostro auctores hos debemus). Declamat 25., *Pœna raptoris in diem trigesimum differatur.* Nam vixisse istos ante Theodosii longe ævum, satis claret. An igitur exolescentem retulit dumtaxat, ratamque Tiberianam legem habuit Theodosius, et in Tacito, Dione, Seneca, suspicamur de mendo? An potius declamatores illi in transcribendo vitiati a posteris sunt, et ad posteriorem illam legem aptati? Mehercle hæreo, eo magis, quod Quinctilianum illum Augusti ævo vixisse volunt: quod ex hoc loco non potest. Lips. Jac. Sirmondus hæc sic conciliat, ut novo aliquo SCto postea, incertum quo tempore, viginti dies adjecti sint, et tamen iste numerus dierum tributus sit primo illi SCto, quod de spatio temporis inter condemnationem et supplicium primum sub Tiberio factum sit: quale quid sæpe in aliis legibus factum. Vide quæ diximus ad Suet. Excursu 24. Eam rationem probat Rychius ad h. l. merito. Ern.

Ad ærarium deferrentur. In ærario tabulæ publicæ et acta senatus Livius 39, 4., *Verum, cum sint notissimæ sibi cum consule inimicitiæ, quid ab eo posse quemquam æqui exspectare, qui per infrequentiam furtim factum SC. ad ærarium detulerit?* Nec ante rata, donec delata. Interea auctoritas dicebatur, non SC. ut ex Cic. ep. ad Div. 8, 8. et Dione 55, 3. jam alii notarunt. Vide similem in Tacito locum 13, 28. de multis Ædilium. Lips.

COSS. sequuntur: inturbidus etc. Consules h. l. pro anno dicuntur, sensusque hic: sequitur annus quo C. S. D. H. consules fuere. Igitur sequentia per appositionem capienda: eique rei interpunctionem accommodavi 6, 40. *Q. Plautius, S. Papinius coss. sequuntur. eo anno etc.* Ern.

graviora, dissimulatis plerumque pretiis, occultabantur; ventris et ganeæ paratus, adsiduis sermonibus vulgati, fecerant curam, ne princeps antiquæ parcimoniæ durius adverteret. Nam, incipiente C. Bibulo, ceteri quoque ædiles disseruerant, « sperni sumptuariam legem, vetitaque utensilium pretia augeri in dies : nec mediocribus remediis sisti posse. » Et consulti patres integrum id

12. *Fecerant curam.* Sic infra c. 54, *simultates faciunt :* ubi tamen forsan rectius Lipsius, *faciunt.* Vid. supra h. l. c. 29, an *aciunt;* et apud Nasonem Am. 1, 8, 82., *Sæpe simultates ira morata facit. Formidinem facere*, Hist. 3, 10. Sed et alibi *metum, terrorem, pericula facere.* Hic tamen fortasse rectius legamus *injecerant*, vel *acuerant curam.*

Sperni sumptuariam legem. Augusti sumptuariam intellegit, de qua Agellius 2, 24. *Postremo lex Julia ad populum pervenit, Cæsare Augusto imperante, qua festis quidem diebus ducenti finiuntur; Kalendis, Idibus, Nonis, et aliis quibusdam festis, trecenti : nuptiis autem et repotiis HS. millies esse. Etiam dicit Capito Ateius edictum Divine Augusti an Tiberii Cæsaris*, etc. Quo loco claram mendam per occasionem tollo, legoque : *nuptiis autem et repotiis sestertii mille. Esse etiam dicit Capito*, etc. Sestertium millies ad nuptias ut definiat ulla lex ? non potest : nimis immane est. At sestertii mille conveniunt, et συμμετρίαν habent cum numero priore, ducentorum trecentorumque. Ceterum hanc Tiberii curam intellexit Plinius 33, 8. hoc diversus, quod C. Sulpicium Galbam ædilem nominat, non C. Bibulum, rejicitque in annum sequentem, quo consules Vetus et Pollio. *Tiberii demum*, inquit, *principatus nono anno, in unitatem venit equester ordo; anulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss.* a. U. c. 775. *quod miremur, futili pœne de caussa; cum C. Sulpicius Galba, dum juvenalem famam apud principem popinarum pœnis aucupatur, questus esset in senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi anulis.* Fieri tamen potest, ut iterata tunc ea inquisitio. Lips. Emendationem Lipsii in Gellio omnes post editores recte recepere. Ern.

Vetita utensilium pretia augeri. Freinsh. *supellectilium prohibitam taxationem non modo retineri, verum etiam in dies augescere.* Mirum omnibus partibus. Tu accipe; et in cibaria et convivia plus plusque in dies, quam concessum sit, impendi. De ganeæ namque paratibus agunt : et *utensilia* quæ sint, diximus ad 1, 70. Gron. Adde Suet. Tib. 34. in quo loco, planum est, ad ea, quæ hoc anno in senatu acta sunt, respici maxime, neque solum ad 2, 33. ut videbatur ibi Burmanno, hinc vocem *mullos* ap. Suetonium tentanti, quod ibi (2, 33.) macelli nulla mentio. Vide dicta in Excursu ad locum Suetonii. Ern.

Nec mediocribus remediis sisti

negotium ad principem distulerant. Sed Tiberius, sæpe apud se pensitato, an coerceri tam profusæ cupidines possent? num coercitio plus damni in remp. ferret? quam indecorum adtrectare, quod non obtineret: vel retentum ignominiam et infamiam virorum illustrium posceret: postremo literas ad senatum composuit, quarum sententia in hunc modum fuit.

LIII. « Ceteris forsitan in rebus, P. C. magis expediat, me coram interrogari et dicere, quid e republ. censeam: in hac relatione, subtrahi oculos meos, melius fuit, ne, denotantibus vobis ora ac metum singulorum, qui pudendi luxus arguerentur, ipse etiam viderem eos, ac velut deprenderem. Quod si mecum ante viri strenui,

posse. Sic rectissime restituit Pichena, cum ante legeretur *remediis resisti*, de conjectura edentium: nam in cod. MS. est *remedii isti*: recte adeo receptum Gron. et seq. Gronovius adscripserat, videndas notas suas ad Livium 4, 12. Ern. — * Probat Heinsius l. c. Cf. et not. ad Just. 11, 1.

Negotium ad principem distulerant. Pro usitatiori *rejecerant*: quia illud ipsum *rejicere* habet dilationem judicii, sententiæ: eaque de caussa hæc verba permutantur. Livius 41, 8. *legati, qui ad novos magistratus* (i. e. in proxime futurum annum) *dilati erant*. Cic. ad Att. 1, 4. *in mensem quintilem rejecti sumus*. Ern. — *Distulerant*, i. e. differentes remiserant. Sic et Livius 26, 51. Wopk.

Plus damni. E numero scilicet periclitantium, et malitia delatorum. Itemque ex infamia, ut addit, tot illustrium. Lips.

Obtineret. Exhibui lectionem MS. et edd. Beroaldi et Frob. pr. quam restituit J. Gronovius. Rhenani ed. habet *obtineretur*; quod secutæ sunt editiones post se factæ: estque convenientius contextui. Sed quia et *obtineret* intelligi potest, et Tacitus, ut sæpe jam diximus, amans est variandæ constructionis, non pro certo audeam dicere, *obtineretur* esse Taciti manum. Ern.

Ne, denotantibus vobis ora etc. Non videtur esse, quod vulgo hoc verbum significat, *designare*: quo sensu simplex et compositum promiscue dicuntur: nam quod Cicero in Catil. 1, 1. dixit, *notat et designat oculis ad cædem unumquemque nostrum*, id pro Lege Manil. 3. dixit, *una literarum significatione cives romanos trucidandos denotavit*: sed *observari*: pro quo cum *notare* dicatur, ut ap. Virgil. Ecl. 3, 68. *locum ipse notavi, aeriæ quo congessere palumbes*, etiam *denotare* dici potuit. Ern.

Deprenderem. Hic quoque secutus J. Gronovium exhibui scripturam codicis; non quo concinnior sit, ut

ædiles, consilium habuissent, nescio, an suasurus fuerim, omittere potius prævalida et adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus. Sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia implere velim: mihi autem neque honestum silere neque proloqui expeditum, quia non ædilis, aut prætoris, aut consulis partes sustineo: majus aliquid et excelsius a principe postulatur: et, cum recte factorum sibi quisque gratiam trahant, unius invidia ab omnibus peccatur. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere adgrediar? villarumne infinita spatia, familiarum numerum et nationes?

ille ait, aut pro certo audeam affirmare, Tacitum sic scripsisse, sed quia scripturam codicis exhibendam putavi, ubi ambiguum esset, utrum Tacitus dedisset. Unius codicis auctoritas non satis est, ut credam, Tacitum sic dedisse. Codices Liviani bene multi multis locis exhibent *prendere*, *prensus*. Vid. Drakenb. ad 2, 29. nec tamen ille recepit. Etiam in Sueton. Calig. 39. cod. Med. tert. habet *comprensis*, sed alii *comprehensis*, ut editur. Itaque non magnopere peccasse in Tacitum puto viros doctos, cum h. l. *deprehenderem* ediderunt: eorumque exemplum secutus essem, nisi scirem, Tacitum poetarum rationem et aliis in rebus secutum esse, contra consuetudinem elegantiorum scriptorum. Sed tamen mihi *deprehenderem* verius videtur. *Deprehendere* editur in Agricola 7. nescio, an e MSS. sed permultis aliis locis in omnibus scriptis et edd. reperitur. Ern.

Viri strenui. Insanam epithetorum, quibus vulgo utimur, luxuriam reprehendi, facile fero. Sed principium ejus a Cicerone, vel Tiberio, vel Tacito petere cum Freinshemio, est jocari. Non dubito, quin *viri strenui* sint, acres, vigilantes, intenti, suique muneris et officii memores, quod in hoc ipso demonstrarint negotio. Prorsus sic Fabius apud Livium 28, 40. *quemadmodum jam certa provincia Africa consulis, viri fortis ac strenui, sit*. Et Parmenio apud Curtium 7, 2. *rex expeditionem parat in Arachosios: strenuum hominem et nunquam cessantem!* Quæ nequaquam addidissent illi, nisi res præsens eo duceret. Gron.

Villarumne infinita spatia. Muretus male de amplitudine fundorum capit, quæ nihil ad leges sumtuarias pertinet. De ædificiis villarum, urbium magnitudinem habentium, intelligendum. Seneca de Benef. 7, 10. Ern.

Familiarum numerum. Numerum servorum Romanis eum reperio, qui non facile fidem inveniat moribus nostris. Tacitus 14, 43. Pedanio Costæ (Secundo) tribuit quadringentos: Plinius 33, 47. Cæcilio cuidam Isi-

argenti et auri pondus? æris, tabularumque miracula? promiscuas viris et feminis vestes? atque illa feminarum propria, quis, lapidum caussa, pecuniæ nostræ ad externas aut hostilis gentes transferuntur? »

doro quinquies mille. Et hi nihil dicunt præ Athenæo 6, 20. Πρὸς ταῦτα ἀπαντήσας ὁ Λαρήνσιος ἔφη· ἀλλὰ Ῥωμαίων ἕκαστος, οἶδας δ' ἀκριβῶς ταῦτα, ὃ καλὲ Μασσούριε, πλείστους ὅσους κεκτημένος οἰκέτας. Καὶ γὰρ μυρίους καὶ δισμυρίους, καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται· οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας. Ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. Seneca de Tranq. an. 8. *Felicioremne tu Demetrium Pompeianum vocas, quem non puduit locupletiorem esse Pompeio? numerus illi quotidie servorum, velut imperatori exercitus, referebatur: cui jamdudum divitiæ esse debuerant duo vicarii et cella laxior.* Tot servi, si Deo placet, uni servo! Ut non injuria queratur et culpet Plinius 33, 6. *mancipiorum legiones, et in domo turbam externam, ac servorum quoque caussa nomenclatorem adhibendum.* Nec Romæ solum hæc copia; etiam Athenis. Thucydidem auctorem habeo, ex ea urbe, bello peloponnesiaco, idque uno tempore, transfugisse ad hostem super viginti millia servorum: et quidem servorum, qui manuarias operas exercerent. Quantam vim in urbe suspicari debemus fuisse reliquam? Verba ejus hæc 7, 27. Τῆς τε γὰρ χώρας ἀπάσης (οἱ Ἀθηναῖοι) ἐστέρηντο, καὶ ἀνδραπόδων πλέον ἢ δύο μυριάδες ηὐτομολήκεσαν. Καὶ τούτων πολὺ μέρος χειροτέχναι. Lips. Adde Senec. de Benef. 7, 10. Ern.

Familiarum numerum et nationes. Possis nationes de multitudine capere. Seneca l. c. *familia bellicosis nationibus major.* Sed multitudo indicatur verbo *numeri.* Igitur potius de servis e variis nationibus intelligendum e 14, 44. Et aliis locis veterum constat, in hoc quoque magnificentiam quæsitam. Ern.

Æris. De vasis corinthiis intelligendum, quorum in hac caussa mentio ap. Sueton. Tib. 34. sed præterea etiam de aliis ornamentis supellectilis ex ære: de quibus v. Meursium de Luxu. Ern.

Promiscuas viris et feminis vestes. Sericas intellegit Coasque, quibus abstinebant nec viri. Carpit non semel gravissimus auctor Seneca ut Ep. 123. (122.) *Non videntur illi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem? non vivunt contra naturam, qui expectant* (corrigo *expetunt*) *ut puerilia splendeat tempore alieno?* et 114. *Quod vides istos sequi, qui aut vellunt barbam aut intervellunt; qui labra prosius tondent et abradunt, servata et submissa cetera parte: qui lacernas coloris improbi sumunt, qui perlucentem togam.* Et Plinius 11, 27. *Nec puduit has vestes* (de Cois loquitur) *usurpare etiam viros, levitatem propter æstivam. In tantum a lorica gerenda discessere mores, ut oneri sit etiam vestis.* Plura pete e Clem. Alexandr. Pædag. 3, 3. cujus index, περὶ τῶν καλλωπιζομένους τῶν ἀνδρῶν. Lips.

Lapidum caussa pecuniæ. Gem-

LIV. « Nec ignoro, in conviviis et circulis incusari ista, et modum posci : sed, si quis legem sanciat, pœnas indicat, iidem illi, civitatem verti, splendidissimo cuique exitium parari, neminem criminis expertem, clamitabunt. Atqui, ne corporis quidem morbos veteres, et diu auctos, nisi per dura et aspera coerceas : corruptus simul et corruptor, æger et flagrans animus, haud levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit. Tot a majoribus repertæ leges, tot, quas D. Augustus tulit : illæ oblivione, hæ, quod flagitiosius est, contemptu abolitæ, securiorem luxum fecere. Nam, si velis, quod nondum vetitum est, timeas, ne vetere : at, si prohibita impune transcenderis, neque metus ultra, neque pudor est. Cur ergo olim parcimonia pollebat? quia sibi quisque moderabatur : quia unius urbis cives eramus : ne irritamenta quidem eadem, intra Italiam dominantibus. Externis victoriis aliena, civilibus etiam nostra consumere didicimus. Quantulum istud est, de quo ædiles admonent! Quam, si cetera respicias, in levi habendum! At, hercule, nemo refert, quod Italia externæ opis indiget, quod vita populi romani per incerta maris et tem-

mas intellegit, et in primis uniones : quorum feminis ad inaures creber usus. Vide Excurs. 1. Lips. Plinius 12, 41. *Arabiæ etiamnum felicius mare est ; ex illo namque margaritas mittit : minimaque computatione millies centena millia sestertium annis omnibus India et Seres peninsulaque illa imperio nostro adimunt.* Gron.

Unius urbis cives. Quasi dicat, at nunc ex omni orbe mixtio sumus. Undique gentes civitate et honoribus donatæ, itemque non donatæ, confluximus. Quæ vera sunt de illo ævo : vel Senecam ad Helviam vide c. 6. Lips. Adde ad 2, 55. et Dionys. Halic. 4, 23. sq. Ern.

Ne irritamenta. Paschalius in margine : hic deest *at nunc*, aut aliquid tale. Credo, id referebat potius ad *externis victoriis*. Sed ibi sufficit intelligi.

Vita populi rom. per incerta. Quia e Sicilia, ex Africa, ex Ægypto, frumentum advehebatur, ut notum est, et jam ad h. l. monuere alii. Similiter loquitur infra 12, 43. Ern.

pestatum quotidie volvitur, ac, nisi provinciarum copiæ et dominis et servitiis et agris subvenerint, nostra nos scilicet nemora nostræque villæ tuebuntur? Hanc, P. C. curam sustinet princeps: hæc omissa funditus remp. trahet. Reliquis intra animum medendum est: nos pudor; pauperes necessitas; divites satias in melius mutet. Aut, si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat; hunc et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor: sin accusare vitia volunt, dein, cum gloriam ejus rei adepti sunt, simultates faciunt, ac mihi relinquunt,

Ac nisi etc. Ac non videtur huic loco convenire. Suspicor, Tacitum scripsisse *nam*: ut ratio redderetur præcedentium verborum. Mox toti contexto et formæ argumentationis esset convenientius *quod si*, quam *aut si*. Sed hoc quoque utcunque defendi posse video. Paullo post Heinsius. l. c. corrigit *parte*, pro *partem*, intellecto *me*. Ern. — Equidem malim *parte me* expressis verbis (ex quo facile potuit oriri *partem*). Sedet vulgatum probum censeo. Sic. H. 4, 37. *ad liberandum obsidium*. Wopk. Nil mutandum: non enim ratio redditur, sed continuantur res ad senatum referendæ. Sic recte Hillerus Racem. 29. qui et bene τὸ *aut si* tuetur.

Simultates faciunt. Jos. Mercerus, *fugiunt*; at ego *faciunt*, verum puto. Semina simultatum illi spargunt, me volunt colligere acerbos fructus. Mox etiam, *remissam curam* interpretantur *permissam*. Nam ita Suet. Tib. 34. *Annonam macelli senatus arbitrio quotannis temperandam censuit, dato ædilibus negotio popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria vænalia proponi inerent*. Sed hoc sane ad publicum luxum, et divitum istorum, non spectat: magis ad pretia rerum (prior quidem pars:) et reliqua ad plebeculæ disciplinam. Nihil quidem nunc actum, Tacitus ita clare dicit, et post orationem etiam ostendit, ut calumnia sit aliter interpretari. Et age, dissentiat a Suetonio: an rarum est? Lips. Mercerus et Grotius legendum putant: *faciundas mihi relinquunt*: quod probat etiam Ryckius. Heinsio lipsiana ratio placebat. Sed *faciundas* melius puto. Quod ad *remissam curam* attinet, Lipsium sequitur Freinsh. Pichena contra pugnat pro *permissa*, *relicta*, usus loco Taciti 3, 10. *remittere caussam integram ad senatum*, item 1, 8 *remissi Cæsar arrog. moder*. Sed uterque locus est alienus. Nam in illo construitur cum *ad*, neque tamen significat proprie permittere: in hoc, *remittere* non esse permittere, patet ex iis, quæ ibi a Lipsio et Gronovio dicta. Nec Broterius ullum exemplum idoneum attulit pro hac significatione, defunctus magnifica ratione, quod res ita sit

credite, P. C. me quoque non esse offensionum avidum : quas cum graves, et plerumque iniquas, pro rep. suscipiam, inanes et irritas, neque mihi aut vobis usui futuras, jure deprecor.

LV. Auditis Cæsaris literis, remissa ædilibus talis cura; luxusque mensæ, a fine actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti, paullatim exolevere. Causas ejus mutationis quærere libet. Dites olim familiæ nobilium, aut claritudine insignes, studio magnificentiæ prolabebantur. Nam etiam tum plebem, socios, regna colere, et coli licitum : ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur. Postquam cædibus sævitum, et magnitudo famæ exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere, simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis, in senatum crebro adsumpti, domesticam parcimoniam intulerunt : et, quamquam fortuna, vel indus-

comperta, ut exemplis supersedere potuerit. Lipsianæ interpretationi, quam Freinsh. sequitur, obstare videtur, quod ædiles illam curam non petierant, sed ad senatum detulerant principemque, ab iisque emendari rem voluerant. Sed tamen et latinitas et sequentia non aliter patiuntur intelligi. Ern *Simultates facere* habet quoque Ovid. Am. 1, 8, 82.

Plerumque iniquas. A pravis caussis animisque ortas, non ex merito meo. Lips. *Neque mihi aut vobis.* Vid. ad 1, 32. Ern.

Rerum adeptus est. Faciebam olim, *rem romanam adeptus :* nunc non muto. Est archaismus, et sic dictum, ut *rerum potiri.* Nam ita 6, 45., *Nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur.* Lips.

Per nomen et clientelas ill. hab. Ut superiora : *ut quisque opibus d. p. speciosior* respondent verbis : *plebem socios, regna colere :* sic hæc verbo : *et coli* : int. *a plebe sociis, regibus.* Atqui socii et regna sunt *clientelæ.* De sociis notissimum : Cappadociam clientelam Catonis vocat Cicero ep. 15, 4. ubi etiam Cyprum insulam, quæ fuit sociorum, sic appellat. Unde fit, ut alterum verbum videatur debere respondere *plebi*, veniatque in mentem *per urbem.* Sed potest *per nomen et clientelas illustrior* accipi pro *nomine et clientelis*, et *habebatur*, pro *erat;*

tria, plerique pecuniosam ad senectam pervenirent, mansit tamen prior animus. Sed præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit, antiquo ipse cultu victuque. Obsequium inde in principem et æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus et metus. Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur : nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis et artium, imitanda posteris, tulit. Verum hæc nobis * majores certamina ex honesto maneant.

neque necessarium est, omnia sibi accurate respondere. Ern.

Pervenirent. Pervenissent temporum ratio requirit : et sic a Tacito scriptum puto. Possis etiam conjicere *pervenerant;* quod esset sane rectius ex antiquiori et meliori latinitate : sed Tacitus sæpe τῷ *quamquam* conjunctivum jungit, ubi contextus non desiderat, ut h. l. Ern.

Obsequium inde in principem. Simillimum, quod Panegyristes ad Theodosium 14. *Tuæ imperator, epulæ mensis communibus parciores.... hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inolevit: et, quiescentibus legum minis, subiit quemque* (ita lego) *privatim pœnitentia.* Lips.

* *Validior.* Alii *validiora.* Sic passim citat Lips. Kh.

Verum hæc nobis. In funesto hoc loco olim conclamavi. Forte, *nobis in majores.* Id est, adversum majores : medicina, quæ huic mortuo non faciet vitam. Lips. Sic etiam Vertranius, probatque Ryckius. Et sæpe τὸ *in* absorberi ab litera *m* vel præcedente, vel sequente, alibi notatum. Eodem redit *erga* Rhenani, *adversus* Faerni. Salinerius locum sanum putat, orationemque hic converti ad majores, i. e. veteres Romanos : idemque placet Heinsio l. c. p. 393. Id mihi durius videtur, et oratori, quam annalium scriptori, aptius. Ceterum comparem locum huic ex 15, 21. *Maneat provincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi.* Broterio placet Boxhornii ratio : *Verum hæc nobis majores*, sc. exempla reliquere. *Certamina ex honesto maneant.* Ern. Boxhornii conjecturam in textu jam occuparat Paschalius. Lipsii emendatio ac satis arridet. Sic *in* pro *erga* vel *adversus* frequens. *Certare* tamen in *quem* vix invenias. Salinerii apostrophe jam placebat Lampugnano in Collat. cod. Mirand. Acidalius volebat : *quorum, scil. posterorum h. n. in m. c.* etc. Crollius conjectabat: *v. h. n. meliora*, i. e. profuturа magis *c.* etc. Hillerus mavult *majora*, Racem. 2. quippe de virtute instituenda. — * Kh. ad h. l. nihil offenderem. Optat nos certare cum majoribus honestate. Sic et Germ. c. 33. *Maneat* etc. V. D. de Lamalle.

LVI. Tiberius, fama moderationis parta, quod ingruentis accusatores represserat, mittit literas ad senatum, quis « potestatem tribuniciam » Druso petebat. Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne « regis, » aut « dictatoris » nomen adsumeret, ac tamen adpellatione aliqua cetera imperia præmineret. M. deinde Agrippam socium ejus potestatis; quo defuncto, Tiberium Neronem delegit, ne successor in incerto foret. Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur: simul modestiæ Neronis et suæ magnitudini fidebat. Quo tunc exemplo Tiberius Drusum summæ rei admovet: cum, incolumi Germanico, integrum inter duos judicium tenuisset. Sed principio literarum veneratus deos, « ut consilia sua reip. prosperarent, » modica de moribus adolescentis, neque in falsum aucta, retulit: « esse illi conjugem et tres liberos, eamque ætatem, qua ipse quondam a D. Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Ne-

Pot. trib. Druso pet. Huc Vaillant in NN. Col. sub Tib. refert numum, quo Tarraconenses Juliæ recuperatam valetudinem et Druso tribuniciam pot. gratulari videntur.

Augustus reperit. Ita cum Tacito plerique scriptores tradiderunt, quos refellit Dio 42, 20. ubi diserte scriptum, *Cæsarem admisisse, ut dictator in integrum annum diceretur, et tribuniciam potestatem per omne ævum haberet.* Non ergo vocis auctor Augustus. Sed hoc tamen verum, Cæsarem eo titulo publice non usum; usus est primus Augustus, et dedit ei splendorem; ideoque origo ejus non immerito relata ad ipsum. Lips. V. ad 1, 2.

Præmineret. Gutherius de Off. domus Aug. 1, 39. legi vult *prævemuniret*, quod nulla fuerit in trib. pot. eminentia, sed summa securitas et optimum munimentum contra conjurationes. Verum Augustus in eo honore, qui civile quiddam et popularе habebat, eminentiam quæsisse videtur. Quod addit Gutherius, vix a probatis auctoribus receptum *præminendi* vel *præeminendi* verbum, in eo fallitur; hoc sæculo teri cœpit. Noster sic 12, 12. Seneca Controv. 4.

Eamque ætatem qua. Egit ergo Drusus tunc trigesimum sextum annum. Nam Tiberius natus est L. Munatio Planco, M. Lepido iterum coss. a. U. 712. A quo die anni medii triginta sex ad tribuniciam ejus potestatem; quæ delata a. U. 748. Lips.

que nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem et bis consulem, noti laboris participem sumi. »

LVII. Præceperant animis orationem patres; quo quæsitior adulatio fuit. Nec tamen repertum, nisi, « ut effigies principum, aras deum, templa et arcus » aliaque solita censerent : nisi quod M. Silanus ex contumelia consulatus honorem principibus petivit : dixitque pro sententia, « ut publicis privatisve monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina præscriberentur, sed eorum, qui tribuniciam potestatem gererent. » At Q. Haterius cum, « ejus diei senatus consulta aureis literis figenda in curia, » censuisset, deridiculo fuit senex fœdissimæ adulationis, tantum infamia usurus.

LVIII. Inter quæ, provincia Africa Junio Blæso prorogata, Servius Maluginensis, flamen Dialis, ut

13. *Fœdissimæ adulationis tantum infamia usurus.* Mendosa sunt ista, scribe, *tantum infamia ausurus.* Non enim senatui tantum deridiculo fuit, sed ipsi quoque Tiberio, uti mox apparebit. Sic *audere aciem, bellum, prælium, flagitium, facinus* etc. Dubito tamen : nam et *uti morte,* Ann. 6, 48; ib. 51, *ingenio suo.*

Publicis privatisve monimentis. Mureto, Pichenæ, aliisque legendum videtur, *privatisque.* Quod non opus esse putat Ryckius, si ante *publicis* intelligatur *vel.* Sed illud lenius. *Ve* et *que* non raro in libris permutantur. V. Drakenb. ad Liv. 24, 10. et quos ibi laudat. Ern.

Atque Haterius. Non dubie scribendum, *At Q. Haterius*, idque illi prænomen. Simile in Suetonii Vitellio mendum cap. 1. *Exstatque elogii ad Q. Vitellium libellus.* Scribo, *exstat Q. Longini*, vel, ut Muretum video velle, *Q. Clodii.* Lips.

Tantum infamia usurus. Hæc corrupta esse si largiar Heinsio, tamen remedium : *tantum infamia ausurus*, vereor, ut idoneum sit. Ceterum sic interpungendum, *deridiculo fuit senex fœdissimæ adulationis, tantum infamia usurus*, i. e. nullum alium fructum ex hac sententia nisi adulatoris infamiam relaturus. Si quis malit interpungi post *senex* : ut *f. a.* ad *infamia* referatur : non repugnem. Ern.

Servius Malug. Reinesius in margine adscripserat, forte *Sergius Mal.* item infra c. 71. putabatque esse

Asiam sorte haberet, postulavit « frustra vulgatum, » dictitans, « non licere Dialibus egredi Italia; neque aliud jus suum, quam Martialium, Quirinaliumque flami-

Sergium Cornel. Lentulum Malug. qui a. U. 763. consul suffectus cum C. Junio Blæso fuit. De consulatu verum est. Sed de prænomine fallitur vir magnus. *Servius* est prænomen, non *Sergius*. V. viros doctos ad Sueton. Galb. 1. et *Servius* usitatum Maluginensibus prænomen, ut e Livio notum est, apud quem plures hoc prænomine occurrunt. Ern.

Ut Asiam sorte haberet. Non difficilis hic nodus, si memineris, quæ ad caput 32. monuimus. Asia et Africa in sortem mittebantur: et de illis sortiebantur duo consularium vetustissimi. Sed Africa tum temporis sine sorte prorogabatur Junio Blæso. Ergo et citra sortem vetustissimo consularium cedebat Asia. Is erat Ser. Cornelius Maluginensis: eoque postulabat *ut sortem Asiæ haberet.* Ita enim scripsisse Tacitum mihi pro explorato est. Intelligo Asiam provinciam. Quod miror non animadvertisse virum singularem Josiam Mercerum, qui solus hic sapuit, potius quam decurreret ad rem absurdam, etiam qui sine sorte haberet, *sorte obtinere* dictum. Nusquam hoc, sed *sortem*, hoc est provinciam, quæ, nisi extra ordinem aliquid incidisset, sorte deferebatur. *Ut Asiæ sortem haberet*; id est, ut Asiam alteram provinciarum, quas sortirentur consulares, quando altera earum Africa Junio Blæso prorogata esset, et sic neutra in sortem mitteretur, ipse ut istam ante omnes alios consulatu functus citra sortem haberet. Quam etiam nactus esset, nisi Diale flaminium obstitisset. Ideo sequenti c. 71. *Ita sors Asiæ in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.* Provincia nimirum Asiæ sine sortitu. Neque his adversantur illa: *porro si hi duxissent provincias:* quæ primus recte cepit Mercerus. Loquitur enim, ut more atque ex instituto fiebat, nisi necessario aliquid præter morem statuendum esset. Et ex antecedente intelligitur consequens; nam, si Dialibus flaminibus sortiri concessum, sequebatur, ut, quoties sine sorte transibat alterutra harum provinciarum ad primum consularium, si flamen is Dialis esset, non posset excludi. Gron. Emendationem Gronovii probat Ryckius, recte, ut opinor. Ern.

Dialibus egredi Italia. Adeo non egredi, ut nec urbe abesse iis liceret una nocte. quod lege in Camilli oratione apud Livium 5, 52. *Flamini Diali*, inquit, *noctem unam manere extra urbem nefas est.* Lips.

Neque aliud jus suum. Ed. pr. *jussum*; pro quo *jus suum* legendum vidit Victorius ad Ciceron. Brutum p. 544. Sed sic jam correxerat et ediderat B. Rhenanus, quem merito secuti sunt ceteri. Ern.

Martialium, Quirinaliumque. Atqui nec his quidem antiquitus egredi Italia concessum. Valerius 1, 1, 2. *Metellus vero pont. max. Postumium consulem, eumdemque flaminem Martialem, ad bellum gerendum Africam petentem, ne a sacris discederet, multa indicta: urbem egredi passus non est; religionique*

num : porro, si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum? nulla de eo populi scita, non in libris cærimoniarum reperiri. Sæpe pontifices Dialia sacra fecisse, si flamen valetudine aut munere publico impediretur : duobus et septuaginta annis post Cornelii Merulæ cædem neminem suffectum; neque tamen cessavisse religiones. Quod si per tot annos possit non creari, nullo sacrorum

14. *Duobus et septuaginta annis.* Ger. Vossius ad Vellei. Paterc. 2, 43., legit *VI et LXX annis.*

summum imperium cessit. Cf. et Epitoma Livii 19. Et de Quirinali Livius 37, 51. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pont. max. fuit et Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum et Post. Albinum fuerat. Religio ad postremum vicit, ut dicto audiens esset flamen pontifici.* Eadem cærimonia pontificem max. tenuisse videtur ex liviana epitome 59. *Adversus eum P. Licinius Crassus consul, cum idem pont. max. esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prœlio victus et interemptus est.* Sed scire licet, quædam ex his cum ævo mutasse. Alias aperte falsis exemplis se juvet hic flamen. Lips. Cicero Phil. 11, 8. *Crassus pontifex M. Flacco collegæ flamini Martiali multam dixit, si a sacris discessisset: quam multam populus remisit : pontifici tamen flaminem parere jussit.* Ern.

Porro si hi duxissent. Offendo in hac phrasi. Forte, *si hi duo rexissent.* Duo, Martialis et Quirinalis. vel, *si hi direxissent.* Aliquis tamen fortasse ad sortem haud male traxerit : et *duxerint*, id est, sorte extraxerint. Lips. Vide notam Gronovii proxime præcedentem. Rutgersius autem Lect. Venus. c. 25. putat, *duxissent* pro *rexissent*, expressum esse e Thucydidis ἡγεῖσθαι et ἐξηγεῖσθαι τὸν σίλλυν, τὸν Πελοπόννησον. Ern. Ex cod. Mirand. Lampugnanus tuetur *το duxissent.* Recte, ut puto. *Sorti* convenit *duci.* Cic. Div. 1, 18. *oracula, quæ æquatis sortibus ducuntur.* Acidalius quoque reddit, *sortiti essent.*

Duobus et septuaginta annis. Constat ratio. Nam Merula interfectus a. U. 668. Suffectus flamen novus ab Augusto, a. U. 744. Notat Dio 54, 36. Κἂν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ, ait : ὅ, τε ἱερεὺς τοῦ Διὸς πρῶτον μετὰ τὸν Μερούλαν ἀπεδείχθη. Non turbat, quod Julius Cæsar flamen Dialis destinatus fuerit, teste Suetonio 1. quia tantum destinatus, et a Sulla eodem sacerdotio mox multatus est. Facit huc Suetonii illud Aug. 31. *Nonnulla ex antiquissimis cærimoniis paulatim abolita restituit, ut salutis augurium, Diale flaminium.* Lips. Vossius tamen ad Vellei. 2, 43. vult legi *sex et sept.* qui numerus efficitur etiam Lipsii calculo. De Cæsaris flaminio cum Lipsio sentit Burm. ad Vell. l. c. Wesseling. Obs. 2, 18. Ern. — * V. sup. Heins.

damno, quanto facilius abfuturum ad unius anni proconsulare imperium? Privatis olim simultatibus effectum, ut a pontificibus maximis ire in provincias prohiberentur: nunc, deum munere, summum pontificum etiam summum hominum esse, non æmulationi, non odio, aut privatis adfectionibus obnoxium.»

LIX. Adversus quæ cum augur Lentulus aliique varie dissererent, eo decursum est, «ut pontificis max. sententiam opperirentur.» Tiberius, dilata notione de jure flaminis, decretas ob tribuniciam Drusi potestatem cærimonias temperavit; nominatim arguens «insolentiam sententiæ, aureasque literas contra patrium morem.» Recitatæ et Drusi epistolæ, quamquam ad modestiam flexæ, pro superbissimis accipiuntur: «Huc decidisse cuncta, ut ne juvenis quidem, tanto honore accepto, adiret urbis deos, ingrederetur senatum, auspicia saltem gentile apud solum inciperet? Bellum sci-

Non æmulationi. Est e Mureti emendatione: libri omnes, *æmulatione*. Acidalius præterea volebat deleri *aut* post *odio*. Ern.

Dilata notione. Notionem pro *cognitione* posuit. Cic. pro Dom. 13. *quæ omnis notio pontificum esse debuit.* ad Att. 11, 20. *notionem differre*. Adde infra 6, 12: extr. Gron. ad Liv. 27, 25.

Huc decidisse. Sic MS. edd. præter laudatas J. Gronovio, Beroaldi et Aldi, etiam Alciati, Rhenani, Gryphii. At lipsianæ, quis ego utor, habent *recidisse*, item Bernecceri. Sed tamen credo Tacitum scripsisse *recidisse*, quocum in libris sæpe permutatur *decidere*. V. Burm. ad Suet. Cæs. 17. et nos ad Claud. 9. aut *cecidisse* ut H. 3, 13. Sensus enim est: eo rem jam rediisse, huc redacta esse omnia. Ern.

Auspicia saltem. Lucem dat Livii locus 22, 1. de C. Flaminio, qui ante initum consulatum profectus ab urbe. *Quod enim illi justum imperium, quod auspicium esse? Magistratus id a domo, publicis privatisque penatibus, latinis feriis actis, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis, secum ferre: nec privatum auspicia sequi; nec, sine auspiciis profectum, in externo ea solo nova atque integra concipere posse.* Vide etiam, quæ de auspiciis infra scribo 4, 36. Lips.

Bellum scilicet. Non male etiam, *bello*: sive, *bello eum*. Sed distinctione adhibita commode servaveris illud prius. Lips. Immo: quia

licet, aut diverso terrarum distineri, litora et lacus Campaniæ cum maxime peragrantem : sic imbui rectorem generis humani : id primum e paternis consiliis discere. Sane gravaretur adspectum civium senex imperator, fessamque ætatem, et actos labores prætenderet : Druso quod, nisi ex adrogantia, impedimentum? »

LX. Sed Tiberius, vim principatus sibi firmans, imaginem antiquitatis senatui præbebat, postulata provinciarum ad disquisitionem patrum mittendo. Crebrescebat enim græcas per urbes licentia atque impunitas asyla statuendi : complebantur templa pessimis servitiorum : eodem subsidio obærati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. Nec

15. *Aut diverso terrarum distineri.* Lege, *aut diversa terrarum distinere.* Vide nos ad 1, 40.

liber unicus *bellum*, male et non recte subjicies *bello*, etsi oratio reliqua id facile ferat. *Bellum scilicet*, id est, bellum esse scilicet, quod moretur Drusum. Quo genere loquendi cur offendare, nulla ratio est. Sic Silius 7, 42. *Ad portas bellum* : quod Obs. 1, 17. vindicavimus. Gron. Dura ellipsis, cui vel Lipsii vel Heinsii emendatio bene medetur. Lallemand *bello* mavult.

Tum maxime peragrantem. Cum maxime, Rhen. et Muretus voluere. Et sic est in MS. unde restitutum a Pichena. Ern.

Sed Tiberius. Ante hæc verba aliquid desiderari Paschalius putat. Perperam, si quid video.

Asyla. Ad totum hunc locum de asylis et jure asylorum in græcis civitatibus non pœnitebit contulisse Spanhemium de Usu et Præst. Num. Diss. 9, 5. Ern. Adde Eckhelii doctr. NN. vet. vol. 4. p. 306.

Complebantur templa. Tribus ergo generibus hominum perfugium in asylis, servis, obæratis, maleficis. De maleficis servisque Plutarchus περὶ Δεισιδαιμονίας p. 166. Ἔστι δούλῳ φεύξιμος βωμὸς, ἔστι καὶ λῃσταῖς ἀβίβλα πολλὰ τῶν ἱερῶν, καὶ πολεμίους φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται ἢ ναοῦ, θαῤῥοῦσιν. De obæratis idem de vitandis usuris p. 828. Ἡμὶν γὰρ Ἄρτεμις ἡ ἐν Ἐφέσῳ τοῖς χρεώσταις, ὅταν καταφύγωσιν εἰς τὸ ἱερὸν αὐτῆς, ἀσυλίαν παρέχει καὶ ἄδειαν ἀπὸ τῶν δανείων. Et Sallustius eleganter de Pompeio, Ep. ad Cæsarem 1, 2. *Eoque per omne tempus belli, quasi sacro atque inspoliato fano, debitores usi.* Adde, quæ de asylis Pollux c. 1. Εἰ δὲ καὶ ἀσυλόν τι εἴη, τοῦτο καὶ ἀρπασφύγετον λέγε, καὶ φύξιμον, καὶ ἱεροὺς ὅρους, ἀφ' ὅσον τοῖς οἰκέταις ἀσφάλεια. Lips. Cf. et supra c. 36.

ullum satis validum imperium erat coercendis seditionibus populi, flagitia hominum, ut cærimonias deum, protegentis. Igitur placitum, ut mitterent civitates jura atque legatos. Et quædam, quod falso usurpaverant, sponte omisere: multæ vetustis superstitionibus aut meritis in populum romanum fidebant. Magnaque ejus diei species fuit, quo senatus majorum beneficia, sociorum pacta, regum etiam, qui ante vim romanam valuerant, decreta, ipsorumque numinum religiones introspexit, libero, ut quondam, quid firmaret, mutaretve.

LXI. Primi omnium Ephesii adiere, memorantes,

Jura. I. e. tabulas, literas, monumenta, quibus jura niterentur, inspicienda senatui, ut judicaret, utrum jus asyli esset, nec ne. Ern.

Primi omnium Ephesii. Quibus Diana culta celebri illo templo. Statuam ejus describit Minucius Felix c. 21. *Diana interim est alte succincta venatrix: et Ephesia mammis multis et verubus exstructa.* Ubi repono, *uberibus exstructa.* De toto hoc Asylo eleganter Strabo 14. p. 641. Ἄσυλον δὲ μένει τὸ ἱερὸν καὶ τῶν καὶ πρότερον· τῆς δὲ ἀσυλίας τοὺς ὅρους ἀλλαγῆναι συνίβη πολλάκις. Ἀλεξάνδρου μὲν ἐπὶ στάδιον ἐκτείναντος, Μιθριδάτου δὲ τόξευμα ἀφέντος ἀπὸ τῆς γωνίας τοῦ κεράμου, καὶ δόξαντα ὑπερβαλέσθαι μικρὰ τὸ στάδιον. Ἀντωνίου δὲ πλησιάσαντος τούτῳ, καὶ συμπεριλαβόντος τῇ ἀσυλίᾳ μέρος τι τῆς πόλεως. Ἐφάνη δὲ τοῦτο βλαβερὸν, καὶ ἐπὶ τοῖς κακούργοις ποιοῦν τὴν πόλιν· ὅς τ' ἐκύρωσεν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ. Cui descriptioni, causa non est, ut aliunde quippiam addam. Lips. In loco Minucii Felicis perperam hærent viri docti, cum Lipsio pro *verubus* legentes *uberibus*, vel cum aliis *tuberibus*. Frustra quoque Wowerus transponi verba jubet, quasi *verubus exstructa* non ad Ephesiam pertineat. Vindicias loci egit, et Minucium ab inepta tautologia liberavit Holstenius in Ep. ad Card. Barberinum de fulcris s. verubus Dianæ Ephesiæ. fol. Rom. 1688. ubi ex numis potiss. ostendit, ferreis fulcimentis statuam deæ sustentari solitam. Simile quid de Dioscurorum signis refert Prudentius contra Symm. 1, 319. ubi intrusere quoque scioli *solo* pro *veru*. Numus Otaciliæ ap. Vaillant præfert epigraphen: ARTEMIC. ΕΦΕCIA ACTAOC. Strabonis δὲ πλησιάσαντος nihil esse, Xylander bene vidit: quid, si legas: Ἀντωνίου διπλασιάσαντος τοῦτο. Istam Antonii indulgentiam Ephesius celebrat numus, jugatis triumvirorum capitibus insignis, quem ex Vaillantio exhibet Chishull. p. 150.

« non, ut vulgus crederet, Dianam atque Apollinem Delo genitos : esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam, ubi Latonam, partu gravidam, et oleæ, quæ tum etiam maneat, adnisam, edidisse ea numina : deorumque monitu sacratum nemus. Atque ipsum illic Apollinem, post interfectos Cyclopas, Jovis iram vitavisse. Mox Liberum patrem, bello victorem, supplicibus Amazonum, quæ aram insederant, ignovisse. Auctam hinc, concessu Herculis, cum Lydia potiretur, cærimoniam templo : neque Persarum ditione deminutum jus. Post Macedonas, dein nos servavisse. »

Dianam atq. Apoll. etc. Mirifice hæc illustrant numi ephesini, in quibus Apollo et Diana, item Cenchrius fluvius, Amazones duæ Ephesia et Smyrnæa jungentes dexteras, porro templa quatuor, Dianæ, Apollinis, Liberi, Herculis. V. Eckhel. vol. 2. p. 512. sq.

Locum Ortygiam. Scribendum, *Lucum.* Strabo l. c. p. 639. Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ παραλίᾳ μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης ἐστὶ καὶ ἡ Ὀρτυγία, διαπρεπὴς ἄλσος παντοδαπῆς ὕλης, κυπαρίττου δὲ τῆς πλείστης. Διαῤῥεῖ δὲ ὁ Κίγχριος ποταμὸς, οὗ φασι γήφασθαι τὴν Δητὼ μετὰ τὰς ὠδῖνας. Ἐνταῦθα γὰρ μυθεύουσι τὴν λοχείαν καὶ τὴν τροφὸν τὴν Ὀρτυγίαν, καὶ τὸ ἄδυτον, ἐν ᾧ ἡ λοχεία, καὶ τὴν πλησίον ἐλαίαν, ᾗ πρῶτον ἐπαναπαύσασθαί φασι τὴν Θεὸν ἀπολυθεῖσαν τῶν ὠδίνων. Quæ sola satis illustrant hunc totum græcanicæ fabulæ locum. Vide tamen, si lubet, Epigramm. græcum l. 4. *εἰς ναούς*, ubi Ephesum vocat Dianæ τὴν τροφόν. Lips. *Lucum* recepit Pichena, idque nos cum Gronoviis et Ryckio secuti sumus. Probat et Torrentius ad Sueton. Tib. 1. *Locus* et *lucus* etiam in aliis libris confunduntur. Ap. Livium 1, 8. pro : *inter duos lucos*, cod. Lips. habet *inter duos locos* etc. Pichena insuper volebat addi *et*, item mox *ibi* pro *ubi :* quod non necessarium puto. Ern. *Lucum* primus dederat Victorius in Var. Lect. 34, 9. Sic et Paschalius in margine.

Oleæ quæ tum. Paullo aliter Strabo, ut vidisti : qui vult post partum demum innisam oleæ quietis causa. Lips. Callim. H. in Del. 209. palmam pro olea laudat. Ceterum parturientem ei acclinatam tradit. V. ibi Spanhemius. De *tum etiam* supra dictum. Ern.

Adnisam. Est, se reclinantem, quod illustrat Heinsius ad Virgil. Æn. 4, 690 : non parientem, ut capit Vossius de Analog. 3, 31. notatus ab Heinsio l. c. Ern.

Supplicibus Amazonum. Aliquid de re Pausanias 4, 31. ubi de templo Dianæ Ephesiæ. Lips. Verbum porro *insidere* proprium de hac re. Gr. καθίζεσθαι ἐπὶ τῆς ἑστίας ap. Palæphatum 41. sive καθίζεσθαι simpliciter Demosth. de Coron. 31. Thucyd. 3, 28. ἐπὶ τοὺς βωμοὺς καθίζουσι. Ern.

LXII. Proximi Magnetes L. Scipionis et L. Sullæ constitutis nitebantur: quorum ille Antiocho, hic Mithridate pulsis, fidem atque virtutem Magnetum decoravere, uti « Dianæ Leucophrynæ perfugium inviolabile

16. *Proximo Magnetes.* Scribunt, *proximi*, ut respexerit noster ad superiora illa, *primi omnium Ephesii.* Ceterum castigandum *e proximo.* Absorpserat eam literam ultima vocabuli proxime præcedentis. Hist. 2, 64., *Et Triariæ licentiam molestum a proximo exemplum onerabat.* Seneca Epist. 121, *quia tutela certissima ex proximo est, sibi quisque commissus est. Vicinus e proximo* Plautus. Hoc autem vult, cum Ephesii præ vetustate fabulosa ac dubia creparent omnia, Magnetas certiore et e proximo, hoc est, quæ avorum memoria sibi contigissent, protulisse in medium: contra paullo post, *Altius Hierocæsarienses exposuere.* C. 63, *Ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti* etc. *Propiora Sardianos, Alexandri victoris id donum.* Possis et *e proximo* capere, pro proximis. Lib. 6, 35., *e propiori* restituimus. Contra *e longinquo* Frontinus 2, 2., *ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, eluderet.*

Proximo Magnetes etc. Freinsh. aliique volunt *proximi.* Sic mox: *Aphrodisienses posthac:* ut sane videatur verbum ordinis hic desiderari. cf. 2, 47. Sed Heinsius malebat, *e proximo:* h. e. repetitis juribus non e longinquo, ut Ephesii fecerant, sed e proximo. Sic c. 63. *propiora Sardianos* etc. cui contrarium, quod mox est: *altius Hierocæsarienses exposuere.* Lector eligat. Ern. Non dubitavi reponere *proximi.*

Decoravere. Freinsh. malebat: *decoraverint*, vel *decoravissent.* Frustra. Sic paullo ante c. 61, *Liberum patrem supplicibus Amazonum, quæ aram insederant, ignovisse;* et sic centies noster, ut jam alibi notavimus. Interdum tamen illo modo legitimo utitur, ut c. 63. *nam Smyrnæos etc.* itaque libri audiendi. Ern.

Dianæ Leucophryenæ. Scribe, *Leucophrynæ.* Ejus Deæ templum in Magnetibus descripsit Strabo l. 14. p. 647. Caussam cognominis ad feminam aliquam, quæ ibi condita, referre ex Arnobio possis l. 6. *In Didymæo Milesio Cleochum dicit habuisse suprema Leandrus: funeris Leucophrynæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse Myndius profitetur ac memorat Zeno.* Et Clemente in Protrept. c. 3. p. 29. Ἐνταῦθα τῆς Δευκοφρύνης τὸ μνημεῖον, οὐκ ἄξιον παρελθεῖν, ἱστορίους Ζήνωνι τῷ Μυνδίῳ, ἢ ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἐν Μαγνησίᾳ κειμένους. Vel ad Tenedon insulam, quæ olim appellata Leucophrys, ubi Dianæ sanctissimum templum. Xenophon Rerum Græcarum 3, 14. Τὸ δ' Ἑλληνικὸν στράτευμα ἐς Δευκοφρυνὰ ἀπῆλθε, ἵνα ἦν Ἀρτέμιδος ἱερὸν μάλα ἅγιον, καὶ λιμήν, ejusque exemplo et cognomine fortasse ædificatum in Magnetibus istud. Pausan. 1, 26. *Magnetes, quibus ex regis liberalitate imperavit Themistocles, Leucophrynen Dianam colunt.* At Appianus Ἐμφυλ. 5, 9. etiam alterum ejus Deæ fanum locat Mileti, cognomento pari. Τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς Ἀρσινόην, inquit, ἐκείνῃ οὖσαν ἐν Μιλήτῳ τῆς Λευκοφρύνης Ἀρτέμιδος, πίμφας ὁ Ἀντώνιος ἀνείλε. Et Pausanias aram Athenis, cui a Themistoclis filiis dicata statua

foret. » Aphrodisienses posthac et Stratonicenses dictatoris Cæsaris, ob vetusta in parteis merita, et recens D. Augusti decretum adtulere. Laudati, « quod Parthorum irruptionem, nihil mutata in populum romanum constantia, pertulissent. » Sed Aphrodisiensium civitas

Lips. *Leucophryene* quoque vitiose legebatur ap. Strabonem. Numus autonomus extat ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΛΕΥΚΟΦΡ ... et Hadriani ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. exhibet Dianam πολύμαστον stantem, adminiculis fultam, victoriis hinc et inde circa caput volitantibus. V. Eckhel. l. c. p. 525. sq.

Post hac. Acidalius *post hos*, Heinsius *post hæc*, vel *post has*, sc. civitates. Noster 6, 7. *Q. Servæus posthac et Minucius Thermus inducti*; ubi pariter Acidalius tentat *post hæc*, et Lipsius 12, 62. Permulta ad hanc rationem loca tentare liceret, ut ap. Sueton. Domit. 13. etc. Ern.

Recens D. Augusti decretum. Cæsaris decretum non extat: sed hoc ipso sæculo ex oriente allatum est decretum senatus rom. quo confirmantur concessa Aphrodisiensibus a Cæsare dictatore et triumviris, quod hoc ipsum esse videtur Chishullo, de quo hic sermo. Id edidit ille in Antiquit. Asiat. t. 1. p. 152: cum epistola Antonii triumviri, eodem pertinente. Hæc veneranda antiquitatis monumenta, quia liber Chishulli, his in primis in terris, rarissime reperitur, nos ad calcem hujus voluminis describi curavimus. Idem p. 155, edidit antiquissimum Stratonicensium decretum, pertinens ad cultum Jovis et Hecates, in quo mentio juris asyli e decreto Romanorum, his verbis: Τὴν πόλιν ἄνωθεν τῇ τῶν προεστώτων αὐτῆς μεγίστων Θεῶν (προνοίᾳ Χρυσαορέως Διὸς καὶ Ἑκάτης, ἐκ πολλῶν καὶ μεγάλων καὶ συνεχῶν κινδύνων σεσῶσθαι, ὧν καὶ τὰ ἱερὰ ἄσυλα, καὶ ἑκέται, καὶ ἱερὰ σύγκλητος, δόγματι Σε (βαστοῦ Καίσαρος καὶ) τῆς τῶν κυρίων Ῥωμαίων αἰωνίου ἀρχῆς, ἐποιήσαντο προφανεῖς ἐναργείας. Quæ uncis inclusa sunt, supplevit de conjectura Chishullus. Ern.

Laudati quod Parthorum. Parthorum irruptionem intelligit: quæ duce Labieno; de qua et de hac ipsa Stratonicea Dio 48, 26. Ὁ δὲ δὴ Λαβιῆνος ἐν τούτῳ τήν τε Κιλικίαν κατέσχε, καὶ τῆς Ἀσίας τὰς ἠπειρώτιδας πόλεις παρεστήσατο, πλὴν Στρατονικείας· τὰ μὲν πλεῖστα ἄνευ πολέμου, Μύλασα δὲ καὶ Ἀλάβανδα διὰ κινδύνων ἑλών. Lips. Recte Acidalius, immo Lipsius *laudantis*. Gron. Sc. Augusti. Sed in hac emendatione comma esse debet post *attulere*, ut Acidalius voluit. Ern.

Sed Aphrodisiensium civitas. Muretus *sed* delet. Acidalius: *pertulissent: seque Aphr. c. Veneris; St. Jo. et Triviæ religione tuebantur*. Perperam. *Tuebantur religionem*, ut supra, *flagitia hominum ut cærimonias Deum protegentis*. Gron. Urbs Cariæ intelligitur. Veneris cultum ipsum urbis nomen prodit. Conspirant numi. V. Eckhel. p. 576. — *Religione nitebantur*, ut c. 63, et 4, 55. conj. Wopkens.

Veneris, Stratonicensium Jovis et Triviæ religionem tuebantur. Altius Hierocæsarienses exposuere, « Persicam apud se Dianam, delubrum, rege Cyro, dicatum: » et memorabantur « Perpernæ, Isaurici, » multaque alia imperatorum nomina, qui non modo templo, sed duobus millibus passuum eandem sanctitatem tribuerant. Exin Cyprii tribus delubris, quorum vetustissimum Paphiæ Veneri auctor Ærias, post filius ejus, Amathus,

17. *Et Triviæ religionem tuebantur.* Si quid video, *religione se tuebantur.* Vidit ex parte Acidalius. Tum paullo ante opinor *post hæc*, non *hac*, vel *post has*, ut civitates subintelligas. Ann. 1, 39., *Illic aquilam amplexus religione sese tutabatur.* Notum illud Lucani 1, 127., *Magno se judice quisque tuetur.*

Stratonicensium. Stratonicea Cariæ urbs est, et templa duo in suburbano agro habet, *Jovis Chrysaoris*, *et Hecates* sive *Triviæ in Laginis.* Strabonem vide 14. p. 660. Notat et Pausanias 5, 21. *quod olim ea urbs et regio Chrysaoris dicta fuerit*, nimirum ab hoc templo. Lips. Jovis Chrysaoris cultum numus Pellerini in Mel. 1. p. 9. præ se fert. Triviæ honorem in aliis ara ignita inter duas tædas ardentes indicat. V. Eckhel p. 590. Ab Hecates cultu Stratoniceam Hecatesiam quoque vocatam, Stephanus testatur.

Hierocæsarienses. Oppidum est in Lydia. Lips.

Persicam Dianam. Atque ipsi Lydi illi *Persici* cognomen habent, velut inde oriundi. Pausanias notat 5, 27. *Sunt*, inquit, *Lydis, qui Persici cognominantur, templa in Hierocæsarea oppido, et Hypæpis. In utroque templo ædicula sive cella est cum aris: super his cinis; eoque ingressus sacerdos sive magus* (ad magicam enim Pausanias hoc miraculum refert) *tiara caput velatus, foco arida ligna imponit: et deum nescio quem barbarico sermone* (Persico, opinor) *invocans, ubi desiit, statim e lignis sponte purissima flamma emicat et adsurgit.* Id se vidisse Pausanias testatur: et non dubie hinc templo religio, et jus mox asyli. Lips. Succurrit et hic numus, in quo hinc caput Dianæ, adscripto ΠΕΡΓΙΚΗ, illinc ara ignita, miraculi index. V. Eckhel doctr. NN. vet. vol. 3. p. 103. et Spanh. ad Callim. in Dianam v. 37.

Rege Cyro dicatum. Freinsh. corrigit: *regi Cyro*, quod probat Ryckius. Sed potuit indicare voluisse, structum antiquissimis temporibus, regnante Cyro, qui Lydos vicit, et colonos eo misit. Parum interest. Ern. — *A rege Cyro* vel *rege Cyro*, i. e. tempore et cura regis Cyri. Wopk.

Paphiæ Veneri. Templum ejus in numo Drusi a Cypriis cuso, ap. Vaill. in NN. Col. Plura v. ad H. 2, 3.

Veneri Amathusiæ, et Jovi Salaminio Teucer, Telamonis patris ira profugus, posuissent.

LXIII. Auditæ aliarum quoque civitatum legationes. Quorum copia fessi patres, et quia studiis certabatur, consulibus permisere, « ut perspecto jure, et si qua iniquitas involveretur, rem integram rursum ad senatum referrent. » Consules super eas civitates, quas memoravi, « apud Pergamum Æsculapii compertum asylum, » retulerunt; « ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. Nam Smyrnæos oraculum Apollinis, cujus imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint; Tenios ejusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem ædemque jussi sint. Propiora Sardianos: Alexandri victoris id donum: neque minus Milesios Dario rege niti. Sed cultus Numinum utrisque, Dianam aut Apollinem venerandi.

Veneri Amathusiæ. De ea v. Holstenium ad Steph. de Urb. p. 29. Ern.

Jovi Salaminio. Cur in numis Cypriorum Salaminium Jovem agnoscere dubitet Eckhel l. c. vol. 3, p. 88. non video. Locus hic noster rei favet.

Quorum. Int. negotiorum, vel legatorum. Alioqui foret pronum corrigere *quarum*. Ern.

Æsculapii comp. as. De templo Æsculapii Pergameno v. Eckhel vol. 2, p. 68.

Nam Smyrnæos. V. ad 4, 56. Ern.

Stratonicidi Veneri. In decreto Smyrnæorum in Marmor. Oxon. p. 6. Seleucus Callinicus dicitur declarasse τὸ ἱερὸν τῆς Στρατονικίδος Ἀφροδίτης ἄσυλον εἶναι· quem locum huic Taciti illustrando prodesse bene monet Spanhem. Diss. 9, 5. V. et Wesseling. Probab. 333. Ern. Eandem cum Urania Venere putat esse Stratonicidem Patinus in Comm. in Mon. Ulpiæ Marcellinæ ap. Polen. in Thes. t. 2, p. 1124. Ita dictam in honorem Stratonices, aviæ Seleuci II Callin. qui id asylum sanciverit, Broterus conjectat.

Tenios ejusdem carmen. Insula Teni, quæ inter Cycladas, cultores. De hac re, Strabo l. 10. p. 487. *Tenus insula oppidum habet non magnum, sed extra illud in hoc Neptuni templum, dignum sane, quod spectetur*: et de magno ibi conventu addit. Lips. *Carmen* est oraculum, ut sæpe apud alios. Ern. In NN. quoque Teniorum Neptunus vel ejus attributa.

Dario rege uti. Scribo, *niti*. Lips. Recepit Pichena cum sequentibus editoribus. Ern.

Dianam aut Apollinem. Sardiani Dianam cognomento Coloënen, cujus templum μεγάλην ἀγιστείαν ἴσχει, ait Strabo l. 13. p. 626. Milesii Apol-

Petere et Cretenses simulacro D. Augusti. » Factaque senatus consulta, quis, multo cum honore, modus tamen præscribebatur, jussique « ipsis in templis figere æra, sacrandam ad memoriam, neu specie religionis in ambitionem delaberentur. »

LXIV. Sub idem tempus Juliæ Augustæ valetudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus : sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sive occultis odiis. Neque enim multo ante, cum, haud procul theatro Marcelli, effigiem D. Augusto Julia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat; idque illo credebatur, ut inferius majestate principis, gravi et dis-

linem venerabantur, cognomento Didymæum. De quo idem Strabo l. 14. p. 634. et Suet. Calig. cap. 21. Lips. Ceterum et hic *venerandi* pro infinitivo : utrisque esse cultus numinum hos, ut D. et A. maxime venerarentur ac colerent. Ern. ΔΙΑΤΜΕΤΣ ΜΙΑΗΣΙΩΝ in NN. Caligulæ et Claudii spectatur. V. Eckhel. vol. 2, p. 531. Colonæ Diana non occurrit.

Petere. Sic Bernegg. recte. In Lipsianis legebatur *petiere*. Paschalius *petere* in textu habet.

Modus tamen præscribebatur. Non satis considerate ergo elapsum hoc Tranquillo Tib. 37. *Abolevit et jus moremque asylorum, quæ usquam erant*. Dumtaxat moderatus est et temperavit. Lips. At vide, quæ ad illum locum diximus in Excursu, probata nuper Oudendorpio ad Suet. Ern.

Facere æra. Curtius Pichena in scripto esse ait, *fieri æra* : atque ita *figere*, pulcherrime emendat. Voluit nempe senatus in ære sculpi et proponi hæc decreta, et has suas modificationes. Lips.

Marcelli effigiem D. Augusto. Nota morem, haud etiam notum, statuas effigiesque dedicandi certis diis : cujus vestigium in hoc lapide vetusto (ap. Grut. p. 227, 3.) P. VERIDIVS. P. F. POLLIO. CAESAREVM. IMP. CÆSARI. AVG. ET. COLONIAI. BENNVENTANAI. Pollio enim ibi non aliud quam effigiem Cæsaris imp. dedicat consecratque Augusto et coloniæ suæ. Et clarius in Strabone 14. p. 657. Ἦν δὲ καὶ ἡ Ἀναδυομένη Ἀφροδίτη, ἣ νῦν ἀνάκειται τῷ Θεῷ Καίσαρι ἐν Ῥώμῃ, τοῦ Σεβαστοῦ ἀναθέντος τῷ πατρὶ τὴν ἀρχηγέτιν τοῦ γένους αὐτοῦ. Etiam Dionysius Antiq. 2, 54. scribit, *Romulum ex manubiis Vulcano dedicasse quadrigas aureas, simulque suam effigiem*. Hunc morem in Græcia quoque fuisse, Diogenes mihi præit in vita Platonis 3, 20. ubi ait, Mithridatem quandam Platonis statuam in Academia dedicasse, cum inscriptione ista : Μιθριδάτης ὁ Ῥοδοβάτου Πέρσης Μούσαις εἰκόνα ἀνέθετο Πλάτωνος, ἣν Σιλανίων ἐποίησε. Lips. Sed bene vidit Freinsh. post *Marcelli* interpungendam esse. Ern.

simulata offensione abdidisse. Sed tum « supplicia diis, ludique magni » ab senatu decernuntur, « quos pontifices et augures et quindecimviri, septemviris simul et sodalibus augustalibus, ederent. » Censuerat L. Apronius, « ut feciales quoque iis ludis præsiderent. » Contradixit Cæsar, distincto sacerdotiorum jure, et repetitis exemplis : « neque enim unquam fecialibus hoc majestatis fuisse. Ideo augustales adjectos, quia proprium ejus domus sacerdotium esset, pro qua vota persolverentur. »

LXV. Exsequi sententias haud institui, nisi insignes, per honestum, aut notabili dedecore : quod præcipuum

Gravi.... abdidisse. Quoties ad h. l. venio, sollicitor ad credendum, Tacitum scripsisse : *accepisse*. Nam, præterquam quod contextus et forma orationis hoc verbum desiderat : id ipsum, quod exprimitur verbo *abdidisse*, jam est in *dissimulata* : ne quis credat vim orationis imminui. Ern. Cave, mutes. Τὸ *abdidisse* vim habet non modo occultandi, sed alta mente reponendi.

Supplicia. Sallustianum verbum pro supplicationibus, Catil. 9. et alibi. Ern. Sed sic jam Plautus, Livius, alii.

Ludique magni. Ludi magni, iidem cum Romanis. Quia autem ludi plerique sacri diis, et instituti ad eos placandos, visum est, ut cura eorum editioque sacerdotibus esset. Non omnibus tamen : sed collegiis sacerdotum quatuor, quæ ista : Pontifices, Augures, Septemviri epulones, Quindecimviri. Dio 53, 1. de ludis actiacis Agrippæ : Καὶ αὕτη μὲν (scilicet ἡ πανήγυρις ἡ ἐπὶ τῇ νίκῃ τῇ πρὸς τῷ Ἀκτίῳ) διὰ πέντε ἀεὶ ἐτῶν, μέχρι οὗ ἐγίγνετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις ἐκ περιτροπῆς μέλουσα· λέγω δὲ τοὺς ποντίφικας, καὶ τοὺς οἰωνιστὰς, τοὺς τε ἑπτὰ καὶ τοὺς πεντεκαίδεκα ἄνδρας καλουμένους. Idem 58, 12. de iis, quæ decreta post mortem Sejani. Ἐψηφίσαντο δὲ ἑορτὴν διὰ τε τῶν ἀρχόντων καὶ διὰ τῶν ἱερέων ἁπάντων (ὃ μὴ πώποτε ἐγεγόνει) ἀχθῆναι, καὶ τὴν ἡμέραν, ἐν ᾗ ἐτελεύτησε, καὶ ἵππων ἀγῶσι καὶ θηρίων σφαγαῖς ἐτησίοις, διά τε τῶν ἐς τὰς τέσσαρας ἱερωσύνας τελούντων, καὶ διὰ τῶν τοῦ Αὐγούστου θιασωτῶν ἀγγέλλεσθαι (ἀγάλλεσθαι) ὃ οὐδέποτε ἐπιπολάτη. Quibus verbis interpretis errorem esse scio : qui vertit, *per quatuor collegia pontificum*; imperite, cum debuisset *sacerdotum*. Pontificum sane collegium unum est. Quod dicit autem Dio, non antea pronuntiatos ludos curatosque per quatuor collegia et Augustales : id si sensit, errat, et refellit hominem clare hic, qui in manu, Taciti locus. Ceterum ad curationem sacerdotalem pertinet Cornelii et ille locus 11, 11. *Iisque ludis intentius adfui, sacerdotio quindecimvirali præditus, ac tum prætor; quod non jactantia refero, sed quia collegio Quindecimvirum antiquitus ea cura.* Lips.

munus annalium reor, ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit. Ceterum tempora illa adeo infecta, et adulatione sordida fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo sua obsequiis protegenda erat, sed omnes consulares, magna pars eorum, qui prætura functi, multique etiam pedarii senatores certatim exsurgerent, fœdaque et nimia censerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quotiens curia egrederetur, græcis verbis in hunc modum eloqui solitum, « o homines ad servitutem paratos! » scilicet, etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tædebat.

LXVI. Paullatim dehinc, ab indecoris ad infesta transgrediebantur. C. Silanum, proconsulem Asiæ, repetundarum a sociis postulatum, Mamercus Scaurus e consularibus, Junius Otho prætor, Brutidius Niger ædilis, simul corripiunt, objectantque « violatum Augusti numen, spretam Tiberii majestatem : » Mamercus, antiqua exempla jaciens, « L. Cottam a Scipione Africano, Ser. Galbam a Catone censorio, P. Rutilium

Pravis dictis factisque. Vide supra ad c. 40. Ern.

Ex posteritate et infamia. I. e. infamia apud posteros. *Posteritas* pro memoria. H. 2, 53. Wopk.

Claritudo s. o. protegenda. Qui motu periculi e claritudine sua imminentis (etenim clarissimos quosque Tiberius, quia metuebat, oderat, ut pluribus locis tradit noster) cogebantur se demittere, et humiliter obsequendo vitare periculum. Ern.

C. Silanum. Ryckius non dubitat esse eum, qui cons. a. 763. cum P. Dolabella fuit; quod secus videbatur Ruperto, qui consulem fuisse dubitabat ex eo, quod c. 69. tantum senatorii ordinis mentio. Id argumentum si valet, nec prætorium fuisse dicemus. Loquitur ibi in senatu: vult misericordiam commovere ex eo, quod sui ordinis fuerit. In quo parum referebat, utrum consularis, an prætorius, pedariusve esset. Ern.

Jaciens. Int. instituti sui, accusationis susceptæ defendendæ caussa. Ern.

L. Cottam. Cicero Div. in Verrem 21. ibique Asconius: et Valerius 8, 1. Lips.

Ser. Galbam. De Galba ibidem

a M. Scauro accusatos. » Videlicet Scipio et Cato talia ulciscebantur, aut ille Scaurus, quem proavum suum, opprobrium majorum Mamercus infami opera dehonestabat. Junio Othoni, literarium ludum exercere, vetus ars fuit : mox Sejani potentia senator, obscura initia impudentibus ausis propellebat. Brutidium artibus ho-

18. *Obscura initia impudentibus ausis propellebat.* Magnus conjecturarum acervus huic loco datur ab hominibus eruditis : non inconcinne illi, qui *propalabat* legunt, sed eo verbo Tacitus alibi non est usus, et Turnebus in Advers. non satis latinum censet. Casaubonus invenit in MSS. ad Suetonium. (Vide et Barm. ad Calig. 31.) Contra *velare dedecus natalium*, Ann. 11, 21; et Sueton. Aug. 43, *clarae stirpis originem sic innotescere.* Nic. Faber ad 3, p. 110 controv. Senecæ legit, *propolluebat*, vel potius *perpolluebat.* Omnino scribendum *præpollebat*, quod alibi *præcellere* dixit. Ita opinor Ann. 2, 43., *Agrippina Germanici conjux fecunditate ac fama Liviam uxorem Drusi præcellebat.* Hoc vult, plus auctoritatis in senatu consecutum ausis impudentibus, quam obscuris ejus natalibus debebatur. Ann. 4, 21., *Cassius Severus, sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus.* 6, 2., *Toganius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deridiculum auditus.* Accusativum casum sæpe Tacitus similibus verbis dat : ut *præminere malos* 15, 34 : ubi vide omnino Pichenam. 12, 12., *ea tempestate Cassius ceteros præminebat peritia legum*, quem locum temere Lipsius immutavit. Et c. 33, *ut ceteros imperatores præmineret. Præsidere* cum quarto casu noster nonnunquam. Vide Pichen. ad 12, 14. *Præfestinans Thermæum sinum.* 5, 10. *Campaniam prælegebat.* 6, 1. pro legebat oram Campaniæ. *Præstare* passim historici. *Campo, qui castra præjacet*, 12, 36. Ex MSS. *præpollere* absolute, 2, 45., *quibus additis præpollebat.*

Cicero c. 20. et Valerius : de Rutilio Livius Epit. 70. Cicero in Bruto 30. et Oratore, 2, 69. Orosius 5, 17. Lips.

Opprobrium majorum. Sallustianum est. Lips.

Junio Othoni. Declamator fuit eo ævo notus. Seneca pater et ipsum et genus ejus dicendi describit, non sine nota Controv. 9. Ait, illum usum tecto genere dicendi et suspicioso, ubi minime opus, et cum aperte liceret agere. *Bene*, inquit, *de hoc vitio illius Scaurus aiebat, illum acta in aurem tegere.* Acumen joci reddo, scriboque *legere.* Acta publica sunt, nec aliud tam vulgo promptum notumque; adeo ut proverbii loco Seneca filius alibi dixerit, *Beneficia in acta non mitto*, id est, non publico, non divulgo. Quid autem magis ridiculum, quam acta publica alicui recitare in aurem? Subtilis ergo in id vitium hominis jocus : quem belle æmulatus est Martialis 1, 90. *Garris in aurem semper omnibus Cinna, Garris et illud, teste quod licet turba.... Adeone penitus sedit hic tibi morbus, Ut sæpe in aurem Cinna Cæsarem laudes?* Nec enim dubito, quin oculos habuerit ad breve illud Scauri acutumque dictum. Lips. Scripsit *Colorum* libros, Seneca auctore 1. c. Quid sit *color* v. Quintil. 4, 2, 88. Adde Juvenal. 6, 280.

Propolluebat. Nic. Faber *perpol-*

nestis copiosum, et, si rectum iter pergeret, ad clarissima quæque iturum, festinatio exstimulabat, dum æqualis, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parat: quod multos, etiam bonos, pessum dedit, qui, spretis, quæ tarda cum securitate, præmatura, vel cum exitio, properant.

LXVII. Auxere numerum accusatorum Gellius Poplicola et M. Paconius: ille quæstor Silani, hic legatus. Nec dubium habebatur, sævitiæ captarumque pecuniarum teneri reum: sed multa adgerebantur etiam insontibus periculosa; cum, super tot senatores adversos, facundissimis totius Asiæ, eoque ad accusandum delectis, responderet solus, et orandi nescius, proprio in metu, qui exercitam quoque eloquentiam debilitat: non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu, eo quod

luebat. Groslotius noster *propellebat:* bono pariter et prompto sensu. Lips. Pichena *Prætor polluebat,* idque tanquam certissimum recepit in textum. Acidalius *protollebat:* alii *propalabat:* vel *porro polluebat,* quod in paraphrasi sequitur Freinsh. Heinsius *præpollebat,* quod non patiuntur obscura initia. Jac. Gronovius *provolvebat.* J. F. Gronovius recepit *propellebat,* servavitque Ryckius. Idque ceteris certe conjecturis melius puto. Probat etiam Burm. ad Suet. Calig. 30. Vulgatum defendi posset e 6, 25. ubi *provixisse* pro *porro vixisse.* Ern. Hiller. Racem. 6. conjicit *protegebat,* ex gemello Velleii loco 2, 100. *Singularem nequitiam supercilio truci protegens.* Obstat, quod vox nimium a vulgata lectione aberrat. Eo sensu *obtegere* habet Cic. in Vatin. 5. — * Cf. et Vell. 2, 76

Brutidium artibus honestis. Vera laus. Non solum enim inter oratores rhetoresque locum habuit, recensente Seneca non semel: sed etiam historiam scripsit, ut ex fragmentis apparet, cum laude. Pete ea a Seneca patre, in Suasoria de morte Ciceronis. Puto eumdem esse, quem signavit Juvenalis 10, 82. ....*pallidulus mi Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.* Lips.

Iter pergeret. Sic et 15, 27. H. 3, 69. Cf. Burm. ad Val. Flaccum 4, 690.

Anteire parat. Ita scite emendavit Rhenanus ad 13, 30. prius legebatur *antereparat.*

M. Paconius. Quem postilla reum majestatis Tiberius interfecit, admonitu scurræ cujusdam. Suet. Tib. 61. Lips.

Voce, vultu, eo quod. Lipsius *et quod.* Acidalius *premeret voce, vultu:*

ipse creberrime interrogabat: neque refellere, aut eludere dabatur: ac sæpe etiam confitendum erat, ne frustra quæsivisset. Servos quoque Silani, ut tormentis interrogarentur, actor publicus mancipio acceperat: et, ne quis necessariorum juvaret periclitantem, majestatis crimina subdebantur, vinclum et necessitas silendi. Igitur, petito paucorum dierum interjectu, defensionem sui deseruit, ansis ad Cæsarem codicillis, quibus invidiam et preces miscuerat.

LXVIII. Tiberius, quæ in Silanum parabat, quo excusatius sub exemplo acciperentur, libellos D. Augusti de Voleso Messalla, ejusdem Asiæ proconsule, factumque in eum senatus consultum recitari jubet. Tum L. Pisonem sententiam rogat. Ille, multum de « clemen-

eoque quod ipse creberrime interrogabat. Non arbitror necessariam copulam: nam explicat *voce premere.* Ern.

Neque.... dabatur. Timore, ut opinor, ne refellendo et eludendo augeret iram. Ern.

Interrogarentur. Sic emendavit Paschalius.

Ausis. Faernus *missis*, nempe quia *ausus* passive nusquam dicitur. Lenius Ryckius *ausus codicillos. missis* quare in *ausis* mutarent librarii, nulla ratio esse potuit. Idem videbatur Heinsio l. c. et Groslotio (quamquam idem etiam *missis*, *ausis*) idque verum puto. Ern. *Missis* friget. Groslotius non *ausis* sed *orsis* conjectabat. Ast et verbum ipsum *audere* et ejus participia passive sumta occurrunt. Liv. 39, 8. *pleraque per vim audebantur.* ib. c. 55. *ad talia audenda.* Cf. et Nepos 1, 4. Velleius 2, 56. et 80. Ovid. Met. 2, 328. *magnis excidit ausis.* 11, 242. *potiri ausa.* Noster 13, 47. *nullius ausi capax.* Quidni ergo potuit hoc participio et adjective uti? Mecum sentit Hillerus. — *Audere codicillos* sensu praegnante est audere mittere, ut plenius 6, 30. Wopk.

Invidiam. Virulentam odii publici concitationem. Sic et 1, 21. 2, 37.

Voleso Messalla. Cujus servitio clarum exemplum in Seneca de ira 2, 5. ubi item vocat eum Asiæ proconsulem sub Augusto. *Volesus nuper sub D. Augusto proconsul Asiæ, cum trecentos una die securi, percussisset, incedens inter cadaver vultu superbo, quasi magnificum quiddam conspiciendumque fecisset, grece proclamavit, O rem regiam! Quis hoc rex fecisset? non fuit hæc ira, sed majus malum et insanabile.* Nec plura super eo mihi comperta. Lips. Lapides vulgo *Volesus*; in fragm. Capitol. *Volusus.*

tia principis » præfatus, « aqua atque igni Silano interdicendum, » censuit, « ipsumque in insulam Gyarum relegandum. » Eadem ceteri, nisi quod Cn. Lentulus, « separanda Silani materna bona (quippe alia parente geniti) reddendaque filio » dixit, adnuente Tiberio. At Cornelius Dolabella, dum adulationem longius sequi-

Materna bona.... alia parente geniti. Certe hæc implexa. Pichena interpretatur, Silano fuisse matrem et novercam. Materna autem bona intellegi, vera matris, quæ separanda a novercæ, ac filio danda, ut aviæ paternæ. Ego causæ nihil video, cur bona matris non fuerint Silani hic rei: et simul igitur cum paternis, pari jure, confiscanda. Mihi semper aliquid occulti vulneris in hac scriptura visum, et sententiam affirmare pene audeam, etsi vix scripturam. Sed hæc quoque fortasse fuerit: *quippe tali parente geniti*: vel, *quippe illa parente*, per admirationem. Enimvero Lentulus separari materna bona per honorem voluit, et respectu illius parentis: quæ ex Augusti sanguine scilicet esset. Hoc in Silania verum est: et Tacitus noster 13, 1. *Silanum abnepotem D. Augusti* facit. et Plinius 7, 11. *D. Augustus neptis suæ nepotem genitum vidit, quo excessit anno.* Stemma tamen seriatim hoc texere difficile sit. Quod si in lectione nihil mutas, tum ego interpretari capiar, duas matres Silano huic reo fuisse, veram et novercam. Noverca autem bona maxima ex parte Silano reliquerat, in gratiam mariti; vel obsequiis, ut fit, privigni capta. Nunc censet Lentulus separanda ea bona, quippe cum *non ea parente genitus esset*: sed adventicia illa, et ex indulgentia data, filio item indulgenda. Hæc dixerim, nec mihi firma aut proba, ut præmisi. Scripsit ad me ex Hispania vir doctus, in veteri libro se legisse: *quippe alta parente*, quod ad nostrum illum sensum faciat, sed mallem aliud verbi. Lips. Lipsianæ emendationi similis est freinshemiana, *quippe Julia parente geniti*. Sed illa melior; quod in hac vox *parente* friget: præterquam, quod merito dubitatur de Julia, an Silani parens fuerit. 4, 44. *Antonia, Octavia genita*, et sic centies. Sed tamen 13, 12. *Senecio, liberto Cæsaris patre genitus*. et c. 45. *Ollio patre genita*. Duriores nec æque probabiles sententiæ, primum Grotii, qui *Manlia* sive *Mallia*, dein Reinesii Epist. 50. qui *Cornelia* volebat. Nam et idem vitium est, quod in freinshemiana, et si matris cujuscunque, si modo nobilis, ista vis est, cur non et in aliis illa ratione utuntur senatores. Idemque dicendum de Heinsii conjectura: *Ælia*, vel Julia, ut Sejano hoc daretur. Ern. Ingeniose Hillerus Racem. 4. *Dia* legit, unde in *alia* pronus lapsus. Simile quid v. ad 39. Supponit autem cum Freinsh. Juliam ipsi matrem fuisse, quæ in deos relata.

Cornelius Dolabella. Præter ceteros adulator: qui supra censuit, ut Tiberius ovans urbem iniret. Cujus mentio in prisco lapide conjunctim

tur, increpitis C. Silani moribus, addidit, « ne quis vita probrosus et opertus infamia, provinciam sortiretur : idque princeps dijudicaret. Nam a legibus delicta puniri : quanto fore mitius in ipsos, melius in socios, provideri, ne peccaretur? »

LXIX. Adversum quæ disseruit Cæsar : « non quidem sibi ignara, quæ de Silano vulgabantur : sed non ex rumore statuendum, multos in provinciis, contra quam spes aut metus de illis fuerit, egisse. Excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum; hebescere alios : neque posse principem sua scientia cuncta complecti : neque expedire, ut ambitione aliena trahatur. Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint. Sic a majoribus institutum, ut, si anteissent delicta, pœnæ sequerentur. Ne verterent sapienter reperta et semper placita. Satis onerum principibus, satis etiam potentiæ. Minui jura, quotiens gliscat potestas : nec utendum imperio, ubi legibus agi possit. » Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto lætioribus animis accepta. Atque ille prudens moderandi, si propria ira non impelleretur, addidit, « insulam Gyarum immitem et sine cultu hominum esse : darent Juniæ familiæ, et viro quondam ordinis ejusdem, ut Cytheram potius concederet. Id so-

eum hoc C. Silano (ap. Grater. p. 376.) P. CORNELIVS. P. F. DOLABELLA. C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL. COSS. EX. S. C. FACIVNDVM. CVRAVERVNT. IDEM. QUE. PROBAVERVNT. LIPS.

Vulgabantur. Valde inclino eo, ut *vulgarentur* scribendum putem. Sed scio talia etiam aliis locis reperiri. Itaque non ausus sum mutare. Sic 4, 10. his indicativus pro conjunctivo in tali oratione : *iniret, struxerat.* ERN.

Minutura, quoties. Ne deliberare quidem quemquam puto, quin conjectura nostra vera sit, *Minui jura, quoties glis. pot.* præclara et ex ea rerum gnome. LIPS.

Ut. Cyth. Ut ex MS. adjecit Pichena.

Cytheram potius. In MS. *Cythonum* (immo Cythenum, Groneviu

rorem quoque Silani, Torquatam, priscæ sanctimoniæ virginem, expetere. » In hanc sententiam facta discessio.

LXX. Post auditi Cyrenenses, et, accusante Anchario Prisco, Cæsius Cordus repetundarum damnatur. L. Ennium, equitem romanum, majestatis postulatum, « quod effigiem principis promiscuum ad usum argenti vertisset, » recipi Cæsar inter reos vetuit; palam adspernante Ateio Capitone, quasi per libertatem. « Non enim debere eripi patribus vim statuendi: neque tantum maleficium impune habendum: sane lentus in suo dolore esset; reip. injurias ne largiretur. » Intellexit hæc

auctore). Putes *Cythnum* fuisse, quæ insula est juxta Atticam, sub Euboea, nostro alibi, Ptolemæo item et Plinio, nominata. Lips.

Torquatam. Cujus memoriam servat marmor Romæ (ap. Grut. p. 310.) IVNIÆ. C. SILANI. F. TORQVATÆ. VIR. VEST. MAXIMÆ. IVVENIO. L. Itemque alterum in hortis Vaticani mihi lectum (ib. p. 25.) IVNONI. IVNIÆ. C. SILANI. F. TORQVATÆ. SACERDOTI. VESTALI. ANNIS. LXIIII. CÆLESTI. PATRONÆ. ACTIVS. L. Lips. Adde Sponii Miscell. er. ant. p. 150. Ern. De Torquata disputantes v. Rupertum et Reinesium Ep. 48 et 50.

In hanc sententiam facta discessio. Quomodo discessio facta? Immo videntur omnes hoc probasse, nec dignum Cæsare, per discessionem experiri, Cæsaris an alius sententia sequenda. Nempe in unam Cæsaris sententiam discessio facta: eam cum consul repetiisset et pronuntiasset, jussit discedere in partes, ut appareret, hanc sententiam probare senatores. Atque ita omnes ad Cæsaris partes, subsellium, accessere. Nam, auctore Varrone, per discessionem fit SC. cum consentitur, ap. Gellium 14, 7. Ern.

Post auditi Cyrenenses. Fluctuavi in hoc loco; supra enim scriptum eadem de re c. 38. *Ancharius Priscus Cæsium Cordum proconsulem Cretæ postulaverat repetundis*. Mirum videbatur, agere Cyrenenses in illum, qui alienæ provinciæ rector: et inclinabam ut substituerem, *Cretenses*. Dispulit hanc caliginem Strabo, apud quem libro ultimo in divisione provinciarum lego, Cretam cum Cyrenaica ejusdem proconsulis fuisse. Ab hac mente Suet. Vespas. 2., *Quæstor Cretam et Cyrenas provinciam sorte cepit*. Ubi male quidam libri, *provincias*. Lips.

Lentus in dolore. Patiens, non ulciscendi cupidus. Cicero Or. 2, 45, *lente ferre*, opponit τῷ irasci. Liv. 22, 14. *tendentem ad mœnia Hannibalem lenti spectamus*. Ubi v. Drakenb. item late de hac voce ejusque variis et contrariis significationibus agentem Vossium ad Catull. p. 213. Ern.

Reip. injurias ne largiretur. Ne condamnaret injurias reip. illatas,

Tiberius, ut erant magis, quam ut dicebantur : pertititque intercedere. Capito insignitior infamia fuit, quod, humani divinique juris sciens, egregium publicum et bonas domi artes dehonestavisset.

LXXI. Incessit dein religio, quonam in templo locandum foret donum, quod pro valetudine Augustæ equites romani voverant « equestri Fortunæ. » Nam etsi

Alias ista forma significat condonare alicui injurias reip. caussa : quod ab h. l alienum est. Ean.

Capito insignitior infamia fuit. Sic ex MS. restituit Pichena. Ante erat *insignior*. Heinsius insuper vult vel *Capitoni* vel *infamiæ*, ubique scilicet infercions illum genitivum : quod non convenire, jam aliquoties diximus. Ean.

Egregium publicum. Ita dictum, ut vulgo bonum publicum, et Livio 2, 1. *pessimum publicum.* Rhenanum risi scribentem : *Obscurus locus est* (censeo, Delphos mittamus ad consulendum) *aut certe mendosus : qui forsan sic legi debeat, se, remp. et bonas domi artes.* Lips. Paschalius emendare parabat : *ingenium publice.* Non opus est.

Equestri Fortunæ. Valde me permulcet illa *Fortuna sequestris* : sed et inventor (Gruterus) et approbator (Pichena) tam belli cognominis, explicando ejus tædium faciunt. *Sequester* meo judicio non a *sequor*, quod Gellio creditum, sed a *secus* quasi *secuster*, ut a *magis magister*, a *minus minister*, dictus, quoniam intervenit dissidentibus ipse neutrarum partium, semotus ab utroque, et liber a caussis eorum, aliusque atque certantes. Duas autem personas significat : vel arbitri, medii, interpretis, quam notionem illi duriter captant ; vel custodis, penes quem res controversa deponitur, l. 110. D. de V. S. Plautus Mercat. 4, 3, 36. *Immo sic sequestro mihi data est.* Rudente 4, 3, 78. *nisi pars datur, Aut ad arbitrum reditur, aut sequestro ponitur.* Cato apud Gellium 20, 11. *Per deos immortales, nolite vos sequestro ponere:* hoc est, nolite custodiam vestri committere cuiquam præter vosmetipsos : nolite vos, cum liberi sitis, fiduciarios reddere, et cuiquam in potestatem dare. Paulus l. 6. D. Depositi : *Proprie autem in sequestre est depositum, quod a pluribus in solidum certa conditione custodiendum reddendumque traditur.* Unde observant, *sequestre* genus esse depositi. At ego Pauli verba corrupta esse censeo, neque unquam Latinis dictum aliquid *est sequestre* aut *in sequestre.* Scribe : *Proprie autem sequestro est positum, quod a pluribus* etc. Idem spectavit Tertull. de Resurr. 51. *Hic sequester Dei atque hominum appellatus ex utriusque partis deposito commisso sibi.* Et c. 63. *In deposito* (caro) *est apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei et hominum, Jesum Christum.* Et de patientia 15. *Adeo satis idoneus patientiæ sequester est Deus : ni injuriam deponeret penes eum, ultor est.* Hanc quoque

delubra ejus deæ multa in urbe, nullum tamen tali cognomento erat. Repertum est, ædem esse apud Antium, quæ sic nuncuparetur, « cunctasque cærimonias italicis in oppidis, templaque et numinum effigies, juris atque imperii romani esse. » Ita donum apud Antium statuitur. Et, quando de religionibus tractabatur, dilatum nuper responsum adversus Servium Maluginensem, flaminem Dialem, prompsit Cæsar, recitavitque decretum pontificum : « quotiens valetudo adversa flaminem Dialem incessisset, ut, pontificis maximi arbitrio,

vim hujus vocabuli considerarunt, qui *Fortunæ sequestri* pro Augustæ valetudine donum voverunt, nempe, ut ejus salutem apud Fortunam deponerent, et huic illam custodiendam mandarent. Quod etiam votum, postquam eam dea sartam tectam habuisse visa, solverunt. Ut Domitianus in Capitolii oppugnatione ex incendio *Jovi custodi* servatus. Gron. De hac voce videre etiam Heinsium ad Ovid. Fast. 1, 287. jubet Jac. Gronovius. De re adde not. seq. Ern.

Nullum tali cognomento erat. Mirum vero. Nam et Livius 40, 40. et Valerius 1, 1, 20. auctores sunt, Q. Fulvium Romæ dedicasse ædem Fortunæ equestri. Nominat et Julius Obsequens 113. *C. Claudio*, inquit, *M. Perpenna Coss. bubo, in æde Fortunæ equestris comprehensus, inter manus exspiravit.* Incendio consumptam suspicemur : nisi obstaret P. Victor, qui eam collocat in regione IX urbis suo etiam ævo : fatebor ingenue ; aliud, quod pro Tacito dicam, non habeo. Lips. Huic dubitationi obviam ire voluere, qui *Sequestri Fortunæ* legi voluere. Quod ut argutius, ita lipsianum simplicius ac mollius : idemque placet Nardino de Vet. U. R. 6, 3. Freinshemio, Phil. a Turre in mon. vet. Antii c. 1. Equestrem ordinem Fortunæ equestri vota fecisse pro Livia, nihil mirum, et studio assentandi mirifice convenit, quod minus apparet in Fortuna sequestri. Illud etiam contra dici potest (quod alias viri docti libenter usurpant, velut Gronovius in dea Modestia, quam sibi videntur quidam 4, 7. reperisse, in Obs. 3, 10.) *Fortunæ sequestris* nullam ap. veteres mentionem esse. Neque vero quæritur, quo nomine appellari potuerit, sed quo appellata fuerit, aut appellari in tali re ab tali ordine sueverit. Inscriptio, in qua *Fortuna equestris*, est apud Grut. p. 75, n. 4. Alia ap. Murat. t. 1., p. 81, n. 5. Ern. Gruteri *sequestrem* præferunt Ryckius, Lallemand etc. Verum sic nova fingere pro lubitu non licet. Videtur Broterio templum Fortunæ equestris, quod in reg. 9. fuerat ; postea in reg. 7. esse structum. Habet quippe P. Victor in hac regione *templum novum Fortunæ*.

plusquam binoctium abesset : dum ne diebus publici sacrificii, neu sæpius quam bis eundem in annum.» Quæ, principe Augusto constituta, satis ostendebant, annuam absentiam, et provinciarum administrationem Dialibus non concedi : memorabaturque L. Metelli, pontificis maximi, exemplum, qui Aulum Postumium, flaminem, adtinuisset. Ita sors Asiæ in eum, qui consularium Maluginensi proximus erat, collata.

LXXII. Iisdem diebus Lepidus ab senatu petivit, « ut basilicam Pauli, Æmilia monimenta, propria pecunia firmaret ornaretque. » Erat etiam tum in more publica munificentia : nec Augustus arcuerat Taurum, Philip-

Plusquam binoctium. Ita in MS. Mediceo, ablegatis aliis vocibus, placetque. Licere flamini abesse, sed consulto et consciscente pontifice, etiam plusquam binoctium : sed dumtaxat in adversa valetudine, et cum exceptionibus quæ sequuntur. Vulgata tamen lectio erat, *dum ne plusquam :* sed novitia cum sit, quis moretur ? Lips. In mendo cubare vulgatam suboluerat et Paschalio.

L. Metelli Pontif. Auctorum loca adduxi ad c. 58. Lips.

Æmilia monimenta. Bene Æmilia monumenta. Non enim unius Æmilii opus. Æmilius Paullus, qui postea cum C. Marcello consul, duas basilicas, veterem refecit, novam locavit. Auctor Cicero ad Att. 4, 16. Novam interventu bellorum civilium non perfecit ipse (ut allucinari video virum inter antiquarios primum), perfecit sub Augusto Paullus Æmilius , qui consul a. 720. et postea censor. Dio 49, 41. Καὶ τὴν στοὰν τὴν Παύλου καλουμένην Αἰμίλιος Λέπιδος Παῦλος ἰδίοις τέλεσιν ἐξῳκοδόμησε, κἀν τῇ ὑπατείᾳ καθιέρωσεν. Eam incendio consumptam refecit 20 annis post alius Æmilius, ut narrat idem Dio 54, 25. Ἡ μὲν οὖν στοὰ μετὰ τοῦτο, ὀνόματι μὲν ὑπ' Αἰμιλίου, ἐς ὃν τὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὴν γένος ἐληλύθει, τῷ δὲ ἔργῳ ὑπ' Αὐγούστου καὶ ὑπὸ τῶν τοῦ Παύλου φίλων ᾠκοδομήθη. Et nunc, post annos 35. iterum collapsam, firmavit ornavitque Manius Lepidus, is de quo dixi supra. Lips. Sine caussa urget vir summus pluralem, qui in hoc verbo etiam de unius tali opere dicitur. Sic ap. Cicer. pro Milone 7. Clodius dicitur interfectus *in majorum suorum monimentis*, i. e. in via Appia, ab Appio Cæco munita. Et noster 4, 7. *monimenta Pompeii* vocat theatrum Pompeii. Cf. 3, 23. De basilicis dixi ad Sueton. Excursu 5. Ern. Cf. Plin. 36, 24.

Erat etiam t. i. m. p. mun. Paschalius hæc uncis inclusit, addito: hoc totum non adduci possum, quin sit tralatitium.

Argueral Taurum. Scribendum *arcuerat*, id est vetuerat, prohiber-

pum, Balbum, hostiles exuvias, aut exundantis opes, ornatum ad urbis et posterum gloriam conferre. Quo tum exemplo Lepidus, quamquam pecuniæ modicus, avitum decus recoluit. At « Pompeii theatrum » igne fortuito haustum, Cæsar « exstructurum » pollicitus est, « quod nemo e familia restaurando sufficeret; manente tamen nomine Pompeii. » Simul laudibus Sejanum extulit, « tanquam labore vigilantiaque ejus tanta vis unum intra damnum stetisset. » Et censuere patres, effigiem Sejano, quæ apud theatrum Pompeii locaretur. » Neque multo post Cæsar, cum Junium Blæsum, proconsulem Africæ, triumphi insignibus adtolleret, « dare id

19. *Tanta vis.* Muretus addidit *ignium.* Male. Nos plura ad Senec. Herc. OEt. 563; et Val. Flac. 7, 333. Ann. 4, 63., *necdum comperto, quos illa vis perculisset,* de ruina theatri apud Fidenas.

rat. Tauri amphitheatrum intelligit in campo Martio : Marcii Philippi ædem Herculis Musarum : Balbi theatrum. Vide Sueton. Aug. 29. Dionem 51, 23. et 54, 25. Lips. Recte Lipsius. Alterum vix latinum. *Arcuerat conferre*, ut Senecæ defendimus in Hippolyto v. 805. *tu licet asperos Pugnacesque deos viribus arceas, Et vasti spatio vincere corporis.* Et solenne librorum vitium est. Ovidio diu fuit Met. 15, 72., *Primusque Animalia mensis Arcuit imponi*, pro *Arcuit.* Statio diu Theb. 2, 629. *cur inficiatus honora Arguerim fama*, (et male defendit Gebhardus) pro *Arcuerim.* Val. Flac. 4, 317. *hæc Amycum tandem manus arguit ausis*, pro *arcuit.* Gron. Nec latinitas nec res patitur *arguerat* legi; non latinitas, tum propter ea, quæ Gron. dixit, tum propter constructionem: deberet enim sequi *contulisse*, aut, *quod contulissent.* Non res : nam Augustus etiam impulerat, auctore Suet. 26. *non arcuerat* est *hortatus erat.* Itaque non dubitavi recipere *arcuerat.* Librarii medii ævi in multis verbis *g* pro *c* scripsere, ut *vagare* pro *vacare.* Vid. H. 1, 44. Ern. Bene habet vulg. *arguerat*, ut 4, 12, et 37. 5, 8. Livius 38, 28. 40, 12. Sulp. Sev., 412. Wopk.

Recoluit. Repetiit, ut dicimus *recolere morem.* Ern.

Tanta vis unum intra damnum. Int. ignium, incendii, quale quid frustra addi volebat Muretus. Et solet *vis* absolute poni pro ea re, cujus vis exseritur, sentitur, ut 4, 62. pro ruina : *quos illa vis perculisset.* Heinsius v. s. Ern.

Apud theatrum Pompeii. De ea Seneca ad Marciam 22. *Decernebatur Sejano statua, in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Cæsar reficiebat : exclamavit Cordus : tunc vere theatrum perire.* Lips.

se, » dixit, « honori Sejani, » cujus ille avunculus erat.

LXXIII. Ac tamen res Blæsi dignæ decore tali facie. Nam Tacfarinas, quamquam sæpius depulsus, reparatis per intima Africæ auxiliis, huc adrogantiæ venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret, « sedemque » ultro « sibi atque exercitui suo » postularet, aut « bellum inexplicabile » minitaretur. Non alias magis sua populique rom. contumelia indoluisse Cæsarem ferunt, quam, « quod desertor et prædo hostium more ageret. Ne Spartaco quidem, post tot consularium exercituum clades inultam Italiam urenti, quamquam Sertorii atque Mithridatis ingentibus bellis labaret respublica, datum, ut pacto in fidem acciperetur : nedum, pulcherrimo populi romani

Depulsus. Victus, superatus. V. ad 2, 1. Ern.

Bellum inexplicabile. I. e. perpetuum, finem non habiturum. Sic ap. Liv. 39, 51. *inexplicabile odium* habent multi codd. et edd. ante Ascensianam, post quam *inexpiabile* receptum est, quod etiam Drakenb. servavit, ut apud eundem 4, 35., *inexpiabile bellum* dicitur : quod alicui et hic posset in mentem venire pro correctione. Idem Liv. 37, 52., *inexplicabilem facilitatem* vocat, cujus exitus nullus est : adde dicta in Clave Cic. in h. v. Ern.

Sua populique rom. contumelia. Verba hæc transposita, suadente Lipsio, in hunc ordinem se reposuisse ait Pichena. Parerem, si, jubente unico codice, dixisset. Quod quando non ausus, illam junctura vulgaris horum verborum immutationem, *sua populique contumelia romani*, haud quaquam auribus accidere meis ingratam, quin et aliquid magnificum præferre mihi videri, fateor. Gron. Atqui sic est in cod. MS. teste Is. Gronovio, sic in ed. Bertoldi. Prima Alciati editio, casu haud dubie, dedit *populique cont. ro.* unde in ed. Rhenani, Aldinam aliasque deinceps venit. Talia multis in locis accidisse veterum scriptorum, quæ etiam ambitiose defenduntur, in quibus acumina, magnificentiam et nescio quid, sæpe doctissimi homines quærunt. Ern.

Hostium more ageret. Sc. bellum vocans, quod latrocinium est; petulata edens, qualia hostis in justo bello solet. Ern.

Ingentibus bellis labaret. Acidalius, etsi non damnat *labaret*, tamen putat fore, cui verbum id grave nimis videatur, magisque probet, *laboraret*. Et confunduntur sane hæ voces subinde a librariis : sed magis, ut *labare* in *laborare* mutent, quam contra. v. Drakenb. ad Liv. 22, 61. 32, 30. Illud favet conjecturæ, quod MS. pluribus locis tali contextione peccat. V. ad 2, 53. Ern.

fastigio, latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur. » Dat negotium Blæso, « ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi; ipsius autem ducis quoquo modo potiretur. »

LXXIV. Et recepti ea venia plerique : mox adversum artes Tacfarinatis haud dissimili modo belligeratum. Nam quia ille, robore exercitus impar, furandi melior, plures per globos incursaret eluderetque, et insidias simul tentaret, tres incessus, totidem agmina parantur : ex quis Cornelius Scipio legatus præfuit, qua prædatio in Leptinos et suffugia Garamantum : alio latere, ne Cirtensium pagi impune traherentur, propriam manum Blæsus filius duxit : medio, cum delectis, castella et munitiones idoneis locis imponens, dux ipse arta et infensa hostibus cuncta fecerat; quia, quoquo inclinarent, pars aliqua militis romani in ore, in latere, et sæpe a tergo erat : multique eo modo cæsi, aut circumventi. Tunc tripartitum exercitum plures in manus dispergit, præponitque centuriones virtutis expertæ : nec, ut mos fuerat, acta æstate retrahit copias, aut in hibernaculis veteris provinciæ componit : sed ut in limine belli, dis-

Mox.... belligeratum. Quanto brevius ille copiosus et verbosus, ut putatur ab imperitis, Livius dixisset idem, quod brevitatis laude florens Tacitus: *Mox Tacfarinas suis artibus petitus*, e I. 22, 16. qui videtur esse fundus sententiæ cornelianæ. Ern.

Eluderetque. I. e. impetu facto et assultu resiliret subito, nec copiam sui pugnæque faceret, 4, 25. *infensus miles memoria laborum et adversum eludentes optatos toties pugnæ.* Ern.

In Leptinos. Intelligi putant, qui Leptim Africæ urbem colunt : qui *Leptitani* vocantur, (v. H. 4, 50.) nusquam *Leptini*; unde *Leptitanos* rescribi volebant Freinsh. et Ryckius. Esse autem debent, qui Leptim parvam tenebant. Sed scire velim, quomodo e finibus Leptitanorum suffugium esset in Garamantas, cum Leptis sit ad mare, Garamantes in interiori Africa. Ern.

Impune traherentur. Diriperentur, vexarentur, perderentur. Supra c. 54. *hæc cura omissa temp. fundibus trahet*, i. e. perdet, evertet. Ern. — Sallust. fragm. 4, 7. *quin socios, amicos.... trahant, excidant.* Wopk.

25.

positis castellis, per expeditos et solitudinum gnaros, mutantem mapalia Tacfarinatem proturbat: donec, fratre ejus capto, regressus est, properantius tamen, quam ex utilitate sociorum; relictis, per quos resurgeret bellum. Sed Tiberius pro confecto interpretatus, id quoque Blæso tribuit, ut *Imperator* a legionibus salutaretur; prisco erga duces honore, qui bene gesta rep. gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur: erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum æqualitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum; ac tunc Tiberius Blæso postremum.

LXXV. Obiere eo anno viri illustres, Asinius Saloninus, M. Agrippa et Pollione Asinio avis, fratre

Mutantem Mapalia. I. e. castra, quæ mapalia pro tentoriis habebant. Add. 4, 25. *positis mapalibus consedisse* etc. *Mapalia* illa qualia fuerint, discas e Livio 30, 3. qui etiam c. 5 *casas* vocat. adde Cort. ad Sall. Jug. c. 18. Ern. Hodie *beet el schar*, domus pellium. Shaw travels in Barb. t. 1, p. 220. E.

Conclamabantur. Appellabantur; quo verbo Cicero de hac re utitur ad Div. 2, 10. sed clamore exercitus: unde *conclamari* noster dixit. Simile est illud Ciceronis Phil. 6, 1. *cum vos universi.... a me conservatum esse rempublicam conclamastis.* Poterat dicere *me conservatorem reip. conclamastis.* Ern.

Tiberius Blæso. Distinguo locum, *Blæso postremum. Obiere eo anno*, non levi ad historiam momento. Olim et libera rep. multi impp. dicti, ut quisque rem suis auspiciis bene gessisset. Displicuit Augusto, et, ut reliquos honores in se, sic et hoc nomen traxit: quod communicatum postea cum paucis, et fere non nisi ex gente Augusta. Tiberius tamen hic Blæsum imperatoris nomine insignit: eumque e privatis postremum; id est, ut post inde soli principes eo titulo sint usi, nemini ultra concesso subditorum. Velleius 2, 125. *Junius Blæsus, proconsul in Africa, ornamenta triumphalia, cum appellatione imperatoria meruit.* Neque etiam indignum nota, quod observamus in numis et inscriptionibus, imperatoris titulum cum principis est, præponi; cum victoris, subjungi hoc modo. *Imp. Cæsar Augustus*, etc. contra *Junius Blæsus imp. M. Tullius Cicero imp.* Quod etiam e Suetonii Julio 76. colligas, cujus id inventum. Lips. Hæc distinctio est in MS. teste Pichena. Ceterum videtur aptius esse *at tunc*, quam *ac tunc*, quæ inter se confundi solere supra dictum. Ern. De Tib. Blæso v. Epp. Sperlingii et Cuperi ap. Polen. t. 4, p. 146 et 153.

Asinius Saloninus. Asinio Pollioni

Druso, insignis, Cæsarique progener destinatus. Et Capito Ateius, de quo memoravi, principem in civitate locum studiis civilibus adsecutus; sed avo centurione sullano, patre prætorio. Consulatum ei adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium, iisdem artibus præcellentem, dignatione ejus magistratus anteiret. Namque illa ætas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo incorrupta libertate, et ob id fama, celebratior; Ca-

oratori et historico filius natus Asinius Gallus, quem captis Salonis Delmatica urbe agnomento dixit Saloninum. Servius auctor in Virg. ecl. 4, 1. Etsi id cognomen Tacitus et Dio illi nusquam tribuunt, contenti dixisse Asinium Gallum. Is Saloninus duxit Vipsaniam, Agripppæ filiam; dimissam paullo ante a Tiberio, qui ex ea sustulerat Drusum. Hoc est quod Tacitus 1, 12. scripsit.: *Nec Gallus ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plusquam civilia agitaret.* Habuit ex ea liberos complures; virilis sexus istos, C. Asinium Saloninum, de quo hic: Asinium Gallum, de quo Suetonius Claud. 13, et Dio 55, 5. Asinium Pollionem, qui consul a. U. 776. de quo Plinius 33, 8. Tacitus 1, 12. Dio in Syll. coss. et Fasti: Asinium Agrippam, de quo 4, 34. Asinium Celerem, quem consularem Plinius nominat 9, 31, et ponit sub principe Caio. Nec vanum est, quod tribuo tam multos. Jubet hoc Tacitus 6, 23. ubi de morte Asinii Galli patris: *Scilicet medio triennio defuerat tempus subeundi judicium consulari seni, tot consularium parenti.* Cui loco abunde lucem fecerint ista. Superest, ut virum doctum (Vertranium) eripiam e luto, qui hæret, quomodo hic Asinius Saloninus Drusi frater mortuus dicatur, quem Suetonius et Dio vivum ponunt Claudii ævo? Nam Suetonius ecce l. c. *Conspiraverant ad res novas Gallus Asinius et Statilius Corvinus Pollionis ac Messallæ oratorum nepotes.* et Dio 60, 27. Ἀσίνιος δὲ δὴ Γάλλος, ὁ τοῦ Δρούσου πρὸς μητρὸς ἀδελφὸς, ἐπεβούλευσε μὲν τῷ Κλαυδίῳ, etc. Itaque quasi in pugna clara concludit: *Quid verum sit, deus aliquis viderit.* Immo ego homo. Frater enim hic Salonini, non ipse: ne ultra turbes, et in simpulo, quod dicitur, excites fluctus. Lips.

Cæsarique progener. Uti aliquam duceret e liberis Germanici. Lips.

De quo memor. Scil. 1, 76. 79. 3, 74.

Consulatum. Quem cepit inter suffectos a. U. 759. Lapis priscus Romæ: C. ATEIO. CAPITONE. C. VIBIO. POSTVMO. COS. Lips.

Labeo incorrupta libertate. Patrem æmulatus, virum præclarum et prudentem, qui bello Philippensi pro libertate fortiter occubuit. Appianus 4, 135. Λαβιὼν δὲ, ἐπὶ σοφίᾳ γνώριμος, ὁ πατὴρ Λαβιῶνος τοῦ κατ' ἐμπειρίαν νόμων ὅτι νῦν περιωνύμου, ...

pitonis obsequium dominantibus magis probabatur. Illi, quod præturam intra stetit, commendatio ex injuria; huic, quod consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.

LXXVI. Et Junia sexagesimo quarto post Philippensem aciem anno, supremum diem explevit, Catone avunculo genita, C. Cassii uxor, M. Bruti soror. Testamentum ejus multo apud vulgum rumore fuit; quia, in magnis opibus, cum ferme cunctos proceres cum honore nominavisset, Cæsarem omisit. Quod civiliter acceptum: neque prohibuit, quo minus laudatione pro rostris ceterisque solennibus funus cohonestaretur. Viginti clarissimarum familiarum imagines antelatæ sunt, Manlii, Quinctii, aliaque ejusdem nobilitatis nomina: sed præfulgebant Cassius atque Brutus, eo ipso, quod effigies eorum non visebantur.

τοῦ πιστοτάτου τῶν οἰκετῶν τὴς δεξιᾶς λαβόμενος, καὶ περιστρέψας αὐτὸν, ὡς ἦθος ἐστὶ Ῥωμαίοις ἐλευθεροῦν, ἐπιστρεφομένῳ ξίφος ἔδωκε, καὶ τὴν σφαγὴν ὑπέσχε. Lips. Exemplum libertatis vide ap. Sueton. Aug. 54. Ern.

Junia Catone avunculo. D. Junius Silanus, qui, consul cum L. Licinio Murena, uxorem habuit Serviliam sororem M. Catonis. Ex iis nata hæc Junia, soror M. Bruti per matrem (nam Bruti pater fuit M. Junius Brutus) Tertia vel Tertulla cognomento: de qua notus Ciceronis jocus ap. Suet. Jul. 50. *Tertia deducta est.* Diversa igitur ab hac Junia, de qua Velleius 2, 68. *M. Lepidus juvenis, Lepidi ejus qui III VIR fuerat R. C. filius, Junia Bruti sorore natus.* Nam hæc uxor Lepidi fuit: nisi si ante Cassii, quod non opinor. Lips.

Manlii, Quinctii. Quare Manlii? quia Junii Silani, innexi Manliæ genti. T. Manlius Torquatus filium in adoptionem dedit D. Silano, de quo Cic. 1, 7. de Fin. Valerius 5, 8, 3. De Quinctiis nihil dum reperi. Lips.

Præfulgebant. *Negatus* enim honor *gloriam intendit.* 4, 26.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUARTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Tiberius sævit. Caussa penes Æl. Sejanum, cujus ingenium et mores. — II. Is ad dominationem adspirat, quo ut perveniat, Romæ in castra prætoria militem conducit. — III. Druso, Tiberii filio, insidiatur per uxorem ejus, stupro pollutam. — IV. Drusus Germanici togam virilem sumit. Status publicus, numerus legionum, — V. earum et cohortium et classium loca exponuntur. — VI. Civilis administratio qualis hactenus. — VII. Sejanus potentiam auget, — VIII. sublato per venenum Druso. Tiberius animum obfirmat, senatum erigit, eique filios Germanici duo commendat, ut imperii heredes. — IX. Funus Druso illustre. — X, XI. Falsa de Drusi ab incauto patre necati fama. — XII. Populi favor filiis Germanici noxius. Iis et Agrippinæ Sejanus insidias struit.

XIII. Tiberius legationes et accusationes civitatum et provinciarum audit. — XIV. De asylis actum; histriones Italia pulsi. — XV. Alter ex Drusi liberis obit. Item Lucilius Longus, principis amicus. Capito damnatus. — XVI. Lex lata de flamine Diali. Vestalibus habitus honos.

XVII. Solennia vota pro principe. Iis inserti Nero et Drusus: hinc odium Tiberii, quem Sejanus stimulat. — XVIII. Hic Germanici amicos adgreditur. — XIX. Silius

damnatur. — XX. Uxor ejus Sosia in exilium pellitur. M. Lepidi moderatio. — XXI. Piso accusatus obit. Cassius Severus in saxum Seriphium relegatur. — XXII. Plautius Silvanus perit.

XXIII. Tacfarinatem, bella rursus moventem, — XXIV. Dolabella opprimit — XXV. et cædit. — XXVI. Triumphalia non impetrat. Ptolemæus munera accipit. — XXVII. Servilis motus semina per Italiam oppressa.

XXVIII. Q. Vib. Serenus, a filio accusatus. — XXIX, XXX. Amorgum reportatur. Præmia delatoribus statuta. — XXXI. P. Suilius deportatur. Firmius senatu movetur. — XXXII, XXXIII. Judicium de his Annalibus.

XXXIV. Cremutius Cordus, historiæ scriptor, ob Bruti et Cassii laudes accusatus, libere se defendit et — XXXV. vitam abstinentia finit. Libri ejus cremati. — XXXVI. Cyzicenis adempta libertas. — XXXVII, XXXVIII. Templi honorem, ab Hispanis oblatum, Tiberius spernit. — XXXIX. Sejanus, nimia fortuna socors, Liviam sibi uxorem a principe petit, qui — XL. modeste negat, et Sejani rationes refellit. — XLI. Hic, augendæ potentiæ, Tiberio secessum ab urbe suadet, — XLII. auditis in caussa Votieni Montani contumeliis, persuadet.

XLIII. Romæ legationes Græcorum auditæ de jure asylorum. — XLIV. Mors Lentuli, Domitii, Antonii. — XLV. L. Piso prætor a quodam agreste interficitur. — XLVI. Thraces montani rebellantes — XLVII-LI. a Sabino pelluntur, cæduntur, obsidentur, frustra eruptione facta, se dedunt.

LII. Claudia Pulchra, Romæ adulterii accusata, damnatur. — LIII. Agrippina maritum petit, nec impetrat. Ei — LIV. Sejanus insidias struit. — LV. Undecim urbes Asiæ de templo Tiberio struendo certant. — LVI. Prælati Smyrnæi. — LVII, LVIII. Tiberius dubia de caussa in Campaniam abscedit, arcto comitatu. — LIX. In spelunca repentino lapidum lapsu periclitatus a Sejano servatur. Hinc major hujus fides. Neronem Germanici adgreditur et — LX. calumniis subvertit. — LXI. Mors Asinii Agrippæ et Q. Haterii.

LXII, LXIII. Amphitheatri casu Fidenis multa hominum millia debilitata vel obruta. — LXIV, LXV. Romæ incendium deurit Cœlium montem. — LXVI. Varus accusatur. — LXVII. Princeps Capreas in insulam se abdit. — LXVIII—LXX. Titius Sabinus turpi fraude circumventus damnatur ipsis anni kalendis. — LXXI. Tiberius mentem suam recludi indignatur. Julia neptis Augusti obit. — LXXII. Frisios, quod avare habiti, rebellantes, — LXXIII. L. Apronius repressum it, parum feliciter. — LXXIV. Turpis adulatio senatus. Sejani arrogantia. — LXXV. Cn. Domitius Agrippinam, Germanici filiam, accipit uxorem. Hæc sexennio fere gesta,

C. ASINIO, C. ANTISTIO COSS.
CORNELIO CETHEGO, VISELLIO VARRONE.
COSSO LENTULO, ASINIO AGRIPPA.
CN. LENTULO GÆTUL. C. CALVISIO.
M. LICINIO CRASSO, L. CALPURNIO PISONE.
AP. JUNIO SILANO, P. SILIO NERVA.

I. C. Asinio, C. Antistio coss. nonus Tiberio annus erat compositæ reip. florentis domus: (nam Germanici mortem inter prospera ducebat) cum repente turbare fortuna cœpit: sævire ipse, aut sævientibus vires præbere. Initium et caussa penes Ælium Sejanum, cohorti-

COMMENTARIUS.

Compositæ reip. flor. d. Copula intell. sed melius foret, *composita rep. florentis domus.* ERN.

Ælium Sejanum. Funestum hoc Romanis caput patrem habuit Sejum Strabonem: sed, in adoptionem datus alicui ex Æliis, dictus mutato inflexoque, ut solet, patris nomine, L. Ælius Sejanus. Id enim prænomen illi Dio dat 57, 19. At in numo æreo legi, adfirmat mihi quidam, Tiberium Sejanum, cujus hæc inscriptio: TI. CÆSAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS. AVGVSTA. BILBILIS. parte altera, corona e quercu. TI. ÆLIO. SEJANO. Non vidi ego. LIPS. In numo est L. non TI. uti exhibetur a Valente in Numis Famil. Rom. Non accurate vel inspexit, vel exscripsit, qui cum Lipsio communicavit. In antica parte est: TI. CÆSAR DIVI AVG. F. AVG. F. AVGVSTVS. In aversa: AV-

bus prætoriis præfectum, cujus de potentia supra memoravi: nunc originem, mores, et quo facinore dominationem raptum ierit, expediam. Genitus Vulsiniis, patre Sejo Strabone, equite romano, et prima juventa C. Cæsarem, D. Augusti nepotem, sectatus, non sine rumore, Apicio, diviti et prodigo, stuprum veno de-

1. *Quo facinore dominationem raptum ierit.* Scribe *abruperit.* Abrupit dominationem Sejanus, sublatis e medio Tiberii liberis et heredibus dominationi proximis. Ann. 13, 1. de Junio Silano, *segnis et dominationibus aliis fastiditus:* hoc est regnantibus ante Neronem. Infra c. 11. *atrociore fama semper erga dominantium exitus.* Ergo Drusus inter dominantes numeratus: ut et Livia infra c. 57. Ann. 6, 48. *vi convellere et mutare dominationem.* Tum *abrumpere* sæpe sic est, ut 4, 50. 12, 50. Sic et *pacem, vitam, sermonem, abrumpere* noster.

GVSTA BILBILIS TI. CÆSARE. V. L. ÆLIO SEJANO. Estque casus Tiberio quintum consule cum Sejano: quod exprimitur in corona quercea, non laurea, ut dicit Ryckius, qui alias et ipse jam de numo monuit. Ern. Immo vero et in laurea. Sic ap. Val. in NN. Col. t. 1. p. 66. ubi quoque Sejani prænomen L. in eo Bilbilis municipium.

Supra mem. 1, 24. 3, 72.

Quo facinore. Nece Drusi, quem veneno sustulit. Lips.

Dominationem captaverit. Probum videbatur: et captavit certe, non cepit. Tamen cum in Mediceo sit, *raptum perit*, placet quod Pichena efformat, *raptum ierit.* Lips. Paschalius conjectabat *cœptaverit.* Raptum ire occurrit et H. 2, 6.

Genitus Vulsiniis. Quia ergo Vulsiniensis Sejanus, ideo acute et non sine morsu Juvenalis 10, 74. ...*idem populus, si Nortia Thusco Favisset, si oppressa foret secura senectus Principis, hac ipsa Sejanum diceret hora Augustum.* Nam Nortia, vel potius, ut libri meliores, Nurscia, Volsiniensium peculiaris Dea. Livius 7, 3. *Volsiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nurscie Etruscæ Deæ comparere, diligens talium monumentorum (auctor) Cincius adfirmat.* Ubi velim deleri minutum illud glossema, quod circumscripsi. Tertull. Apol. 24. *Aesculanorum Ancaria Dea, Volsiniensium Nurscia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia.* Lips. Ap. Livium *Nortia* legunt critici; in Tertull. malunt *Æscul. Ancharia D. V. Nortia, O. V. S. Hostia.*

Patre Sejo Strabone. Qui et ipse prætoriis cohortibus præfuit: sed, in Ægypti administrationem misso, solus deinde filius. Ob hæc officia attollit magnifico elogio Velleius 2, 127. *Sejanus Ælius, principe equestris ordinis patre natus, materno vero genere clarissimas, veteresque et honoribus insignes, complexus familias.* Quod autem maternum genus? Junium, ut opinor: hoc argumento, quod *Junius Blæsus* proconsul *Africæ*, *avunculus* ei fuit: Tacitus 3, 72. Lips.

Apicio diviti. Quod idem Dio ad-

disse : mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret : non tam sollertia, (quippe iisdem artibus victus est) quam deum ira in rem romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque. Corpus illi laborum tolerans, animus audax : sui obtegens, in alios criminator : juxta adulatio et superbia : palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido, ejusque caussa modo largitio et luxus, sæpius industria ac vigilantia, haud minus noxiæ, quotiens parando regno finguntur.

II. Vim præfecturæ, modicam antea, intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo; ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu

firmat 57, 19. qui M. Gavium Apicium nominat. Sed Apicios ejusdem notæ et luxus tres reperio. Primum, qui Athenæo nominatus 4, 19. qui veteri rep. vixit, quemque a Posidonio celebratum ait, et auctorem fuisse, ut Rutilius in exsilium mitteretur. Alterum, qui Augusti et Tiberii ævo, de quo noster hic, et Seneca Cons. ad. Elbiam 10. *Apicius nostra memoria vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi ut corruptores juventutis abire jussi sunt, scientiam popinæ professus, disciplina sua sæculum infecit.* Quid idem Plinio 10, 68. dictus *nepotum omnium altissimus gurges* : et de cujus deliciis volumen Appioni grammatico scriptum lego in Athenæi 7, 12. At tertium, qui in imperio Trajani, cujus mentio apud Suidam in Ὄστρεα. Τραιανῷ ἐν Πάρθοις ὄντι καὶ τῆς θαλάσσης ἀπέχοντι ἡμερῶν πολλῶν ὁδὸν Ἀπίκιος ὁ ὀψοφάγος ὄστρεα νεαρὰ διεπέμψατο, ὑπὸ σοφίας τεθησαυρισμένα. Si tamen Trajani ibi vox incorrupta. Lips. Quædam contra monet Contarenus Var. Lect. c. 27. Ern.

Prodigo stuprum vene dedisse. Ita e MS. jam edidere Pichena et J. Gron. pro vulgato *venum*. Eodem modo loquitur noster 13, 51. 14, 15. Sic volebat enim Perizon. ad Sanctii Minervam 3, 3, 139. Ern.

Corpus illi etc. Hic locus non bene interpungitur in vulgatis libris, divulsis subinde, quæ jungenda erant, junctis, quæ divellenda. Ludit, ut solent scriptores in exprimendis moribus, per antitheta. Ern.

Dispersas per urbem. Non per urbem modo, sed per oppida vicina dispersæ fuerunt prætoriæ cohortes, ex Suetonii Aug. 49. *Neque unquam plures quam tres cohortes in urbe esse passus est, easque sine castris : reliquas in hiberna et æstiva circa finitima oppida dimittere assuerat.* Lips.

inter se fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur. Prætendebat, « lascivire militem diductum : si quid subitum ingruat, majore auxilio pariter subveniri : et severius acturos, si vallum statuatur procul urbis illecebris. » Ut perfecta sunt castra, irrepere paullatim militares animos, adeundo, adpellando : simul centuriones ac tribunos ipse

2. *Fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur.* Alii alia, quæ non satisfaciunt. Rost, *in ceteros metus e re adderetur. Addere metum* pro augere. Sic *addere alacritatem, animos, dignationem* alibi apud nostrum. *E re* dictum ad Ann. 11, 1. 12, 68.

Metus crederetur. Monuit me Josias Mercerus, legendum videri, *dederetur*, vel *dideretur*, quod verbum sane ubique in Tacito velut fataliter corruptum. In cod. aiunt esse *crederetur* : si quis aliud forte eruet. Lips. Sic interpretor : ut multitudinem suam noscendo, robur æstimando, vultus omnium singuli familiariores habendo certi fierent de fiducia inter sese deque metu sui apud ceteros; se, quicquid esset audendum, confidere inter se, aliis metum facere posse. Vide 3. Observ. 10. Gron. Mercerus post suam sententiam ipse retractavit, probavitque Savilii conjecturam *crearetur* : quam verissimam esse puto : ei proximam specie Faernianam *oriretur*, sive potius *oreretur*, quod in libris scriptis esse potuit, ut ap. Sueton. Tib. 37. ubi etiam in textum recepit Burmannus, quem vide et ad Cæs. c. 64. Paullo magis a scriptura vulgata abit Grotiana : *cresceret*. Quicquid sit, *crederetur* certe alienum et corruptum. Non enim hoc credi volebat, ne a militibus quidem, se in hoc conductos in unum locum, ut metui essent aliis. Ut sibi plus fiderent, id sua sponte existebat. Quorsum enim ista, quæ sequuntur, prætendisset ? Accedit aliquid momenti etiam e Dione, qui de hac re tradens 57, 19. Sic dicit : ὅστε τὰ παραγγώματα καὶ ἀδρόους καὶ διὰ ταχέων λαμβάνειν, καὶ φοβεροὺς πᾶσιν, ἐν καὶ ἐν ἐνὶ τείχει ὄντας, εἶναι. Adde c. 24. Atqui Dio e Tacito hoc, ut multa alia, sumsit. *Crearetur* placet etiam Freinshemio et Ryckio. Edd. item Broterio. Contra *cresceret* Ursinus et Muretus legebant. Ast Crollius conjicit *inderetur*, quod commode admitti posset. V. *indere* in Indice. — * Bene Savilius *crearetur*. Cf. et c. 59, et 6, 50. 11, 8. H. 1, 20. Wopk.

Procul urbis illecebris. Quomodo hoc verum ? nam castra ista ad ipsam urbem fuerunt, juxta portam Viminalem : et hoc antiquarii nostri hodie docuerunt : vel Onufrium in urbe Roma vide. Adde hæc scholiastis prisci in Juvenalem 10, 95. *Juxta aggerem primus posuit castra Sejanus, id est super Diocletianas : quæ dicta sint Castra prætoria.* Sunt ipsa, quæ dixi : nam agger Tarquinii est ad Viminalem, et infra, Diocletianæ. Sed quod quærebam, quomodo igitur *procul urbis illecebris ?* Non nimis hercle : nisi quod non in mediis ipsis, et quod amoti a consuetudine

deligere : neque senatorio ambitu abstinebat, clientes suos honoribus aut provinciis ornandi, facili Tiberio atque ita prono, ut « socium laborum, » non modo in sermonibus, sed apud patres et populum celebraret, colique per theatra et fora effigies ejus, interque principia legionum sineret.

III. Ceterum plena Cæsarum domus, juvenis filius, nepotes adulti, moram cupidis adferebant : et, quia vi tot simul corripere intutum, dolus intervalla scelerum poscebat. Placuit tamen occultior via, et a Druso incipere, in quem recenti ira ferebatur. Nam Drusus, im-

vulgi. Item, quod vallo clausi, et licentia cohibita : quo adspectum. Lips.

Neque senatorio ambitu. Id est, neque nolebat a senatu ambiri, coli; cum et eos promoveret, ac posse ibi doceret. Lips. *Senatorius* utique formatur a *senator*, non a *senatus*, ut vult Freinsh., neque tamen propterea significat tantum, quod est unius senatoris, aut singulorum in senatu : sed etiam potest significare, quod est senatorum, et sic senatus vel totius corporis. *Ambitus senatorius* est ambitio in senatu. Neque hoc faciebat, ut extolleret clientes suos : id enim ei largiebatur Tiberius, non aliqua factio in senatu : sed hoc extollere erat via ad potentiam in senatu. Itaque facile admitto *ambitu ornandi*, quod ex MS. notat Pichena. Non cessabat etiam in senatu se venditare, ac gratiosum et potentem reddere. Qua ratione? nempe non patiendo ad honores et imperia pervenire, nisi quibus ipse apud Tiberium suffragatus esset. Quo animadverso, quis dubitaret hunc patronum adoptare? Gron. Sic *municipalis ambitio* c. 62. de studio gratiæ municipum captandæ. Ern. *Ornandi*, quod est in codice, bene habet; restitui.

Coli. Sacrificiis et adoratione. Dio 58, 2, 4, 11.

Interque principia legionum sineret. Inter militaria signa, ait Suet. Tib. 48. de quo ritu abunde in libris Histor. et Milit. Rom. Lips. Adde ad 1, 61. Ern.

Et quia vi etc. Harlæus putabat legendum *eripere* et mox delendum *tamen* : dicturum fuisse *simul aggredi*. Atqui aggredi et de medio tollere *corripere* est, non *eripere*. Justinus 3, 1. *Exuentem se ac nudatum gladio trajicit; tum et filios ejus corripi jubet.* Nec deleverim τὸ *tamen*: id enim tacite demonstrat ambitionis tantæ et Sejani indolem : datque intelligendum : quamquam ægre ferret ambitio incitata hanc moram, et properaret ad vota Sejanus, *placuit* ei *tamen occultior via*. Posses alioqui et *tandem* legere. Gron. Arbitror, Gronovium verum vidisse. Sed ante *et* media distinctio esse debet, qua facilior fit ille sensus, et *tamen* aptius. Itaque sic interpunxi. Ern.

patiens æmuli et animo commotior, orto forte jurgio, intenderat Sejano manus, et contra tendentis os verberaverat. Igitur cuncta tentanti promptissimum visum, ad uxorem ejus Liviam convertere: quæ soror Germanici, formæ initio ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc, ut amore incensus, adulterio pellexit: et, postquam primi flagitii potitus est, (neque femina, amissa pudicitia, alia abnuerit); ad conjugii spem, consortium regni, et necem mariti impulit. Atque illa, cui avunculus Augustus, socer Tiberius, ex Druso liberi,

3. *Formæ initio ætatis indecoræ.* Concinnius *forma indecora.* Tum mox c. 4. non *aversus habebatur.*

Intenderat Sejano manus. Intendere manus, principium et caussa jurgii etiam hodie apud Italum vulgus; 1, 27. *Postremo deserunt tribunal, ut quis prætorianorum militum amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentantes, caussam discordiæ et initium armorum.* 13, 14. *Simul intendere manus, aggerere probra.* Seneca de Clem. 1, 25. *Conclamatio civitatis et fuga est, et diis ipsis manus intendantur.* At quod sequitur Sejani os palma percussum a Druso, aliter apud Dionem 10, 2. et Zonaram 57, 22. legas; qui Drusum percussum volunt a Sejano. Itaque eorum fide rescribit hic Vertranius, *Et hic contra tendentis os verberaverat.* Neutri mihi persuadent; non illi sententiam, non hic lectionem. Sejanum non tam prorupta audacia fuisse crediderim, ut ultro verberarit principis romani filium tribunicia potestate, et imperii consortem: et convenit magis in mores Drusi, cui adeo promptæ ad verbera manus, ut hac de caussa Castor sit cognominatus, teste Dione ipso 57, 14. Lips.

Ad uxorem ejus Liviam. Suetonius Livillam semper vocat: ut Claudillam, quam noster Claudiam. Nec te moverit: ὑποκόρισμα est, ut Secundilla, Tertulla, Quartilla in feminarum nominibus per blanditias frequens. Sic in Museo Carpensi lapis de hac ipsa Livia (ap. Grut. 312, 4.) SECVNDA. LIVILLÆS. MEDICA. TI. CLAVDIVS CÆSARIS. L. CELER. ÆDITVVS. A. VESTA. Lips.

Adulterio pellexit. Pro *in* vel *ad adulterium* more poetarum, 6, 45. *amore juvenem inlicere.* Sic enim ibi capiendum puto. Ern. In dativo accipe *adulterio.* Unde minus recte adfertur locus 6, 45. Wort.

Neque femina amissa pudicitia, alia abnuerit. Freinsh. Tacitum scripsisse suspicatur *abnueret:* non ego: et miror nodum in scirpo quæri. Gron. Recte etiam Gruterus Faerni conjecturam *abnuit* rejicit. Ern.

Avunculus Augustus. Id est, major avunculus. Nam Antoniæ filia Livilla, Antoniæ mater Octavia. Ern.

seque ac majores et posteros municipali adultero fœdabat; ut, pro honestis et præsentibus, flagitiosa et incerta exspectaret. Sumitur in conscientiam Eudemus, amicus ac medicus Liviæ, specie artis frequens secretis. Pellit domo Sejanus uxorem Apicatam, ex qua tres liberos genuerat, ne pellici suspectaretur. Sed magnitudo facinoris metum, prolationes, diversa interdum consilia adferebat.

IV. Interim anni principio Drusus, ex Germanici liberis, togam virilem sumpsit; quæque fratri ejus Neroni decreverat senatus, repetita. Addidit orationem Cæsar, multa cum laude filii sui, « quod patria benevolentia in fratris liberos foret. » Nam Drusus (quamquam arduum sit, eodem loci potentiam et concordiam esse,) æquus adolescentibus, aut certe non adversus habebatur. Exin vetus et sæpe simulatum proficiscendi in provincias consilium refertur. « Multitudinem veteranorum » prætexebat imperator, et « delectibus supplendos exercitus;

Municipali adultero. Quasi diceret, ne Romano quidem. Nam municipales tunc minus honorati, aut pares urbanis censebantur. Ita Juvenalis s. 8, 238, per contemptum; *Municipalis eques.* Florus 3, 18; *Municipalia prodigia.* Erat autem Sejanus Vulsiniis natus. Lips. Cic. Phil. 3, 6; *Videte, quam despiciamur omnes, qui sumus e municipiis.*

Eudemus. In criminatione mediocrum non omisit eum Plinius 29, 1. (8.) *Jam vero et adulteria etiam in principum domibus, ut Eudemi in Livia Drusi Cæsaris.* Lips.

Fratri ejus Neroni. Biennio ante. Cf. 3, 29.

Filii sui. Addidit *sui*, quia ante liberi Germanici, vel filius Germanici. Ern.

Drusus.... æq. adol. Ad concordiam Drusi et Germanici, adoptione fratrum, refertur numus Illicitanus ap. *Vaillant* in NN. Coll. t. 1, p. 78. in quo ad aram adoptionis stantes manus jungunt. Itemque Sardianus a C. Asinio Pollione ProCS. percussus, qui eos sedentes, lituumque et simpulum tenentes exhibet cum epigr. ΔΡΟΥΣΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. ΝΕΟΙ. ΘΕΟ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. Cf. Eckhel D. NN. vet. vol. 6, p. 211.

Multit. veteran. Scil. qui missionem peterent, ut Paschalius monet.

nam voluntarium militem deesse; ac, si suppeditet, non eadem virtute ac modestia agere, quia plerumque inopes ac vagi sponte militiam sumant: » percensuitque cursim numerum legionum, et quas provincias tutarentur. Quod mihi quoque exsequendum reor, quæ tum romana copia in armis, qui socii reges, quanto sit angustius imperitatum.

V. Italiam utroque mari duæ classes, Misenum apud et Ravennam, proximumque Galliæ litus rostratæ naves præsidebant, quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Forojuliense miserat, valido cum remige. Sed præcipuum robur Rhenum juxta, commune in Germanos Gallosque subsidium, octo legiones erant. Hispaniæ, recens perdomitæ, tribus habebantur. Mauros Juba rex acceperat donum populi romani: cetera Africæ per duas legiones; parique numero Ægyptus. De-

* *Quod.... quæ tum romana* etc. I. e. ut in *his, quæ tum*. Sic et apud Cicer. Nat. D. 2, 9. et in Verre. 1, 46. Vide ad Divin. 2, 41. in Lect. Tullianis. Wopk.

Quanto sit angustius. Recte et dictum in Trajani laudem, qui fines imperii promovit. Dixi supra. Lips.

Duæ classes. Hæc et sequentia explico ubertim in Admirandis 1, 5. Lips. Vid. Sueton. Aug. 49. Ern.

In opp. Forojul. Eo referunt conjectura numum Augusti *Vaillant* in NN. Col. t. 1, p. 5. et Spanh. de Præst. NN. t. 1, p. 687.

Octo legiones. Divisæ per varia castra et castella. Florus de Druso 4, 12. *Per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit*. Quæ non dubia origo nobilium in eo tractu oppidorum. Lips.

Hispaniæ recens perdomitæ. Ab Augusto, Livius 28, 12. de Hispania: *Ita ergo prima Romanis initia provinciarum, quæ quidem continentis sint, postrema omnium nostra demum ætate ductu auspicioque Augusti Cæsaris perdomita est*. Propter Cantabros scilicet et Astures, quos ipse devicit. Lips. Sueton. Aug. 21, 81. Ern.

Juba rex. Filius Jubæ ejus, qui a Cæsare victus est, paterque Ptolemæi a Caligula interfecti. Sueton. Cal. 26. 35. Ern.

Cetera Africæ, per duas. Ain'tu duas? Atqui una legio adtributa Africæ ab Augusto Tiberioque, te ipso teste non uno loco. H. 4, 48, scribis, *Legio in Africa auxiliaque tutandis imperii finibus, sub D. Augusto Tiberioque principibus, proconsuli parebant*. Et Ann. 2, 52, *Furius Camillus proconsul Africæ, le-*

hinc initio ab Syria usque ad flumen Euphraten, quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coercita : accolis Ibero Albanoque et aliis regibus, qui magnitudine nostra proteguntur adversum externa imperia. Et Thraciam Rhœmetalces ac liberi Cotyis ; ripamque Danubii legionum duæ in Pannonia, duæ in Mœsia adtinebant : totidem apud Dalmatiam locatis, quæ, positu regionis a tergo illis, ac, si repentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur : quamquam insideret urbem proprius miles, tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes, Etruria ferme Umbriaque delectæ,

gionem, et quod sub signis sociorum, ad hostem duxit. H. 2, 97., *In Africa legio cohortesque, delectæ a Clodio Macro.* Vidimus hunc nexum, et solvemus. Unam legionem ordinariam Africæ fuisse, verissimum est. Unde hic ergo duæ ? Per bellum Tacfarinatis abducta e Pannonia legio, et in Africam missa. Supra 3, 9., *Piso adsequitur legionem, quæ e Pannonia in urbem, dein præsidio Africæ ducebatur.* Ea ibi mansit biennium paullo amplius, iterumque in Pannoniam remissa. Hoc ipso libro 23, *Cæsar post res a Blæso gestas, quasi nullis jam in Africa hostibus, reportari nonam legionem jusserat : nec proconsul ejus anni P. Dolabella retinere ausus fuerat, jussa principis magis quam incerta belli metuens.* At enim, quia, quo loco quæque legio hoc ipso anno fuerit, decretum scribere Tacito, et nondum ea abducta : ideo duas ecce in Africa collocavit, in Pannonia duas. Atqui tres in ista debuerat : quod clarum vel ex iis, quæ in seditione trium pannonicarum legionum dicta supra. Ubi etiam recensita hæc nona. Lips.

Dehinc initio ab Syria usque ad flumen. Muretus adhæsit ad hunc locum, voluitque legi *initio ab Syriæ*, dictum per transpositionem pro *ab Syriæ initio*, probavitque Acidalius. Sed quorsum dixerit : *ab initio Syriæ ?* Ego τὸ *initio* insititium puto : *hinc, ab Syria usque ad Euphraten flumen quantum ingenti terrarum sinu ambitur, quatuor legionibus coercita :* aut ex, *inde* natum. *Coercita* e MS. dedit Pichena pro vulgato *coercitum.* Talia sæpe apud Tacitum attentus lector observet. Ern. Crollius legit *Dehinc interior Syria* etc. quod Syria laxiori sensu ab Ægypto ad Euphraten usque protendi dicitur Meiæ 1, 11. Straboni 16, p. 749. Adde Plin. 5, 13.

Totidem apud Dalmatiam. Dalmatia Augusto tradita, perpetuumque præsidium in ea decretum a. U. 743. Antea inermis fuit. Adi Dionem 54, 34. Lips.

Tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes. Vigilum autem cur omittit ? quæ numero et robore supra urbanas. Septem enim cohortes erant,

aut vetere Latio, et coloniis antiquitus romanis. At apud idonea provinciarum sociæ triremes alæque et auxilia cohortium: neque multo secus in iis virium; sed persequi incertum fuerit, cum, ex usu temporis, huc illuc mearent, gliscerent numero, et aliquanto minuerentur.

VI. Congruens crediderim, recensere ceteras quoque reipubl. partes, quibus modis ad eam diem habitæ sint: quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit. Jam primum, publica negotia, et privatorum maxima, apud patres tractabantur: dabaturque primoribus disserere: et in adulationem lapsos cohibebat ipse: mandabatque honores nobilitatem majorum, cla-

institutæ jam inde ab Augusto. Caussa hæc, quia id ævi, inter legitimos justosque milites vigiles non censebantur. Itaque in omnibus bellis civilibus Galbæ, Othonis, Vitellii, rara eorum mentio, nullus usus. E libertinis lecti erant, vile genus, et Vulcani potius ministri, quam Martis. Itaque nec præfecti vigilum inter illustres dignitates mentio Tacito usquam: cujus auctoritas tamen adolevit, sicut et militum ipsorum, uti ex Pandectis aliisque scriptoribus clarum. Dicam de hoc omni urbano milite, cum cura, ad libros Historiarum. Lips. Mercerus inclinat corrigere *decem prætoriæ*, quia sic tradit Dio 55, 24. et inscriptio antiqua ap. Gruter. p. 258, 8. Vulgatum numerum defendit Lipsius de Magnitud. R. 1, 4. erroris arguens Dionem. Fabrettus autem mavult utrumque pro suo ævo intelligere, quod res variavit cum in prætoriis, tum in urbanis cohortibus: quem vide in Inscr. p. 127. f. Ern.

Et colonis. Potius *coloniis*. Lips.

Sociæ triremes. Ut classis in Danubio; classis in Rheno, in Ponto. Lips.

Neque multo secus. Dicit clare, non minus virium roborisque in auxiliis fuisse, quam in legionibus: ex quo magnitudinem opesque videas imperii romani. Lips. Ut ibi *secus* pro *minus*, ita alias *secius*. Terent. Andr. 3, 2, 27. Wopk. Utrumque hoc sensu rarum.

Sed persequi incertum fuit. Lipsius restituit *fuerit*, pro *fuit*. Ern.

Huc illuc mearent. Attendant tirones, observentque aliam auxiliorum et legionum rationem fuisse. Legiones certas stationes habuisse, etsi non plane immutabiles, ut exempla apud nostrum docent, contra quam nonnulli putarunt: auxilia autem nullum certum locum attributum fuisse. Ern.

Recensere ceteras etc. Pro: *recensere, quibus modis ceteras quoque r. p. ad eam d. h. s.* quæ ratio elegans in primis Græcis habetur, ut animadversum Kustero ad Aristophanem et aliis. Ern.

ritudinem militiæ, illustres domi artes spectando: ut satis constaret, non alios potiores fuisse. Sua consulibus, sua prætoribus species: minorum quoque magistratuum exercita potestas; legesque, si majestatis quæstio eximeretur, bono in usu. At frumenta et pecuniæ vectigales, cetera publicorum fructuum, societatibus equitum romanorum agitabantur. Res suas Cæsar spectatissimo cuique, quibusdam ignotis ex fama mandabat; semelque adsumpti tenebantur, prorsus sine modo, cum plerique iisdem negotiis insenescerent. Plebes acri quidem annona fatigabantur: sed nulla in eo culpa ex principe: quin infecunditati terrarum, aut asperis maris obviam iit, quantum impendio diligentiaque poterat. Et, ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia aut crudelitate magistratuum tolerarent, providebat. Corporum verbera, ademptiones bonorum aberant.

VII. Rari per Italiam Cæsaris agri: modesta servitia: intra paucos libertos domus: ac, si quando cum privatis

Illustres domi artes. Eloquentiam, juris scientiam etc. quæ *civilia studia* vocat 3, 75. *pacis artes* sæpe Cicero, ut pro Murena 14. Ern.

Species. Ornamenta eadem, dignitas, quæ vetere republica. *Speciem* de consule dixit etiam Cicero in Pison. c. 11. Adde ad Suet. Cæs. 77. Ern.

Frumenta etc. Decumæ ex agris publicis et vectigalibus, ut in Sicilia. Per *pecunias vectigales* non modo scriptura et portorium, sed cetera etiam, quæ ab Augusto instituta sunt, vectigalia intelligenda. *Cetera publicorum fructuum* sunt tributa provincialibus imposita. Ern.

Agitabantur. Seneca epist. 119., *Jam ego paraveram fiscos: circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem.* Suet. Vespas. 1. *publicum quadragesimæ in Asia egit.* Gron.

Res suas. Fiscum primum, ejusque curam, deinde etiam, ut opinor, provincias suas. De posterioribus colligo e Sueton. Tib. 41, quamquam ille socordiæ tribuit. Ern.

Rari per Italiam. Non latifundia, ut postea, ex bonorum publicatione, et reorum damnationibus parta. Lips.

Modesta servitia. Non de paucitate servorum, sed modestia recte Freinsh. accipit. Non attingebant rempublicam: non potentes nimis, insolentes erant, ut postea. Ern.

disceptaret, forum et jus. Quæ cuncta, non quidem comi via, sed horridus ac plerumque formidatus, retinebat tamen, donec morte Drusi verterentur: nam, dum superfuit, mansere; quia Sejanus, incipiente adhuc potentia, bonis consiliis notescere volebat, et ultor metuebatur, non occultus odii et crebro querens, « incolumi filio, adjutorem imperii alium vocari: et quantum superesse, ut collega dicatur? Primas dominandi spes in arduo: ubi sis ingressus, adesse studia et ministros: exstructa jam, sponte præfecti, castra: datos in manum milites: cerni effigiem ejus in monimentis Cn. Pompeii: communes illi cum familia Drusorum fore nepotes: pre-

Non quidem comi via. Acidalius haud dubitat legendum *cum vi*. Si hoc voluisset, dixisset, opinor, simpliciter *vi*, aut *per vim*. Putavit vir doctus, hæc verba referenda esse ad *retinebat*, quod non est. Tiberius ista non mutarat, etsi alias horridus et formidolosus erat, non facilis, comis. Si quid mutandum esset, mallem *comi vita*, i. e. moribus. Sed non est necessarium. *Comi via* intell. *morum*. Supra 1, 54. *Tiberio alia morum via*: et *non quidem* est pro *etsi non*. *Comis* bene opponitur *horrido* non uno sensu. Ern. Plane sic Plin. 35, 10. *Ti. C. minime comis imperator.*

Ultor. Drusus scilicet.

Cerni effigiem ejus. Statuam æneam in theatro Pompeii. Dio 57, 21. Lips. *In monim. Cn. P.* apud theatrum ejus 3, 72. Ern.

Communes illi. Consideremus, quæso. Suetonius Claudii filio Druso desponsam Sejani filiam scribit c. 37. in Claudio: nec alius sententiæ est, quod noster 3, 29. dixit, Claudii filio Sejanum socerum destinatum. Hæc certa, clara; sed quomodo hic Drusus queritur, communes illi fore eum Drusorum gente nepote? Locum non habet ea querela, vana est. Si vere idem Suetonius scribit, Drusum exstinctum post paucos dies, quam ei Sejani filia esset desponsa. Desponsa autem ante biennium, ut ex Taciti supra verbis clarum: ante biennium ergo exstinctus, et simul connubii nepotumque spes. An aliud aliquid est, quo noster hic respexit? nemo dicet. In Zonara 11, 2. lego, *Juliam* Drusi filiam desponsam Sejano: corrupte. Quia scribendum *Liviam*: intellegitque Germanici sororem, de qua infra dicemus, Drusi majoris prolem. Quid negamur? cum omnia scrinia excusserimus, non inficiabimur, quin Tacitus guttam attigerit e flumine Lethes. Lips. Videtur Freinshemio Tacitus heic loci cumulare voluisse Sejani facinora, neque eas querelas præciae ad hoc tempus restringendas.

Precandam post hæc modestiam.

candam post hæc modestiam, ut contentus esset. » Neque raro, neque apud paucos talia jaciebat; et secreta quoque ejus, corrupta uxore, prodebantur.

4. *Precandam posthæc modestiam, ut contentus esset. Precandum post, hac modestia ut contentus esset.* Vide tamen Lipsium et Gronov. Obs. 3, 10.

Mirum genus loquendi, quasi modestia inter deas: et cave tamen immutes. Simile illud e 15, 17. *Sic quoque optimam Fortunam orandam, ut pedes confectis itinerum spatiis equitem assequeretur.* Lips. Hæc ita accipiunt viri docti, quasi *modestia* inter deas censeretur. Eo sensu mihi nihil videtur frigidius. Poetarum est, fingere numina, quæ non sunt: non historicorum. Precanda modestia est, quæ juberi non potest, sed rogari debet. Post hæc atque talia eo ait evectum Sejanum, uti non imperari ei amplius modestia possit, sed rogare necesse habeat eum, qui velit continere et efficere, ut contentus sit, intraque illum modum consistat. Ita de Pompeio Cicero de Fin. 2, 18. *Sed finge non solum callidum eum, qui aliquid improbe faciat, verum etiam præpotentem: ut M. Crassus fuit, qui tamen solebat uti suo bono: ut hodie est noster Pompeius, cui recte facienti gratia est habenda; esse enim quamvis vellet justus, iniquus poterat impune.* Pompeius et Sejanus hactenus pares: precanda eorum modestia erat, ut contenti essent: et recte facientibus gratia erat habenda. Vel potius, precandam post hæc a diis, quos veros putabant, illi modestiam: rogandos deos, ut hanc illi darent: abiit enim id e potestate nostra. Tale est apud M. Senecam Contr. 25. *ut salva provincia sit, optemus meretrici bonam mentem.* Tale Medeæ apud Ovid. Met. 7, 37. *quamquam non ista precanda, Sed facienda mihi.* Hic addit, quod Tacitus vult intelligi: precandam, quia manu facere nemo queat. Cicero epist. 1, 8. *Commutata tota est ratio senatus, judiciorum, rei totius publicæ; otium nobis exoptandum est.* Significat nimirum, se et alios, qui debebant, id præstare non posse. Plato 6. de Legibus p. 757, διὸ τῷ τοῦ κλήρου ἴσως ἀνάγκη προσχρήσασθαι, δυσκολίας τῶν πολλῶν ἕνεκα, Θεὸν καὶ ἀγαθὴν τύχην καὶ τότε ἐν εὐχαῖς ἐπικαλουμένους, ἀποροῦντας αὐτοὺς τὸν κλῆρον πρὸς τὸ δικαιότατον. Precari autem tam dicimus *rem a diis alicui*, quam *deos aliquid* aut *pro aliquo*. Infra c. 39. *Neque fulgorem honorum unquam precatum.* Lib. 12, 65. *amplecti Britannicum, robur ætatis quam maturrimum precari.* Hæc in Obs. 3, 10. dicta. Tamen Freinsh. defendit deam Modestiam, et hæc subtiliora quam veriora putat. In quo illud festivum, si recipiatur sensus, quem Tacito attribuimus, tamen fore, ut constet sensus, quo ille delectatur, nempe exorandum esse Modestiæ numen. Tanquam cum dicitur *precandam modestiam*, non possit intelligi, vel *Sejani* vel *Sejano a diis*, qui eo creverat, ut coerceri, atque adeo modestia ei imperari non posse videretur. Tanquam verbo *precandam* necessario statuatur singularis dea Modestia, a qua modestiam peti oporteret. Male igitur Horatius lib. 1, Sat. 4, 17. *Dii bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi.* Debuisset dicere: *Modestiæ numen*

VIII. Igitur Sejanus, maturandum ratus, deligit venenum, quo paullatim irrepente, fortuitus morbus adsimularetur: id Druso datum per Lygdum spadonem, ut octo post annos cognitum est. Ceterum Tiberius, per omnes valetudinis ejus dies, nullo metu, an ut firmitudinem animi ostentaret, etiam defuncto, necdum sepulto, curiam ingressus est. Consulesque, sede vulgari per spe-

bene fecit, quod me modestum finxit. Non venit enim scilicet illa modestia virtus et animal, nisi a peculiari numine Modestia: quemadmodum nemini potest optari, nisi ab eo unico numine, quod eam conferre possit. Ego tamen deam nullam, sed quæ sanis facile modestiam ingeneraret, Adrastiam, Rhamnusiam, Nemesin novi. Nam Plautus risum captat. Quid multa? quod illi mire elegans, id mihi κακόζηλον et gravitati cum Taciti, tum materiæ indignum videtur. Gron. Verissima sunt quæ Gronovius disputat. Itaque veteres edd. secutus, *modestiam*, litera initiali minuta rescripsi, ut fecit jam Ryckius. Ern. Pro Modestia dea pugnat Crollius, ea potissimum ratione, quod, modestiam in Sejano nullam fuisse, probe Drusus nosset. Cultas quoque Romæ virtutes *Clementiam*, *Moderationem*, ex numis Tiberii patet. Cf. Eckhel t. 6, p. 187. Valet hoc, si reddas, *precandam ejus modestiam*, non item si, *precandam ei a diis modestiam*. Duriuscula tamen pronominis omissio. Quem Plauti locum signet Gron. non video.

Adsimularetur. Videretur: ut tabes e veneno imitaretur fortuitum morbum, similitudinem fortuiti morbi haberet. *Adsimulare* est imitari: de quo verbo vid. Gron. Diatr. in Stat. c. 6. Ern.

Ut octo post annos. Recte eo ipso videlicet anno, quo interfectus Sejanus, cum Apicata, ejus uxor, hæc scelera prodidit: Vide Dionem 58, 11. Lips.

Consules sede vulgari. Id est, in sedibus prætorum aut tribunorum, ut Dio interpretari videtur in morte Augusti 56, 31. Ἐκαθίζοντο δὲ οἱ μὲν πολλοὶ, ὡς που ἕκαστος εἰώθει, οἱ δ' ὕπατοι κάτω ἐν τοῖς βάθροις, ὁ μὲν τῷ τῶν στρατηγῶν, ὁ δὲ τῷ τῶν δημάρχων. Nec dissimile est, quod Suetonius scribit c. 23. Claudium *de majore negotio acturum, medium inter consulum sellas tribunicio subsellio sedisse.* Humiles autem senatorum omnium sedes, altæ consulum et excelsæ. Lucanus 5, 15. *Ut primum mœstum tenuere silentia cœtum, Lentulus e celsa sublimis sede profatur.* Lentulus enim ibi consul. Et alius poeta quispiam (Ovid. ex Ponto 4, 5, 18.) *Conspicuum signis cum premat altus ebur.* Intellexit consulis sellam curulem; in qua, ornatus causa, signa. Idem ib. 4, 9, 28. *Signa quoque in sella nossem formata curuli, Et totum Numidæ sculptile dentis opus.* Lips. Immo in subselliis senatorum communibus, quo loco senatori cuique sedere licebat. Nam subsellia prætorum et tribunorum non possunt profecto *sedes vulgaris* appellari. Non, quia Augusto mortuo in

ciem mœstitiæ sedentes, honoris locique admonuit; et effusum in lacrimas senatum, victo gemitu, simul oratione continua erexit. « Non quidem sibi ignarum, posse argui, quod tam recenti dolore subierit oculos senatus: vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem adspici a plerisque lugentium: neque illos imbecillitatis damnandos: se tamen fortiora solatia e complexu reipubl. petivisse. » Miseratusque « Augustæ extremam senectam, » rudem adhuc nepotum « et vergentem ætatem suam, ut Germanici liberi, unica præsentium malorum levamenta, inducerentur, » petivit. Egressi consules, firmatos alloquio adolescentulos deductosque ante Cæsarem statuunt. Quibus adprehensis, « patres conscripti, hos, » inquit, « orbatos parente, tradidi patruo ipsorum, precatusque sum, quamquam esset illi propria soboles, ne secus quam suum sanguinem foveret ac

subselliis tribunitiis ac prætoriis sedere consules luctus caussa, propterea et nunc idem fecere, ut recte monet Ryckius. Etenim ista non more aliquo et instituto certo fiebant, sed sponte, et ut cuique suggerebat ingenium: in quo genere nihil certi est. Ern.

Victo gemitu. Int. suo. Vix dignum admonitione, nisi doctos viros dubitasse viderem. Ern.

Propinquorum alloquia. Alloquia, proprie in consolatione. Notatum aliis. Lips.

Vix diem adspici. Ita enim moris, ut limine et domo se continerent in luctu. Plinius 9, 13. *Mitto ad Arriam, rogo ut veniat; quoniam me recens adhuc luctus limine contineret.* Lips.

E complexu reip. Complexum pro cura rerum publicarum capit Freinsh. Infra 13. *negotia pro solatiis accipiens.* Et dicitur *complecti* pro curare aliquem: sed *complexum* pro cura dici, non credo. Sensus est: se maluisse in complexum reipublicæ ruere, velut matris, atque ibi levamentum doloris quærere, hinc solatia satis fortia petere. Cic. ad Div. 4, 6. *habebam, quo confugerem, ubi conquiescerem, in cujus sermone et suavitate omnes curas doloresque deponerem.* Et mox: *non nunc domo mœrens ad remp. confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam.* Ern.

Rudem adhuc nepotum, et verg. etc. R. a. nepotum ad Tiberium pertinet, non ad matrem Tiberii; itaque distinctionem sustuli. *Rudis nepotum* est nondum expertus suavitatem e nepotibus, qui solent prope cariores et dulciores esse filiis. Ern.

Adprehensis. Cod. *adprensis*: quod non ausus sum recipere, ob ea, quæ dixi ad 3, 53. quæ multo magis

tolleret, sibique et posteris conformaret : erepto Druso, preces ad vos converto, diisque et patria coram obtestor, Augusti pronepotes, clarissimis majoribus genitos, suscipite, regite : vestram meamque vicem explete. Hi vobis, Nero et Druse, parentum loco. Ita nati estis, ut bona malaque vestra ad rempublicam pertineant. »

IX. Magno ea fletu, et mox precationibus faustis, audita : ac, si modum orationi posuisset, misericordia sui gloriaque animos audientium impleverat : ad vana, et totiens irrisa revolutus, « de reddenda republica utque consules, seu quis alius, regimen susciperent, » vero quoque et honesto fidem dempsit. Memoriæ Drusi eadem, quæ in Germanicum, decernuntur, plerisque additis, ut ferme amat posterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illustre fuit, cum origo Juliæ gentis, Æneas, omnesque Albanorum reges, et conditor urbis Romulus, post Sabina nobilitas, Attus Clausus, ceteræ-

in hoc verbum conveniunt. Nec ipse Jac. Gronovius recepit. Ern.

Conformaret. Sic MS. edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi, post irrepsit vitio operarum *confirmaret*, quod est in Lipsianis, quas vidi, solenni confusione illorum verborum, de qua vide dicta in Clave Cic. Pichena restituit *conformaret*, idque Gronovius et Ryckius secuti sunt. *Conformaret sibi et posteris*, i. e. monendo, fovendo redderet dignos se patruo, et honestos posteris atque utiles. Si *confirmaret* magis placeat, sensus est, fovendo, provehendo efficeret, ut in iis et ipse et posteritas subsidia haberet. Ern. Heinsius explicat *confirmaret*, educaret, aleret. Sed rectius omnino *conformaret*. — Malim *confirmaret*, i. e. fidos amicosque redderet. Sic 1, 71. H. 5, 4. Sallust. Jug. 45. *Exercitum brevi confirmavit.* Wopk.

Plerisque additis. Multis, pluribus, de consuetudine hujus ætatis. Sic Suet. Cæs. 52. et multis aliis locis. Noster infra c. 20. *pleraque in melius flexit*, ubi recte Muretus interpretatur *multa*. Ita 6, 22. 11, 8. H. 4, 61. Immo sic jam Nepos Timoth. 4. Cic. de Invent. 1, 36. De Off. 1, 14. et pro Sextio c. 35. Wopk. Sic et Sall. ubi plura.

Posterior adulatio. Opponitur adulationi recenti, et ejus initiis, quæ sunt modestiæ retinentiora. Ern.

Appius Clausus. Lego *Attus Clausus*, vel *Attus*. Adi lib. 12. Annal. Lips. *Attus* est in MS. ut etiam 12, 26. MSS. habent. Itaque Pichena, et qui post ediderunt, receperunt. Recte, ut enim Gronovius judicat, qui se

que Claudiorum effigies, longo ordine spectarentur.

X. In tradenda morte Drusi, quæ plurimis maximeque fidis auctoribus memorata sunt, retuli: sed non omiserim eorumdem temporum rumorem, validum adeo, ut nondum exolescat. « Corrupta ad scelus Livia, Sejanum Lygdi quoque spadonis animum stupro vinxisse: quod is ætate atque forma carus domino, interque primores ministros erat, deinde, inter conscios ubi locus veneficii tempusque composita sint, eo audaciæ provectum, ut verteret, et, occulto indicio Drusum veneni in patrem arguens, moneret Tiberium, vitandam potionem, quæ prima ei, apud filium epulanti, offerretur: ea fraude tum

5. *Eo audacius provectum, ut verteret et occulto indicio.* Forte *eo audaciæ provectum veteratorem, ut occulto:* vel, *ut veterator.* Possis et *eo audaciæ provectum veteratoriæ. Veteratoris* vocabulum Ciceroni familiare. — 6. *Ea fraude tum senem.* Tò *de* in *fraude* cum iterandum esset, supinus librarius, omisit, et subsequentem syllabam *cap.* Scribendum quippe, *ea fraude deceptum senem.* Possis et, *ea fraude illectum senem.*

consuli vult ad Liv. 2, 16. adde viros doctos ad Suet. Tib. 1. Ante erat in edd. *Appius.* Ern. Cf. et 11, 24.

Corrupta ad scelus. Ad interitum mariti struendum. Corruperat eam Sejanus adulter, ut ejus opera ad tollendum Drusum uteretur. Qui de adulterio accipiunt, non cogitant, id jam esse in voce *corrupta*, et *flagitium* potius dicturum Tacitum fuisse, si hoc voluisset. Ern.—*Scelus* pro cæde scelesta. Sic 6, 33. 12, 47. 16, 23. H. 1, 22. Agric. 45. Wopk.

Vinxisse. Usitatius est in hac re compositum *devincire.* Cic. Planc. 15, 18. *largitione devincire tribus.* Cluent. 64. *ut eum nuptiis alligatum simul, et testamenti spe devinctum possit habere in potestate.* Sed Tacitus simplicia compositis in multis præfert. Vid. ad 3, 55. et 6, 45. *pacto matrimonio vincire:* quamquam et devincire dixit, v. c. 12, 64. Ern.

Lygdus. Haud dubie spurium est, et a glossa ortum. Ern. Expunxi igitur post *is.*

Ubi locus tempusque. Sic non modo MS. ut Pichena notavit, et edd. Beroaldi et Aldi, ut J. Gronovius, sed etiam Alciati, Rhenani. Casu in Lipsianis excidit copula, ut opinor, quod alii temere imitati. Sed pro *sint*, vel *sunt*, ut nonnullæ edd. habent, legendum *fuerint*, vel *fuerant*, temporum ratione postulante. Sic mox *postquam convivium inierat.* Mox *verteret*, int. se, consilium. Ern.— Haud necesse est legas *fuerint* vel *fuerunt*: hæc enallage temporis occurrit 14, 11. et passim. Wopk. In Lipsiana Antwerp. 1627. jam restituta est copula.

Ea fraude tum senem..... tradidisse. Valde vereor, ne pro *tum* le-

senem, postquam convivium inierat, exceptum poculum Druso tradidisse; atque illo ignaro, et juveniliter hauriente, auctam suspicionem, tanquam metu et pudore sibimet irrogaret mortem, quam patri struxerat.»

XI. Hæc vulgo jactata, super id, quod nullo auctore certo firmantur, prompte refutaveris. Quis enim mediocri prudentia, nedum Tiberius, tantis rebus exercitus, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu, et nullo ad pœnitendum regressu? Quin potius ministerium veneni excruciaret, auctorem exquireret, insita denique, etiam in extraneos, cunctatione et mora, adversum unicum, et nullius ante flagitii compertum, uteretur. Sed, quia Sejanus facinorum omnium repertor habebatur,

gendum sit *captum*, *inductum*, aut simile quid: sed *captum* optimum. Potuit etiam Tacitus scripsisse *ea captum fraude*: ubi facilior corruptela fuit. Non nego, *ea fraude* simpliciter dici potuisse, et sic intelligi posse, etsi durius foret: sed illud *tum* ab h. l. alienum et frigidissimum. Possis etiam *exceptum* ad fraudem referre: nam id verbum in insidiis dicitur: sed esset alieno loco, et melius ad *poculum* refertur. Ern. Muretus notat, alibi legitur *captum*. Heinsius vult *deceptum*. Non opus. Sana lectio vulgata. *Exceptum* nullo modo ad *fraudem* referri potest. Sic et Wopkens.

Juveniliter hauriente. I. e. avide, strenue, celeriterque, ut ille apud Virgilium, qui *impiger hausit*, Æn. 1, 742. Dixit imitatione Græcorum, qui ναιπικῶς pro *strenue*, acriter, ναιπικὸς pro *strenuus*, *impiger* dicunt. Ern.

Hæc vulgo jactata. Et credita Orosio, qui 7, 3. tradit, Drusum a Tiberio veneno exstinctum. At me non valde movent ejusmodi scriptores, legitimæ historiæ (dicam iratis quorumdam auribus) dehonestamenta. Lips.

Exitium offerret. Sic Cic. pro S. Roscio c. 13. *mortem obtulerit*. Cf. et c. 14. et pro Sextio c. 21. Wort. Vid. et Ter. 5, 1, 14.

Nullo ad pœnitendum regressu. Exquisite dictum pro *ad mutandum, si pœniteret*. Ita *non muto, non pœnitet*, promiscue dicuntur. Vid. Bentleius ad Terent. 1, 1, 13. Livius 24, 26. simili fere sententia; *quod adeo festinatum ad supplicium, neque locus pœnitendi, aut regressus ab ira relictus esset*. quem locum, qui est de liberis Hieronis jussu populi interfectis, haud dubie in animo habuit Tacitus, aut alterum 42, 13. *unde receptum ad pœnitendum non haberent*. Ern.

Facinorum omnium repertor. Sumtum e Virgilio Æn. 2. 164. *sceleruque inventor Ulysses*, ut jam monui

ex nimia caritate in eum Cæsaris, et ceterorum in utrumque odio, quamvis fabulosa et immania credebantur: « atrociore semper fama erga dominantium exitus. » Ordo alioqui sceleris, per Apicatam Sejani proditus, tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est. Neque quisquam scriptor tam infensus exstitit, ut Tiberio objectaret, cum omnia alia conquirerent intenderentque. Mihi tradendi arguendique rumoris caussa fuit, ut, claro sub exemplo, falsas auditiones depellerem, peteremque ab iis, quorum in manus cura nostra venerit, ne divulgata atque incredibilia, avide accepta, veris, neque in miraculum corruptis, antehabeant.

XII. Ceterum, laudante filium pro rostris Tiberio,

Muretus: ubi cod. Græv. habet *repertor*. Vid. ibi Burm. ERN.

Et immania credebantur. Alios libros *inania* habere, ait Muretus: nescio quos. Sed vulgatum verum esse, sequentia docent. ERN.

Atrociore semper fama. Id valet, spargi plurimum et credi atrocia aut tragica, de morte dominantium. LIPS.

Per Apicatam Sejani proditus. Sic dictum, ut ab eodem Virgilio *Hectoris Andromache*, Muretus notavit. ERN.

Claro sub exemplo. Sic Plin. Ep. 2, 6. 3, 18. WOPK.

Falsas auditiones. De rumoribus dixit etiam Cicero Planc. 23. *fictas auditiones. Depellerem* est repudiandas, rejiciendas docerem, monerem. ERN.

Quorum in manus cura nostra venerit. Haud scio, qui sint illi antiqui in quibus Muretus esse dicit *scripta*. Sed *cura* sic ut 3, 24. *si effectis, in quæ tendi, plures ad curas vitam produxero.* Ovidius de Ponto 4, 16, 38. *quorum quod inedita cura est*, ex felicissima restitutione Heinsii. Idem 2, 4, 16. *Hoc pretium curæ dulce recentis erat.* Martialis 10. ep. 2. *Festinata prior decimi mihi cura libelli.* GRON.

Laudante filium. Velo quidem interposito, ne pontificis maximi oculi adspectu cadaveris funestarentur. Seneca Consol. ad Marciam 15. *Tiberius Cæsar, et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit. Ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque, in conspectu posito corpore, interjecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret.* Recenset eumdem ritum Dio 54, 28. in funere Agrippæ, sed caussam ejus ignorare fatetur, et quam Seneca dedit, refellit. Verba sunt: Τὸν τε λόγον τὸν ἐπ' αὐτοῦ εἶπε, παραπέτασμά τι πρὸ τοῦ νεκροῦ παρατείνας; ὅπερ ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα διὰ τί ἐποίησεν· εἴρηται δὲ ὅμως τοῖς μὲν, ὅτι ἀρχιερεὺς ἦν, τοῖς δὲ, ὅτι τὰ τῶν τιμητῶν

senatus populusque habitum ac voces dolentum, simulatione magis, quàm libens, induebat, domumque Germanici revirescere, occulti lætabantur. Quod principium favoris et mater Agrippina, spem male tegens, perniciem adceleravere. Nam Sejanus, ubi videt, mortem Drusi inultam interfectoribus, sine mœrore publico esse, ferox scelerum, et quia prima provenerant, volutare secum, quonam modo Germanici liberos perverteret, quorum non dubia successio. Neque spargi venenum in tres poterat, egregia custodum fide, et pudicitia Agrippinæ impenetrabili. Igitur contumaciam ejus insectari, vetus Augustæ odium, recentem Liviæ conscientiam exagitare, « ut superbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi, » apud

7. *Ut superbiam fecunditate subnixam. Superba jam fecunditate subnixam.*

ἔπραττεν. Οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν· οὔτε γὰρ τῷ ἀρχιερέῳ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν, οὔτε τῷ τιμωτῇ, πλὴν ἂν τὸ τέλος ταῖς ἀπογραφαῖς μέλλῃ ἐπάξειν. Hæc Dio; sed ego existimo, de pontifice Senecam vera dicere; sacer enim; ideoque non ipsum solum arceri aspectu funesto, sed et statuas deorum voluerunt. Quæ si in loco positæ, ubi supplicia et cædes, velari eas mos fuit, aut transferri. Notat ipse Dio 60, 13. *Claudius*, inquit, *delectabatur gladiatoribus, et præsertim meridianis. Ideo plerosque servos, qui dominos sub Caio aut Tiberio calumniati erant, hoc modo perdebat. Eorumque tantus fuit numerus, ut Augusti statuam eo loci positam jusserit transferri; ne aut semper adspiceret cædes, aut et semper velata esset.* Ceterum de pontifice, in Judæorum ritu, simile Philo notat, de Monarchia 2. p. 827. *a cadavere arceri.* Lips.

Revirescere. Sic MS. sic vett. edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi. In lipsianam editionem vitio operarum, aut correctoris, irrepsit *reviviscere*; non etiam tacitus recepisset et contra libros Lipsius: unde in sequentes edd. venit: donec vetus restituit J. Gronov. Adde H. 3, 7. Ern.

Spargi venenum. Verbum proprium in ea re, quo usus etiam Cicero Catil. 2, 10. *qui spargere venena didicerunt.* Ern.

Exagitare. Irritare, instigare. Sic *plebem exagitare* dixit Sallust. Catil. 38. Ceterum sensus est; et Augustam odio vetere, et Liviam recentis sceleris conscientia instigavit: usus est callide odio Augustæ et conscientia Liviæ, ut eas incitaret in Agrippinam, permoveretque, ut eam arguerent etc. Ern.

Ut superbiam, fecunditate. Muretus emendabat *superbam* sic: su-

Cæsarem arguerent. Adque hæc callidis criminatoribus, (inter quos delegerat Julium Postumum, per adulterium Mutiliæ Priscæ inter intimos aviæ, et consiliis suis peridoneum, quia Prisca in animo Augustæ valida) anum, suapte natura potentiæ anxiam, insociabilem nurui efficiebat. Agrippinæ quoque proximi illiciebantur, pravis sermonibus tumidos spiritus perstimulare.

8. *Atque hæc callidis criminationibus.* Forte *jacta* vel *jactaque hæc.* Vide notas supra ad 3, 29.

perbam fecunditate, subnixam popularibus studiis inhiare dominationi; quod etiam placebat Grutero, mihique verissimum videtur. *Subnixa* melius et magis e consuetudine Latinorum referretur ad *popular. studiis* quam ad *fecunditate. Subnixus opibus* dixit, ni fallor, Livius. Quintil. 6, 3. *fultus ope.* Noster 11, 1. *propinquitatibus validis subnixus:* et sic alibi quoque. Ern. Placet et mihi Mureti lectio; tuendæ tamen priori, vide 13, 14. 3, 24. H. 1, 17. Wopk.

Atque hæc callidis criminatoribus. Acidalius *Adque hæc*, vel *Ac super hæc*, vel *Adhæc.* Rectissime. Nam alias constructio et sensus non constant. Novum artificium narrare incipit. *Atque* et *adque* in libris permutari notum est. Itaque non dubitavi rescribere: *adque.* Broterius hanc correctionem non probabilem dicit, sed nulla caussa commemorata: nec serie orationis vulgatæ demonstrata, quam nos nullam videmus. Ern. Crollius pristinæ lectioni *atque* adhæret, *hæc* a *callidis* regi autumat eo modo ac sensu, quo *artes edoctos, rem gnaros* dicimus. Sic verbum *efficiebat* ad Sejanum referendum, quod et ex Acidalii mente respicit. Alia ratione vulgatum tuetur Barthius in versione Germanica; hæc ipsi Livia est, non improbabili conjectura. — * Sic *atque.* c. 34. et 6, 9 et 29. Wopk.

Julium Postumum. Estne ille, qui præfectus Ægypto postea? de quo Romæ lapis (ap. Grut. 113, 1.) PRO. SALVTE. TI. CLAVDI. CÆSARIS. AVG. GERMANICI. PONT. MAX. TRIB. POT. VII. COS. IIII. IMP. XV. P. P. CENSORIS.... LIBERORVMQVE... EX. VOTO. SVSCEPTO. C. IVLIVS. SEX. F. COR. POSTVMVS. PRÆF. ÆGYPTI. Vix puto. Claudii enim ævo ille floruit, non hoc Tiberiano. Lips.

Mutiliæ Priscæ. Freinshemius putat eandem esse, quæ vitiose apud Dionem 58, 4. Πουτιλία Πρίσκα, facili ob similitudinem literarum lapsu, pro Μουτιλία, C. Gemini Rufi uxor. Ern. Falli Freinshemium Ryckius inde probat, quod Prisca Taciti, adultera; Dionis, mariti amantissima fuit.

Pravis sermonibus t. s. perstimulare. Sic apud Livium, quamquam de alius ingenii homine, Demetrio, 40, 23. *missus hic comes, cum simplicitatem juvenis incauti, et suis haud immerito succensentis, assentando, indignandoque et ipse vicem ejus, captaret.* Ern.

XIII. At Tiberius, nihil intermissa rerum cura, negotia pro solatiis accipiens, jus civium, preces sociorum tractabat: factaque, auctore eo senatusconsulta, « ut civitati Cibyraticæ apud Asiam, Ægiensi apud Achaiam, motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. » Et Vibius Serenus, proconsul ulterioris Hispaniæ, de vi publica damnatus ob atrocitatem morum, in insulam Amorgum deportatur. Carsidius Sacerdos, reus, tanquam frumento hostem Tacfarinatem

9. *Carsius sacerdos.* An *Carisius?*

Ægiensi. In MS. est *Ægiensi*, unde Beroaldus dedit *Æginensi*. Sed Rhenanus, Aldus, et secuti dedere *Ægirenses*. Utrum vitium sit typographicum in ed. Rhenani pro *Æginensi*, an data opera sic correctum sit, quia *Ægina*, nulla in Achaia, sed *Ægira*, non pro certo dicam: quamquam magis in hoc inclino. Sed Tacitus etiam potuit dedisse *Ægiensi* ab *Ægio*, Achaiæ urbe, nobilitata quondam concilio Achæorum Liv. 38, 30. idque præfert J. Gron. Itaque et recepi, quippe magis consentaneum lectioni codicis, quam est altera illa correctio. Ern. Rhen. data opera posuit *Ægirensi*; nam et in margine addidit *Ægira*. Ceterum parum refert, *Ægirensi* an *Ægiensi* legas.

Proconsul ulterioris Hispaniæ. Id est Bæticæ, quæ populo relicta, et ideo in ea proconsul. Plura distinctius de Hispaniæ divisione infra ad II. 1, 13. Lips. Cod. *procons.* Unde Beroaldus expressit *proconsule*: quod secutus est Jac. Gronovius: at vide quæ dixi ad 2, 52. Certe ex hujus loci scriptura nihil definiri potest. Ern.

Ob atrocitatem temporum. Placet olim emendatio, *atrocitatem morum*. Quam velim distinctione juvari hoc modo: *de vi publica damnatus ob atrocitatem morum, in insulam.* Facilis exscribentium lapsus repetitione syllabæ, *tem morum*. Etsi non sum ignarus, a Suetonio *temporum atrocitatem* dictam, Calig. 6. sed hic, ut censeo, parum opportune. Puto autem pertinuisse ad Serenum caput hoc legis Juliæ: *Julia de vi publica tenetur, qui, cum imperium potestatemve haberet, civem R. adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusserit ve quid fieri, aut quid in collum injecerit ut torqueatur.* Lips.

Carsius Sac. Sic MS. et edd. Reinesius in margine scripsit: *an Carsidius?* ex inscr. ap. Grut. p. 767, n. 10. ubi hæc ipsa conjectura Reinesii adscripta in ed. sec. adjuvatur non parum observatione ad 2, 63. sed multo certiori argumento intelligitur, *Carsidius* esse legendum ex 6, 48. ubi *Carsidius sacerdos*: sic enim ibi scribendum, non *Grasidius*. Itaque non dubitavi recipere in textum. Ern.

juvisset, absolvitur; ejusdemque criminis C. Gracchus. Hunc comitem exsilii, admodum infantem, pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat. Illic adultus, inter extorres et liberalium artium nescios, mox per Africam ac Siciliam mutando sordidas merces sustentabatur: neque tamen effugit magnæ fortunæ pericula. Ac, ni Ælius Lamia, et L. Apronius, qui Africam obtinuerant, insontem protexissent, claritudine infausti generis, et paternis adversis foret abstractus.

XIV. Is quoque annus legationes græcarum civitatum habuit: Samiis « Junonis, » Cois « Æsculapii delubro, vetustum asyli jus ut firmaretur, » petentibus. Samii decreto Amphictyonum nitebantur, quis præcipuum fuit rerum omnium judicium, qua tempestate Græci, conditis per Asiam urbibus, ora maris potiebantur. Neque dispar apud Coos antiquitas; et accedebat meritum ex loco. Nam cives romanos templo Æsculapii induxerant, cum, jussu regis Mithridatis, apud cunctas Asiæ insulas et urbes, trucidarentur. Variis dehinc et sæpius irritis prætorum questibus, postremo Cæsar « de immodestia histrionum » retulit: « multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari: Oscum quondam

Pater Sempronius. Qui adulter in Julia, supra 1, 53. Lips.

Sordidas merces. I. e. quarum mutatio sordida homini nobili genere nato. Vivebat e questu sordido, i. e. indigno nobilitate sua. Non tam ad merces, aut certum mercium genus respicitur, sed ad mercaturam universam, quæ sordida putabatur et indecora nobili homini. Sic mox c. 14. *levissima oblectatio*, est hominum levium, indigna gravi viro. Ern.

Neque tamen. Sic Gron. ex codice.

Decreto Amphictyonum. De hoc concilio Græciæ, quod bis quotannis, vere et autumno, celebratum, missis civitatum legatis, cognoscere licet e Demosthenis Or. de Corona, c. 49, 50, 51. Copiosa de Amphictyonibus collectanea dedit Van Dalen in Diss. ad antiq. et marmora Diss. 6. Ern.

Oscum ludicrum. Quod celebratum Romæ, non romana lingua: Strabo 5. p. 233. Ἴδιόν δὲ τι τοῖς

ludicrum, levissimæ apud vulgum oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. » Pulsi tum histriones Italia.

XV. Idem annus alio quoque luctu Cæsarem adficit, alterum ex geminis Drusi liberis exstinguendo : neque minus morte amici. Is fuit Lucilius Longus, omnium illi tristium lætorumque socius, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. Ita, quamquam novo homini, censorium funus, effigiem apud forum Augusti, pu-

Ὀσκοις καὶ τῷ τῶν Αὐσονίων ἔθνει συμβέβηκε. Τῶν μὲν γὰρ Ὀσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις· ὅστε καὶ ποιήματα συνυφαίνεσθαι κατὰ τινα ἀγῶνα πάτριον, καὶ μιμολογεῖσθαι. Censent idem cum Atellanis ludis : nec errant. Nam Atella, Oscorum urbs. Sermo autem oscus, diversus a latino. Titinnius ap. Festum in v. Oscum : *qui osce et volsce fabulantur, nam latine nesciunt.* Quo et Campani usi videntur, et, ut Livius alibi me docet, Samnites. Lips. Adde Liv. 7, 2. Ceterum de pantomimorum saltatione sermo est, de qua dictum ad 1, 54. cf. ad 14, 21. Ern. Oscæ linguæ specimen docte exponit J. B. Passerius. fol. Rom. 1774.

Lucilius. Sic Gron. ex cod. prius erat *Lucillius.*

Censorium funus. Quæri video, quid sit censorium funus. Vertranius censuit, id esse, in cujus ninniam pompam, ut in opus censorium, animadvertere censoribus licuisset, nisi jussus prætoris adfuisset. Nimis velim, ad manum mihi laurus sit, quam mordeam : ita præcordia mihi saliunt ad risum. Alii idem putant funus publicum, funus censorium, funus indictivum. Non audio; arbitror ego, funus publicum et indictivum eadem : nec aliud esse, quam cum denuntiatur et indicitur publicitus per præconem. Censorium, partem ejus esse; id est, ut omne censorium funus publicum sit, (qui enim aliter honoratum esse potest?) at non omne publicum, censorium. Ut inter magistratus honoratissimi censores, isque cumulus quasi reliquarum dignitatum; sic inter funera illud primo loco. Itaque Capitolinus de Pertinace, 15 : *Funus imaginarium ei et censorium ductum est, et ab ipso Severo funebri laudatione honoratus est.* Tacitus de Sabino fratre imperatoris H. 4, 47. *Funusque censorium Flavio Sabino ductum.* Et 13, 2, *Decretum Claudio censorium funus et mox consecratio.* Qua ergo nota eximium hoc funus? Credo ista, ut omnia in eo purpurea essent, vestes stragulaque; in aliis, tantum purpura prætexta. Non obscure annuere mihi videtur Polybius 6, 53. Postrema ejus loci græce sic habent : Ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ἢ γεγονὼς, περιπορφύρους (intellige ἐσθῆτας λαμβάνουσι) ἐὰν δὲ στρατὸς, πορφυρᾶς, ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβεύσας, διαχρύσους. Publico autem funeri opponitur tacitum, id est, sine pompa,

blica pecunia patres decrevere : apud quos etiam tum cuncta tractabantur, adeo ut procurator Asiæ, Lucilius Capito, accusante provincia, caussam dixerit, magna cum adseveratione principis, « non se jus, nisi in servitia et pecunias familiares, dedisse : quod si vim prætoris usurpasset, manibusque militum usus foret, spreta in eo mandata sua : audirent socios. » Ita reus, cognito negotio, damnatur. Ob quam ultionem, et quia priore

sine designatore, sine ludis, præcone, indictione, silens et quietum. Seneca de Tranquill. 1, 1. *Quid opus est sæculis duratura componere ? Vis tu nunc id agere, ne te posteri taceant ? Morti natus es, minus molestiarum habet funus tacitum.*

ADD. E Polybii verbis suspicere, distinctum censorium funus a triumphali fuisse, et hoc dignius. Mihi ita non videtur. Primum, quia nemo Latinorum triumphale nominat. Deinde, quia censorium reperio principibus ipsis ductum, ut Claudio, ut Pertinaci, quos constat honestissimo affectos. Tertio, quia illa ipsa ornamenta, quæ triumphali tribuit Polybius, reperire est in isto. Vide Xiphil. in Severo 74, 4. Currum huic intervenisse, ritu triumphantium, non opinor. Nam quod in Propertio legis 4, 11, 102. *Cujus honoratis ossa vehantur equis* : verius est, *aquis*. Et ille ipse poeta superiori ejus libri elegia, in amne infero distinxit duplices sedes et navigationes. Quod in Dione etiam 56, 34. scriptum, funere Augusti imaginem ejus unam (tres enim fuerunt) vectam ἐφ' ἅρματος πομπικοῦ, id est, *curru triumphali*, ut interpretes volunt : ego mallem, *curru pompali*, et carpentum intellegam, quo per pompam circensium dii transvecti. Hoc enim novi honoris genus apposite tributum novo divo. Lips. Idem sentit Casaubonus ad Capitolin. Pert. c. 15. Idemque deinde *funus regium, imperatorium* dictum. Nempe etiam *censorium* omnino dictum est de eo, quod esset honoratissimum, pulcherrimum, ut docet Salmasius ad Capitolin. Anton. Phil. c. 22. Ryckius tamen sequitur Gutherium, qui de i. man. 2, 2. publicum et censorium nil differre putat. Eorum sententia adjuvatur duabus rationibus : prima, quod Dio 58, 19. L. Pisoni præf. urbis tribuit δημοσίαν ταφήν, noster Ælio Lamiæ præf. urbis *censorium funus* δ, 27. altera, quod ib. 11. præfectus urbi effertur *publico funere*, ib. c. 27. alius præfectus *censorio*. An dicemus, Dionem genus pro specie posuisse ? non eodem funere sepultos Pisonem et Lamiam ? Non credo. Clarum autem erit comparanti, Dionem ibi exscripsisse Tacitum. Ern. Vide porro Cic. Phil. 9. 7. Spartian. in Sev. 7.

Apud forum Augusti. Ubi in utraque porticu ab ipso Augusto locatæ statuæ omnium veterum ducum. Suet. 31. Lips.

Procurator Asiæ. Eadem omnia e Tacito Dio 57, 23. Lips.

Damnatur. Exilio. Dio 57.

anno in C. Silanum vindicatum erat, decrevere Asiæ urbes « templum Tiberio matrique ejus ac senatui. » Et permissum statuere : egitque Nero grates ea caussa patribus atque avo, lætas inter audientium adfectiones, qui, recenti memoria Germanici, illum adspici, illum audiri rebantur : aderantque juveni modestia ac forma, principe viro digna, notis in eum Sejani odiis, ob periculum gratiora.

XVI. Sub idem tempus, « de flamine Diali, in locum Servii Maluginensis defuncti legendo, simul roganda nova lege » disseruit Cæsar. « Nam patricios, confarreatis parentibus genitos, tres simul nominari, ex

Templum T. m. q. e. ac s. Huc facit numus smyrnensis, in quo hinc Tiberius, illinc Livia et senatus. V. Spanh. de Præst. NN. t. 1, p. 139

Et permissum statuere. Int. templum, quod decreverant. Nam non licuit tales honores, ut templa, dies festos, in honorem Cæsarum instituere et usurpare, nisi præsciis et consentientibus ipsis. Atque interdum etiam res negata est. V. infra c. 37. Ern.

Egitque N. grates.... gratiora. Paschal. in margine : *aut desunt hic multa, aut hæc supra reponenda sunt post illa* (c. 9.) *fidem dempsit.* Negari nequit, commode illuc referri posse, neque, ubi leguntur, bene necti cum præcedentibus, sed vix crédibile, a librariis transpositionem factam tanto intervallo.

Nam patricios confarreatis parentibus. Non alibi tam expressi ritus in legendo Diali. Ait, *patricios.* Quia, cum quindecim flamines essent, ex iis tres primi, instituti a Numa, non nisi ex patribus legebantur : idque majores dicti : alii etiam e plebe, appellatique flamines minores. Addit, *confarreatis parentibus*, quia, ut Plinius ait 18, 3. *in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat.* Triplex enim matrimonii contrahendi mos, usu, farre, coemptione. Antiquissimum genus, farre videtur, quod Dionysius 2, 25. adpellat γάμον κατὰ τοὺς ἱερεῖς νόμους : eratque necessum, non solum flaminem nasci confarreatis parentibus, sed et ipsum cum flaminica farre jungi. Servius Danielis in excerptis a Pithœo ad Georg. 1, 31., *Tribus modis apud veteres nuptiæ fiebant; usu, si, verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset; farre, cum per pontificem max. et Dialem flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur : unde confarreatio appellatur, ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur; coemptione vero atque in manum conventione, cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat, ut, si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis justum alteri faceret.* Iterum ad Æn. 4, 104 *Quid*

quis unus legeretur, vetusto more; neque adesse, ut olim, eam copiam, omissa confarreandi adsuetudine, aut inter paucos retenta. Pluresque ejus rei caussas adferebat : potissimam penes incuriam virorum feminarumque : accedere ipsius cærimoniæ difficultates, quæ consulto vitarentur : et quando exiret e jure patrio, qui id flaminium apisceretur, quæque in manum flaminis conveniret. Ita medendum senatus decreto, aut lege, sicut Augustus quædam ex horrida illa antiquitate ad præsentem usum flexisset. » Igitur tractatis religionibus, placitum, « instituto flaminum nihil demutari. » Sed lata lex, qua « flaminica Dialis, sacrorum caussa, in

enim est aliud dextræ, quam in manum convenire; quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur : quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem et flaminicam jure pontificio in matrimonium necesse est convenire. Et ib. ad v. 374. *Mos fuit flamini ac flaminicæ, ut per farreationem in nuptias convenirent, sellas duas jugatas, ovili pelle superinjecta poni ejus ovis, quæ hostia fuisset : et ibi nubentes velatis capitibus in confarreatione flamen ac flaminica residerent. Confarreationes autem tonitru dirimit.* Pulchræ reliquiæ. Adde Festum in *Diffarreatio*, et Arnobium lib. 4. *Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis. Usu, farre, coemptione, genialis lecluli sacramenta conducunt.* Lips.

Et, quando exiret. Defectum locum censeo, et deesse quæ ad cæremoniarum difficultatem pertinent. Qui cautus cæremoniæque flaminio adjunctæ, habes apud A. Gellium 10, 15. Lips. Aliter sentio cum Vertranio, Mercero, aliis, qui locum integrum putant. *Quando* est *quia*, ut sæpe apud nostrum, quod et notavit Muretus. Tres caussas commemorat Tacitus : in quibus tradendis variat, more suo, formam loquendi. Jac. Gronovius testatur in codice esse *accederet*, unde colligit, Tacitum scripsisse *accedere et ipsius c.... et quando*. Ern.

Flaminica Dialis. Flaminia, appellari mulier ipsa videtur, ex lapide prisco MARCELLA. FLAMINIA. AVGUSTÆ. Lips. Flaminiam alii distingui volunt e Festo, qui flaminiam facit sacerdotulam, quæ flaminicæ præministret. Sed monimenta antiqua non consentiunt. In Inscr. ant. ap. Reines. Cl. 5. n. 48. memoratur *flamen Martialis et Æmilia Flaminia uxor.* et insc. 49. *Flavia Flamina Flavial.* ubi v. Reinesium. Ern. In lapide ap. Smetium Ins. ant. f. 77, 12. legitur male *Flamina*, sed in indice emendatum : *Flaminica*, ad quod non attendit Grut. p. 459, 9.

potestate viri, cetera promiscuo feminarum jure ageret. » Et filius Maluginensis patri suffectus. Utque glisceret dignatio sacerdotum, atque ipsis promptior animus foret ad capessendas cærimonias, decretum « Corneliæ virgini, » quæ in locum Scantiæ capiebatur, « HS. XX. et quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter vestalium consideret. »

XVII. Cornelio Cethego, Visellio Varrone coss. pontifices, eorumque exemplo ceteri sacerdotes, cum « pro incolumitate principis » vota susciperent, *Neronem* quoque et *Drusum* iisdem diis commendavere; non tam caritate juvenum, quam *adulatione* : quæ « moribus corruptis perinde anceps, si nulla, et ubi nimia est. » Nam Tiberius, haud unquam domui Germanici mitis, tum vero « æquari adolescentes senectæ suæ, » impatienter indoluit : accitosque pontifices percunctatus est, « num id precibus Agrippinæ, aut minis, tribuissent. » Et illi quidem, quamquam abnuerent, modice perstricti, (etenim pars magna e propinquis ipsius, aut primores civitatis erant). Ceterum in senatu oratione monuit in posterum, « ne quis mobiles adolescentium animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret. » Instabat

Maluginensis. Cf. 3, 58, 71.

HS. XX. Lege : *sestertium vicies*. Nam plus esse debet, quam antea datum, quia dignationem augere, et cupiditatem capessendi sacerdotii injicere voluit. Atqui antea 2, 86. jam dederat *decies sestertium* : ergo jam duplum. Ern.

Sedes inter vestalium. Quibus locus e regione prætoris. Suet. Aug. 44. *Solis virginibus vestalibus locum in theatro separatum, et contra prætoris tribunal dedit*. Lips.

Vota susciperent. De quibus dicam 16, 22. Exc. B. Ceterum notat Dio 57, 24. hoc anno prima decennalia Tiberii Cæsaris celebrata : quorum originem pete ab eodem scriptore 53, 16. Lips.

Mobiles adolescentium animos. Qui adhuc inclinare se in partem deteriorem possent, neque ita cogniti essent, ut de eorum constantia certi esse possent. Suet. Tib. 54. de eadem re : *non debere talia præmia tribui, nisi expertis et ætate provectis*. Adde

quippe Sejanus, incusabatque « diductam civitatem, ut civili bello: esse, qui se partium Agrippinæ vocent: ac, ni resistatur, fore pluris: neque aliud gliscentis discordiæ remedium, quam si unus alterve maxime prompti subverterentur. »

XVIII. Qua caussa C. Silium, et Titium Sabinum adgreditur: amicitia Germanici perniciosa utrique; Silio et, quod ingentis exercitus septem per annos moderator, partisque apud Germaniam triumphalibus sacroviriani belli victor, quanto majore mole procideret, plus formidinis in alios dispergebatur. Credebant plerique, auctam offensionem ipsius intemperantia, immodice jactantis, « suum militem in obsequio duravisse, cum alii ad seditiones prolaberentur: neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus cupido novandi fuisset. » Destrui per hæc fortunam suam Cæsar, imparemque tanto merito rebatur. Nam « beneficia eo

quæ ipse de se dixit apud Sueton. 67. quare, patris patriæ appellationem sibi dari nollet. Hæc non dixissem, nisi viderem, Acidalium hic hæsisse. Ern. Acidal. putabat legendum *nobiles*. — * Improbat Wopkens. qui citat Liv. 6, 34. *parvis mobili rebus animo*.

Maxime prompti. Cicero 2. ad Famil. ep. 18. *tres fratres, summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere iratos*. Justinus 22, 2. *ex plebe quoque locupletissimos et promptissimos interficit*. Noster in Agricola 3. *multi fortuitis casibus, promptissimus quisque sævitia principis interciderunt*. Gron. Ceterum temporum ratio desiderat *subvertantur*. Ern. — Sed enallage sueta. Wopk.

C. Silium et Titium Sabinum. *Titurium Sabinum* Muretus legendum putat; quo nomine fuit quidam D. Julii Cæsaris legatus. Ern. Vide B. G. 5, 24. Noti quoque sunt NN. Titurii Sabini in NN. fam.

Silio et, quod. Sic interpungendum, ut jam monuit Acidalius: Silio etiam hæc caussa perniciei, hoc perniciosum fuit. etc. Ern. De Silio v. 1, 32. 2, 6. 3, 43.

Quanto majore mole procideret. Quanto majoris dignitatis, et gloriæ esset, quantoque altiore adeo e fastigio rueret. Notum illud Claud. in Ruf. 1, 22. *tolluntur in altum, Ut lapsu graviore ruant*. Ern. *Procideret* Muretus dedit; legebatur *procederet*.

Dispergebatur. Ita Pichena e cod. prius erat *dispergatur*.

usque læta sunt, dum videntur exsolvi posse: » ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.

XIX. Erat uxor Silio Sosia Galla, caritate Agrippinæ invisa principi. Hos corripi, dilato ad tempus Sabino, placitum: immissusque Varro consul, qui, « paternas inimicitias » obtendens, odiis Sejani per dedecus suum gratificabatur. Precante reo « brevem moram, dum accusator consulatu abiret, » adversatus est Cæsar: « solitum quippe magistratibus, diem privatis dicere: nec infringendum consulis jus, cujus vigiliis niteretur, ne quod respubl. detrimentum caperet. » Proprium id Tiberio fuit, scelera nuper reperta priscis verbis obtegere. Igitur multa adseveratione, quasi aut legibus cum Silio ageretur, aut Varro consul, aut illud respubl. esset, coguntur patres; silente reo, vel, si defensionem cœptaret, non occultante, cujus ira premeretur. « Conscientia belli Sacrovir diu dissimulatus, victoria per avaritiam fœdata, et uxor Sosia, » arguebantur: nec dubie repetundarum criminibus hærebant: sed cuncta quæstione majestatis exercita, et Silius

Prograția odium redditur. Seneca epist. 19. *Quidam quo plus debent, magis oderunt. Leve æs alienum debitorem facit: grave, inimicum.* Lips.

Multa adseveratione. Cum magna severitatis et gravitatis specie, nove dictum. Cf. c. 42. et 6, 2. Ern. Item 13, 18.

Aut Varro consul. Harlæus corrigit *per Varr. consulem.* At tu cave tam infeliciter corrigenti auscultes. Cicero 7. Fam. 30. *sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant.* ib. 9. epist. 14. *quem quidem, post te consulem, solum possumus vere consulem dicere.* Et 4. Epist. 1. *te frustra in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum.* Gron. Similiter Cicero in Philippicis sæpe negat consulem esse Antonium. Sed tamen inde sensus commodus non fit. Non enim quæritur, an dignus consulis nomine Varro, sed an, qui consulis potestatem habeat, accusator esse possit, salva æquitate; quod ea prematur reus. Ern.

Uxor Sosia. Iis nominibus, de quibus Cæcina queritur, 3, 33. Ceterum Jac. Gronovius sic vult distingui. *Coguntur patres. Silente reo.... premeretur: conscientia belli.... arguebantur.* Ern.

imminentem damnationem voluntario fine prævertit.

XX. Sævitum tamen in bona, non, ut stipendiariis pecuniæ redderentur, quorum nemo repetebat: sed et liberalitas Augusti avulsa, computatis singillatim, quæ fisco petebantur. Ea prima Tiberio erga pecuniam alienam diligentia fuit. Sosia in exsilium pellitur Asinii

10. *Sed liberalitas Augusti avulsa.* Perplexum. Forte, *liberalitate Augusti palam elusa.* Augustus liberalis. Vide Senecam de Benef. 2, 25. 27. Ann. 5, 5., *Cæsar quæstus apud patres, quod fraude unius senatoris imperatoria majestas elusa publice foret.* 6, 46., *solitus eludere medicorum artes.* Sic *illudere viribus principis* Ann. 15, 42. et alia, in Indice notata. Non alia de caussa fisco addicta Silii bona a Tiberio, quam quod, quæ Silius habebat, Augusti liberalitati magnam partem debebantur: parcus enim Tiberius. *Principem antiquæ parsimoniæ* vocat noster 3, 52. Vide et supra c. 7. Sic *palam* omissum erat 6, 8. Ita *palam* infra c. 30 et 36.

Non ut stipendiariis. Id est, Gallis provincialibus, quos exhauserat. Lips. Alibi *provinciales*, aut *socios* vocat, ut supra c. 13, 15. Sed in omnibus fere provinciis erant civitates tributariæ, sive stipendiariæ. Itaque ab his hoc loco provinciales dicti. Vide, quæ dixi in Clave Cic. in h. v. Ern.

Sed liberalitas Augusti avulsa. Alii aliter, in loco, ut solet, obscuro, et fere intellegunt, avulsis separatisque iis, quæ Augustus dono ei dederat, reliqua petita in fiscum. Ego putarem, illa vel maxime obnoxia fuisse, et ut ab ingrato repetenda. Sed meo judicio, nihil hic de primo Augusto, de Tiberio ipso sermo est: et hic denique avaritiam ejus se revelasse, antea occultam. Legerem pro hoc sensu, *Augusti convulsa.* Supra 3, 18. Tacitus dixit, *Tiberium adversus pecuniam satis firmum fuisse* et alibi sic ostendit. Lips. Recte negat Freinshemius, Tiberium hic intelligi, qui nuspiam a Tacito Augustus vocatur. Obscuritatem loco attulit Taciti consuetudo perpetua, non probata illa meliori ætati, variandæ constructionis in singulis membris. Sensus est: non tam de repetundis accusatus est, cujus crimipis convinci poterat, quam majestatis. Et tamen in bona impetus factus: non quo sociis redderentur, quibus eripuisset: etenim illi non repetebant, nec de repetundis reus fuerat: sed ut Augusti dona, ab hominis ingrati et majestatis convicti bonis avellerentur. Itaque summa facta est omnium, quæ Augustus dedisset, eaque in fiscum petita. Hæc inter se optime cohærent: et ita accepit etiam Freinsh. Computatio facta est nominum, ut in caussa repetundarum fieri solebat: de qua constat e Cic. Verrinis. Adde supra 1, 74. Locus similis est mox 23., *Erat illi prædarum receptor ac socius populandi rex Garamantum: non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis, quæ ex longinquo in majus audiebantur.* Ern. Sic et Brot. Danesius, teste Ursino, ex cod. vet. post *sed* addit *et*, probante Extero. Videtur omnino requiri; adjeci.

Diligentia. Est avaritia, studium

Galli sententia, qui « partem bonorum publicandam, pars ut liberis relinqueretur, » censuerat. Contra M. Lepidus « quartam accusatoribus, secundum necessitudinem legis, cetera liberis » concessit. Hunc ego Lepidum, temporibus illis, gravem et sapientem virum fuisse comperio. Nam pleraque ab sævis adulationibus aliorum in melius flexit : neque tamen temperamenti

pecuniæ augendæ, cupiditas pecuniæ. Sic optimis scriptoribus, sæpe tamen etiam in bonam partem *diligentia* dicitur, ut cum *paterfamilias diligens vocatur*. Cicero Verr. 1, 48, *qui in ea re adventitia et hereditaria tam diligens et attentus esset*. Ern.

M. Lepidus. Sic Ryckius recte. Cf. dicta ad 1, 13. 3, 35.

Secundum necessitudinem legis. Legis, ut censeo, Juliæ de majestate. Nam, quod alii de Papia suspicantur refuto. Dicit a me Tacitus, qui cuncta in hac quæstione exercita scribit lege majestatis. Quarta autem præmium, non in hac solum, sed etiam de repetundis lege. De qua ipsa nihil abnuo, quin hic accipiamus. Asconius in Verrem non uno loco ostendit, quadruplatores dictos a præmio quartæ, quam consequebantur. Innuit ipse Cicero lege et more id receptum. *Non enim*, inquit, *spolia C. Verris, sed existimationem populi rom. concupivi*. Fortasse et in criminibus aliis præmium idem. Ideo vulgare præmium id interpreter in Paullo l. 13. De jure fisci : *Heredem*, ait, *ejus ultra vulgare præmium nihil consecuturum*. De lege majestatis auctor mihi adfirmandi Josephus 19, 2. ubi de servis, quos Caius in dominos emittebat : ῥᾴδιον γὰρ, inquit, ψευσαμένοις τε κατὰ τῶν κυρίων πεπιστεῦσθαι, καὶ τὰ χρήματα ἐνδείξασιν αὐτῶν, ἅμα ἐλευθέροις τε εἶναι καὶ πλουσίοις, μισθῷ τῶν κατηγοριῶν, διὰ τὸ ἆθλα αὐτοῖς προκεῖσθαι τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν. Si octava servo, bene colligo, libero quartam. Nec in servili accusatione aliud capere persuadeor, quam crimen majestatis. Illud moneo, principum ævo, non tam ex lege quam arbitrio senatus præmia decreta. L. 6, 47. *Qua damnata, cum præmium accusatori decerneretur, Junius Otho trib. pl. intercessit*. Sic 16, 12. *Liberto et accusatori præmium operæ* (non pecunia ulla, sed) *locus in theatro inter tribunicios viatores datur*. Interdum certa pecunia attributa, ut Eprio Marcello quinquagies HS. Thrasea damnato : Regulo septuagies HS. et sacerdotium, damnato Crasso, Tacitus A. 16, 33. H. 4, 42. Nec prætereundus hic Dionis locus, qui de præmiis eorum qui Cæsaris percussores accusabant 46, 49. χρήματα, inquit, ἐκ τῆς τοῦ ἁλόντος οὐσίας, καὶ τὴν τιμὴν ἢ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐκείνου, εἴ τινα ἄρα ἔχων ἦν, τό, τε μηκέτι μητ' αὐτὸν, τούς τε υἱεῖς, τούς τε ἐγγόνους αὐτοῦ στρατεύεσθαι, ἐλάμβανον. Ut videantur legis ejus Pediæ exemplo instituta præmia accusatorum. Lips.

Pleraque pro *plerumque*, per græcismum. Wopk.

egebat, cum æquabili auctoritate et gratia apud Tiberium viguerit. Unde dubitare cogor, fato et sorte nascendi, ut cetera, ita principum inclinatio in hos, offensio in illos : an sit aliquid in nostris consiliis, liceatque, inter abruptam contumaciam, et deforme obsequium, pergere iter, ambitione ac periculis vacuum. At Messallinus Cotta, haud minus claris majoribus, sed animo diversus, censuit, « cavendum senatusconsulto, ut quamquam insontes magistratus, et culpæ alienæ nescii, provincialibus uxorum criminibus, perinde quam suis, plecterentur. »

XXI. Actum dehinc de Calpurnio Pisone, nobili ac feroci viro. Is namque, ut retuli, « cessurum se urbe ob factiones accusatorum, in senatu clamitaverat, et spreta potentia Augustæ, trahere in jus Urgulaniam, domoque principis excire ausus erat. Quæ in præsens Tiberius civiliter habuit : sed in animo, revolvente iras, etiam si impetus offensionis languerat, memoria valebat. Pisonem Q. Granius secreti sermonis incusavit, adver-

Mess. Cotta. Cf. 5, 3. 6, 5.

Cavendum SC. Et cautum non dubie hoc anno. Si enim ante; quorsus hæc sententia ? Tamen Ulpianus de officio proconsulis l. 4, 2. decretum id refert ad Cottam et Messallam coss. id est, ad quartum ante annum. Ait: *Proficisci quidem proconsulem melius est sine uxore; sed et cum uxore potest, dummodo sciat senatum Cotta et Messalla coss. censuisse futurum, ut, si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio et vindicta exigatur.* Vir doctissimus (Cujac. Obs. 6, 30.) conatur legere, *senatum Cotta Messalino consulente censuisse.* Acute : sed, me judice, non exsolvet ullum acumen Domitium hac culpa. Lips. Muretus etiam conjicit *censente.* Ern.

Feroci viro. Ex iis, quæ mox et pluribus 1, 12. tradita sunt, appareret, *ferociam* h. l. in bonam partem dici, de homine forti, qui non timeat offensiones potentum, libere dicat, quæ indignitate sua movent animum. Ern.

Ut retuli. Vide 2, 34.

Pisonemque gravius. Mendum arguunt multa. Primum, quod accusator nemo expressus, ut solet : quod Tiberius ipse incusasse eum dicitur, insolens imperatori : quod pars accusationis spreta dicitur, ut atrocior vero : quod non evenisset principe

sum majestatem habiti : adjecitque, « in domo ejus venenum esse, eumque gladio accinctum introire curiam. » Quod, ut atrocius vero, tramissum : ceterorum, quæ multa cumulabantur, receptus est reus; neque peractus, ob mortem opportunam. Relatum et de Cassio Severo exsule, qui sordidæ originis, maleficæ vitæ, sed orandi validus, per immodicas inimicitias, ut judicio jurati senatus Cretam amoveretur, effecerat : atque illic eadem

accusante. Ne quis dicat, non legitimam accusationem fuisse, tantum principis mandatum : ecce addit, *ceterorum receptus est reus, neque peractus ob mortem opportunam.* At reus recipi sine accusatore non potuit. Lego igitur, *Pisonem Q. Granius.* Granii Romæ non ignoti jam inde a Lucilii ævo, apud quem Granius præco : et infra 6, 38. Granius Martianus ; supra 1, 74. Granius Marcellus. Lips.

Venenum esse. Quo fine? an ut Cæsari præberet, an potius ipse in necessitate uteretur? atque ita liberior scilicet, proviso exitu, ferociorque agitaret. Et apparet ita mox factum, ac mortem sumpsisse. Lips.

Reus, neque peractus. H. e. sed accusatio, reo mortuo, non potuit ad exitum perduci, ut reus condemnaretur. Hoc enim sensu hæc ætes dixit *reum peragere* et secuta. V. Budæus ad Pand. p. m. 300. Sed Plinius ep. 3. 9. ter dixit pro *reum facere : Salvius Liberalis legatos graviter increpuit, tanquam non omnes, quos mandasset provincia, reos peregissent.* Atque sic antiquiores dixere. Ovid. Trist. 1, 1, 24. *Et peragar populi publicus ore reus :* ubi male Ciofanus priori sensu capit : nam sequitur : *neu, cave, defendas.* et sic est etiam Pont. 4 ep. 6, 30. Valer. M. 6, 2, 4. ubi itidem male Vorstius. Livius 4, 42 etc. Non igitur simpliciter verum, quod Budæus tradit. Ern.

Cassio Severo. Qui primus flexisse dicitur ab illa recta et vetere dicendi via : quem et historiam scripsisse comperior ex Tertulliani Apolog. 10. et Suet. Vitellio 2. Ejus laudes vide apud Senecam patrem l. 3. Exc. Contr. initio. Lips. Cf. et Quintil. 10, 1.

Per immodicas inimicitias. Suspectum. Lips. Oblatrando, accusando, violento ingenio inimicos sibi sine modo suscitaverat.

Ut judicio jurati senatus. Quod sub Augusto ei accidit, scriptis etiam librisque abolitis. Sueton. Calig. 16. noster 1, 72. Ait *judicio jurati senatus.* Quod erat, cum senatus deum testem advocabat, se censiturum, quod e fide sua reque publica videretur. Livius 42, 21. *Ut juratus senatus decerneret, qui eam rem quæreret decerneretque.* 30, 40. *Patres igitur jurati (ita convenerat) ita censuerunt, uti consules provincias inter se compararent.* Appianus B. C. 2, 127. Τούτου μόνου δεξάμενοι τὸ λεχθὲν οἱ ἕτεροι, ᾔτουν σφίσι ψῆφον ἀναπόθηναι περὶ τοῦ Καίσαρος ἐπὶ ὅρκῳ. Tacitus infra c. 31. *P. Suillium amovendum in insulam censuit tanta con-*

actitando, recentia veteraque odia advertit; bonisque exutus, interdicto igni atque aqua, saxo Seriphio consenuit.

XXII. Per idem tempus Plautius Silvanus, prætor, incertis caussis, Aproniam conjugem in præceps jecit: tractusque ad Cæsarem ab L. Apronio socero, turbata mente respondit, tanquam « ipse somno gravis atque eo ignarus, et uxor sponte mortem sumpsisset. » Non cunctanter Tiberius pergit in domum, visit cubiculum; in quo reluctantis et impulsæ vestigia cernebantur. Refert ad senatum, datisque judicibus, Urgulania, Sil-

tentione animi, ut et jurejurando obstringeret e rep. id esse. Morem eum postea obtinuisse in omni senatu, idque lege quadam Trajani, colligas ex Plinii verbis. Epist. 5, 14. *Quintiam Dextrum, qui primus diversum censuerat, perlata lege de senatu habendo, jurare coegit, e republica esse quod censuisset.* Græci id vocabant ἱερὰν συμβουλήν: et formula ejus eleganter expressa apud Xenoph. περὶ ἀναβ. Κύρου 5, 6 in oratione Hecatonymi. Εἰ μὲν συμβουλεύοιμι ἃ βέλτιστά μοι δοκεῖ εἶναι, πολλά μοι ἀγαθὰ γίνοιτο· εἰ δὲ μή, τἀναντία· αὕτη γὰρ ἡ ἱερὰ συμβουλὴ λεγομένη εἶναι δοκεῖ μοι παρεῖναι. Sed is mos quando primum cœpit? haud temere dixerim. Puto tamen Coriolani ævo, in cujus caussa tribuni plebis volunt et impetrant, ut *senatus juratus sententiam dicat, uti solet in consessu judicum*, Dionysius ait 7, 39. Lips.

Saxo Seriphio. Vere, *saxo.* Vide Strab. 10. p. 487. Lips.

Consenuit. Bene, *consenuit.* Nam annis 25. in exsilio hæsit. Eusebius Chron. *Cassius Severus orator egregius* 25. *exsilii sui anno, summa inopia, moritur: vix panno verenda contectus.* Lips.

Plautius Silvanus. Similis at non eadem res narrata Quinctil. 7, 2. *Id autem genus, de quo novissime dixi, non solum in scholis sæpe tractatur, sed etiam in foro. Nam id est in caussa Nævii Apruniani* (lego *Nonii Aproniani*) *solum quæsitum, precipitatane esset ab eo uxor, an se ipsa sua sponte jecisset. Quam actionem equidem solam in hoc tempus emiseram: quod ipsum fecisse seductum juvenili cupiditate gloriæ fateor.* De hoc ipso autem Plautio lapis, (ap. Grut. p. 453.) TI. PLAVTIO. M. F. A. N. SILVANO. ÆLIANO PONTIF. SODAL. AVG. III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CÆSARIS. LEGAT. LEG. V. IN. GERMANIA. Lips. Male lapidem ad hunc Silvanum referri, jam monuit Mercerus. Nam ille Vespasiani ad tempora vixisse dicitur. Non vidit Lipsius integrum titulum. Ern. Cf. Ep. 27. Reinesii ad Rupertum.

Tanquam ipse somno gravis etc. Sat horrida ellipsis Corneliana cui similes 1, 65. 2, 15. 3, 3. 6, 43. H. 1, 88. 2, 19. Germ. 39. Wopk.

Urgulania. Urgulanii in gente Plautia sunt. Lapis (ap. Grut. p. 452.) M. PLAVTIVS. M. F. VRGVLANIVS. et Suetonii Claudio 26. Plautia Urgu-

vani avia, pugionem nepoti misit. Quod perinde creditum, quasi principis monitu, ob amicitiam Augustæ cum Urgulania. Reus, frustra tentato ferro, venas præbuit exsolvendas. Mox Numantina, prior uxor ejus, accusata, « injecisse carminibus et veneficiis vecordiam marito, » insons judicatur.

XXIII. Is demum annus populum romanum longo adversum Numidam Tacfarinatem bello absolvit. Nam priores duces, ubi impetrando triumphalium insigni sufficere res suas crediderant, hostem omittebant: jamque tres laureatæ in urbe statuæ, et adhuc raptabat Africam Tacfarinas, auctus Maurorum auxiliis, qui, Ptolemæo, Jubæ filio, juventa incurioso, libertos regios, et servilia imperia bello mutaverant. Erat illi prædarum receptor ac socius populandi rex Garamantum; non ut cum exercitu incederet, sed missis levibus copiis,

lanilla, non Herculanilla, ejus uxor: quod recte monuit ex veteri libro Torrentius. Lips.

Sibi impetrando. Corrigo, *ubi impetrando.* Lips. Cod. MS. *sub*: quod quomodo ortum sit, facile intelligi potest. Ern.

Tres laureatæ. Furii Camilli, L. Apronii, Junii Blæsi. De statuis triumphalibus Plinius 33, 46. et Tacitus in Agricola 40. *Igitur triumphalia ornamenta, et illustris statuæ honorem, et quidquid pro triumpho datur, multo verborum honore cumulata, decerni in senatu jubet.* Lips. Cf. 2, 52. 3, 21, 72.

Raptabat Africam. Non, *reptabat*, ut vulgo. Alibi: *Igitur raptare inter se, immittere latronum globos.* Lips. V. Fabri Sem. 2, 16.

Ptolemæo Jubæ filio. Quem Caius postea interfecit. Sueton. c. 26. *Ptolemæum regis Jubæ filium consobrinum suum (erat enim et is M. Antonii ex Selena filia nepos) interfecit.* Seneca de Tranq. 11. *Ptolemæum regem Africæ, Mithridatem Armeniæ, inter Caianas custodias vidimus. Alter in exsilium missus est: alter, ut meliore fide mitteretur, optabat.* Ex verbis Senecæ apparet, dimissum Ptolemæum, sed per viam, jussu Caii, interfectum. Lips.

Bello mutaverant. Maluerant bellum gerere, belli pericula subire, quam servili libertorum imperio subesse. Nam *servilia imperia* sunt libertorum, quibus nimium potestatis permiserat Ptolemæus, et per contemptum servi vocantur, ut alibi apud nostrum videbimus fieri. Ern.

Cum exercitu incederet. Verbum *incedendi* habet aliquam gravitatis significationem, ut sæpe monuerunt

quæ ex longinquo in majus audiebantur : ipsaque e provincia, ut quis fortunæ inops, moribus turbidus, promptius ruebant, quia Cæsar, post res a Blæso gestas, quasi nullis jam in Africa hostibus, reportari nonam legionem jusserat : nec proconsul ejus anni, P. Dolabella, retinere ausus erat, jussa principis magis, quam incerta belli, metuens.

XXIV. Igitur Tacfarinas, disperso rumore, « rem romanam aliis quoque ab nationibus lacerari, eoque paullatim Africa decedere, ac posse reliquos circumveniri, si cuncti, quibus libertas servitio potior, incubuissent, » auget vires, positisque castris, Thubuscum oppidum circumsidet. At Dolabella, contracto, quod erat militum, terrore nominis romani, et, quia Numidæ peditum aciem ferre nequeunt, primo sui incessu solvit

viri docti. Itaque eleganter dicitur de exercitus justi, et gravis armaturæ, itinere. Similiter mox *incessus* dicitur, item 3, 74. Ern.

E provincia. Africæ, Romanis subjectæ.

Nonam. Cf. 3, 9.

Proconsul ejus anni P. Dolabella. Cujus memoriam in Illyrico servat lapis (ap. Grut. p. 396.) P. CORNELIO DOLABELLÆ. COS. VII. VIRO. EPVLON. SODALI. TITIENSI. LEG. PROPR. DIVI. AVGVSTI. ET. TI. CÆSARIS. AVGVSTI. CIVITATES. SVPERIORIS. PROVINCIÆ. HILLYRICI. Lips. Adde numum Tiberii, in cujus aversa Livia sedens velata cum epigraphe : PERMISSV. P. DOLABELLÆ PROCOS. ap. Vaillant NN. Col. tom. 1, p. 91.

Proconsul ejus anni. Cod. MS. et Beroaldus, Alciatus, *proconsule ejus anni*, quod recepit Gronovius : sed vereor, ne ultima litera orta sit ex initiali sequentis, et Tacitus dederit *proconsul* : quod sensisse videntur, qui a Beroaldo discesserunt. Adde ad 2, 52. Et mirum, hic servasse Beroaldum scripturam codicis, cum 2, 52. non servarit. Ern.

Thubuscum oppidum. Mauritaniæ Cæsariensis : alias Tubusuptus et Succubæ dictum. Lips.

Primo sui incessu. Sui, ut otiosum plane et nulli usui, Acidalius volebat mutare in *statim*. Mallem et ipse, si codex scr. faveret, aut necessitas aliqua urgeret. Ern. Hiller. Racem. 30. conjicit legendum *sub incessu*. Sic Cæs. B. G. 8, 49. *sub discessum suum*. Id. B. C. 1, 27. *sub profectione*. Flor. 2, 11. *sub adventu hostis*. Verum Heinsius, cui id pridem placuerat, monet, nostrum quoque dicere *sui servitutem, cultum, metum, famam*. (Ann. 2,

obsidium, locorumque opportuna permunivit : simul principes Musulanorum, defectionem cœptantes, securi percutit. Dein, quia pluribus adversum Tacfarinatem expeditionibus cognitum, non gravi, nec uno incursu consectandum hostem vagum; excito cum popularibus rege Ptolemæo, quatuor agmina parat, quæ legatis aut tribunis data : et prædatorias manus delecti Maurorum duxere : ipse consultor aderat omnibus.

XXV. Nec multo post adfertur, « Numidas apud castellum semirutum, ab ipsis quondam incensum, cui nomen Auzea, positis mapalibus consedisse; fisos loco, quia vastis circum saltibus claudebatur. » Tum expeditæ cohortes alæque, quam in partem ducerentur ignaræ, cito agmine rapiuntur. Simulque cœptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros : præpeditis Numidarum equis, aut diversos pastus pererrantibus. Ab Romanis confertus pedes, dispositæ turmæ, cuncta prœlio provisa : hostibus con-

58. 14, 43.) Boxh. male tuetur pristinam lectionem *sibi*.

Consultor ad. o. Sic Sall. Jug. 85, 47, 103, 7. Wopk.

Legatis aut tribb. Sic codex scr. pro quo Beroaldus dedit *ac* sine necessitate : non tot habebat legatos Dolabella, ut omnibus legatum præponere posset. Itaque partim legatis, partim tribunis dedit. Ern.

Positis mapalibus. V. ad 3, 74.

Fisos loco, quia vastis. Forte Tacitus scripsit, *qui vastis*. Gron. Crederem, si Cicero auctor esset, aut Livius. In Tacito et alia ejusmodi loca reperias, ubi τὸ *quia* durius dicatur. 6, 4. *Haterius invidiosior fuit, quia.... meditabatur*, et sic sexcenties. Ern.

Præpeditis equis. Recte Freinsh. dictum judicat pro compeditis. Πεποδισμένους appellat Xenophon loco per omnia huic simili. παιδ. 3, 3. de Assyriis : πεποδισμένους γὰρ ἔχουσι τοὺς ἵππους ἐπὶ ταῖς φάτναις, καὶ, εἴτε ἐπ' αὐτοὺς ἴοι, ἔργον μὲν νυκτὸς λῦσαι ἵππους, ἔργον δὲ χαλινῶσαι, ἔργον δὲ ἐπισάξαι. Atque eadem de Persis ἀνάβ 3, 21. οἵτε γὰρ ἵπποι αὐτοῖς δέδενται, καὶ ὡς ἐπιτοπολὺ πεποδισμένοι εἰσὶ, τοῦ μὲν φεύγειν ἕνεκα, εἰ λυθείησαν. Ab his igitur Persis, progenitoribus suis (Sallust. Jug. c. 18. vide) fortassis hunc morem retinuerunt Numidæ. *Pedicam* appellare videtur respectu ad hanc rem Livius 21, 36. Ern.

tra, omnium nesciis, non arma, non ordo, non consilium; sed pecorum modo trahi, occidi, capi. Infensus miles memoria laborum, et adversum eludentes optatæ toties pugnæ, se quisque ultione et sanguine explebant. Differtur per manipulos, « Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis, consectentur : non, nisi duce interfecto, requiem belli fore. » At ille, dejectis circum stipatoribus, vinctoque jam filio, et effusis undique Romanis, ruendo in tela, captivitatem haud inulta morte effugit. Isque finis armis impositus.

XXVI. Dolabellæ petenti abnuit triumphalia Tiberius, Sejano tribuens, ne Blæsi, avunculi ejus, laus obsolesceret. Sed neque Blæsus ideo illustrior, et huic negatus honor gloriam intendit. Quippe minore exercitu, insignis captivos, cædem ducis, bellique confecti famam deportarat. Sequebantur et Garamantum legati, raro in urbe visi, quos, Tacfarinate cæso, perculsa gens, et culpæ nescia, ad satisfaciendum populo rom.

Differtur per manipulos. Sive imperium ducum, sive cohortatio mutua militum. Imperium ducum voce diditur per exercitum. Dicitur et *dare tesseram* apud Sueton. Galb. 6. item *signum dare* apud eundem Cal. 56, 58. Ern.

Dilectis circum. Mercerus *disjectis.* Ego etiam statim, *effusis undique*, malim. Lips. Quin potius forsan *dejectis*, id est, prostratis. Sic Phædrus fab. 2, 1., *Super juvencum stabat dejectum leo.* Martialis 1. ep. 61. *Non nisi dejecta pascitur ille fera*, ex felici, ut puto, conjectura C. Barthii, ubi vulgo etiam *delecta.* Neque abest longe nostri 11, 29. *uxore dejecta plus potentiæ ostentando.* Gron. Hoc exprimendum curavi pro *deletis*, quod nunc, e Pichenæ conjectura, editos obtinet. Lectionem cod. *delectis* vitiosam esse convenit. Pro ea haud dubie et elegantius est *dejectis*, quam *deletis*, etiamsi hoc quoque recte dicitur, ut infra c. 51. et scripturæ cod. convenientius. Sic 2, 60. vidimus *delectus* in eodem codice esse pro *dejectus.* Nec displicet mox cum Lipsio legi *effusis.* Vid. tamen ad H. 2, 70. de verbo *erumpere.* Ern. — * Heinsius volebat *affusis.*

Sejano tribuens. Int. *hoc :* ne quis erret, non, *triumphalia.* Sejano, vel petenti, vel sponte in hoc gratificari volebat. Ern.

Et culpæ nescia. Immo, *culpæ conscia;* atque ita scribo. Nam supra 23, ait, *prædurum receptorem et so-*

miserat. Cognitis dehinc Ptolemæi per id bellum studiis, repetitus ex vetusto mos, missusque e senatoribus, qui scipionem eburnum, togam pictam, antiqua patrum munera, daret, « regemque et socium atque amicum » adpellaret.

XXVII. Eadem æstate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandestinis, apud Brundisium et circumjecta oppida; mox positis propalam libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus et ferocia servitia: cum, velut munere deum, tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor, cui provincia, vetere ex more, Cales evenerat. Is,

11. *Cui provincia vetere ex more Cales evenerat. Cales obvenerant* puto. Ut 3, 33., *cui provincia obvenisset.* Infra c. 56, *cui ea provincia obvenerat.* Vid. Torrent. in Suet. p. 493; sed nil muta: utrumque enim dicitur. 13, 15., *evenerat ea sors Neroni.*

cium prædandi fuisse Garamantum regem, missis levibus copiis. Non ergo extra culpam. Lips. Jac. Gronovius putat excidisse *non*: lenior Ryckii medela *nec culpæ nescia.* Ern. Vide et 3, 74.

Antiqua patrum munera. Et valde qui lem antiqua. Siquidem Porsenæ regi ea missa lego apud Dionysium 5, 35. Ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων βουλὴ, μετὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τῶν Τυῤῥηνῶν συνελθοῦσα, ἐψηφίσατο Πορσίνᾳ μὲν πίμψαι θρόνῳ ἐλεφάντινον καὶ σκῆπτρον, καὶ στέφανον χρύσεον, καὶ θριαμβικὴν ἐσθῆτα, ὑφ' ἧς οἱ βασιλεῖς ἐκοσμοῦντο. Nec prius vestigium, opinor, ejus ritus. Lips. Adde Liv. 30, 15. ubi v. Drackenb. Ern.

T. Curtisius. Reinesius malebat *Curtilius:* quod nomen est apud Cicer. ad Att. 14, 6. 10. nostrum 13, 56. et alibi. Itaque non displicet ea conjectura. Vide tamen supra ad c. 13. Ern.

Cales evenerat. Utrum *Calles* hic legimus an *Cales?* Si *Calles*, interpretor ex Suetonii loco in Julio 19. *Opera ab optimatibus data est, ut provinciæ futuris consulibus minimi negotii, id est, silvæ callesque decernerentur.* Ut antiquitus quidem calles, (eo nomine intelligimus curam publicorum saltuum callumque, in quibus pecora pascebantur, ære aliquo constituto,) provincia quæstorum fuerit: interdum et consulum, si bella nusquam aut hostis. Sed nec *Cales* mihi displiceat: ut in eo oppido quæstoris fuerit sedes. Sic enim in Livio lego, Pisas consulibus decretas, et Tarentum prætoribus: et lib. 25, 3. *Nero prætor Suessulam*

disposita classiariorum copia, cœptantem cum maxime conjurationem disjecit. Missusque a Cæsare propere

sortitur, quibus oppidorum nominibus loca scio intellegi vicina. Veteri autem. rep. ante Sullam, cum octo quæstores essent, exque iis duo militares, duo urbani, satis constat, quatuor reliquos provincias in Italia, aut certe Sicilia habuisse: externis provinciis imperio nondum adjunctis. Eas puto sic constituendas, (quid enim nisi arbitrium interponam in re casca et obscura?) aquariam (vide Antiquas meas 1, 12.) sive frumentariam, Ostiæ: cujus mentio Cic. pro Cn. Plancio, pro Muræna 8. et interrogatione in Vatinium testem 5. cui quæstori ora tota maris inferi, subvectio frumenti, res nautica, aliaque talia curæ; secundam Gallicam, Arimini. Meminit Suetonius in Claudio 24. *Detracta quæstoribus Ostiensi et Gallica provincia, curam ærarii Saturni reddidit.* Video ibi virum doctum velle, *callium provincia*: erudite fateor et acute. Et tamen sustinet assensionem meam Plutarchi locus Sertorio p. 569. quem quæstorem designatum ait Galliæ circumpadanæ. Ταμίας, inquit, ἀποδεικνυται τῆς περὶ Πάδον Γαλατίας; tertiam Calibus, ad Vulturnum flumen, qui quæstor tractui Campano Sidicinoque præfuit Brundisium usque. Eam non alio tibicine fulcire possum, quam hoc loco. Quartam adhuc quæro, nisi si fuerit in Sicilia Lilybæi; argumento, quod ea prima provinciarum facta: et quod etiam inferiori ævo, cum missus illuc prætor, semper in Sicilia duo quæstores Syracusanus et Lilybætanus. Lips. *Calles* est scriptura codicis MS. quam expressere Beroaldus, Rhenanus, Aldus, etc. restituit Ryckius, J. Gronovius, sequitur Burmannus de Vectig. P. R. p. 107. Lipsianæ edd. habent *Cales*, unde in alias venit, sicque laudat Pighius Ann. t. 1, p. 468. non probans eos, qui *Calles* emendent, quod *Cales* esset in edd. antiquis, quas non inspexerat. Ceterum non dubitandum, quin Tacitus scripserit *Cales*. Primo, non potest doceri, *silvas callesque* fuisse ordinariam quæstoriam provinciam; quod esse debet, si Curtio quæstori sorte evenerunt calles *e vetere more*. Extraordinaria autem illa provincia fuit decreta, cum res et necessitas postularet: unde Cæsari et Bibulo decreta. Neque tum extra ordinem data erat Curtio: quippe bello illo servili exorto, cum jam illam provinciam obtineret, nec quæstori bellum servile mandatum fuisset: multo minus sine militibus, quos nullos eum habuisse planum est. Aliud est, calles provinciam habere, ut latronibus, paucis cum militibus, obviam eat; aliud bellum cum servis gerere, quod cum exercitu factum omni tempore: idque non videtur cogitasse Ryckius. Jam porro rem maritimam mandatam fuisse Curtio, patet e sequentibus. Nam, qua ope opprimit servos? nempe per classiarios, quos sub manu habebat. Ergo maritimam rem curavit et maritimam provinciam habuit: quæ nulla alia esse potuit, quam Calena, quam appellari a Dione maritimam provinciam, observavit jam Pighius, etsi non indicato loco. Denique non raro librarii pro *Cales* scripserunt *Calles*: veluti ap. Livium 8, 16. 29, 15. ubi bene monet Drakenb. etiam alibi

Staius, tribunus, cum valida manu, ducem ipsum, et proximos audaciæ, in urbem traxit, jam trepidam, ob multitudinem familiarum, quæ gliscebat immensum, minore in dies plebe ingenua.

XXVIII. Iisdem consulibus, miseriarum ac sævitiæ exemplum atrox, reus pater, accusator filius, nomen utrique Vibius Serenus, in senatum inducti sunt. Ab

scribas sic errasse. In nostro etiam in aliis verbis hæc litera duplicatur temere, ut in *Sillanus* pro *Silanus*, *molliri* pro *moliri*, in Guelf. in *callones*, *colloni* et sexcentis aliis. Editor nuperus, Broterius, defendit *calles*, sed non explicat: repudiatque provinciam *Caleticam*; quam sane nemo fando audivit, ut ipse dicit. sed *Calenam* nemo debet ignorare, quæque a nobis hic satis demonstrata est. Ern. Cic. pro Plancio male citatur, locus extat in Vatin. 5. — *V. Turneb. adv. 2, 9.

Cœptantem cum maxime. Sic est in cod. MS. et sic Rhenanus, et Muretus legendum putabant, cum in editis esset *tum maxime*. Ern.

Staius tribunus. Dubitant, num *Statius* legendum sit; nempe ob insolentiam nominis *Staius*: quæ etiam ap. Livium 10, 20. fecit, ut librarii e *Staio* facerent *Statium*. Sed hoc nomen idoneis exemplis ibi vindicavit J. Fr. Gronovius. Reinesius putat esse *M. Staium Flaccum*, qui a. U. 784. duumvir Nolæ fuit, ut tradit fragmentum fastor. municipal. Nolæ repertum, ap. Gruterum p. 1087, 1. Ern.

Nomen viri, Q. Vibius. Puto legendum totum locum, *reus pater, accusator filius* (*nomen utrique Vibius Serenus*) *in senatum inducti sunt.* quod postea firmatum a veteri lectione didici, quæ est, *virique*. (sive potius *utrique*, si Pichenæ fides.) Nec male etiam coiverit hiulca alias oratio, trajectis verbis: *reus pater, accusator filius in senatum inducti sunt. Nomen viri Q. Vibius Serenus, ab exsilio retractus.* Lips. Malebam: *reus pater, accusator filius* (*nomen utrique Quintis Vibiis Serenis*) *inducti sunt.* Gron. Elegans, sed non necessaria correctio, vide ad 5, 1. Sed in eo aliquid vidisse puto Pichenam, cum *vè sunt* suspectum habuit, idque hic, ut opinor, frigere sentient, si qui, Taciti style adsueti, attendent. Quod vero id mutari vult in *senex*, non id quidem absonum, sed tamen non sufficit loco constituendo. Clarum est, Tacitum primum loqui de utroque simul: deinde utriusque habitum describere: denique utriusque dicta contraria memorare. Jam in altera parte desideratur verbum; non enim possunt hæc pendere ab *inducti sunt*, propter verba *parentem filio*. Nec commode hæc particula incipit a verbis: *ab exsilio retractus.* Igitur credo, inserendum esse *stabant*, quod latere puto in *sunt*. Sunt quidem et *sunt* confundi multis exemplis constat. Si porro cum Jac. Gronovio legas *pater, orante filio*, de quo mox, et *præparatus*, optime conformata prodibit oratio: *stabant, ab exsilio retractus, illuvieque et*

exsilio retractus, illuvieque ac squalore obsitus et tum catena vinctus pater, orante filio. Præparatus adolescens multis munditiis, alacri vultu : « structas principi insidias, missos in Galliam concitores belli, » index idem et testis dicebat; adnectebatque, « Cæcilium Cornutum, prætorium, ministravisse pecuniam : » qui tædio curarum, et, quia periculum pro exitio habebatur, mortem in se festinavit. At contra reus, nihil infracto animo, obversus in filium, quatere vincula, vocare « ultores deos,

12. *Et tum catena vinctus, perorante filio. Præparatur adolescens.* Lege, *tum et catena vinctus, perorante filio in reum, pater. At adolescens.*

squalore obsitus et tum catena vinctus pater, orante filio : præparatus adolescens multis munditiis, alacri vultu. Verbum *stare* valde usitatum in tali narratione apud nostrum etiam. 1, 25. *stabat Drusus silentium manu poscens. Stabat* inseri volebat etiam Acidalius, sed servato *tῷ sunt.* Ern. Lipsii verba male interpolavit Ernesti. Pichena non in MS. legi *utrique* refert, sed ex *virique* sic emendandum conjicit. Muretus quoque legit : *nomen utrique Vibius Serenus.* — *Heinsius id exemplis confirmat Ann. 2, 80. 4, 72.

Perorante filio. Præparatur adolescens multis munditiis. Audio virum magnum et meritis in literas clarum Err. Memmium legere : *Perorante filio pater. Paratur adolescens.* Et rei et hominis caussa quis non comprobet? Lips. Magis placet Jac. Gronovii sententia legentis *pater, orante filio.* Etenim nondum perorabat filius, sed orabat caussam, et deinde *præparatus.* Ern. Suum cuique. Illa Jac. Gronovii emendatio Lampugnani est, sive M. Freheri, ut putant, qui Mirandulano codici acceptum refert, et bene monet, id *perorante filio* factum ex *pr* pro *pater.* Est autem scita lectio; minus commoda Heinsii, quam vide. Si quis malit pro *sunt* legere *senex* cum Pichena, non mutandum *perorante*, pro accusante, ut monent Bipontini. Ast eorum conjectura legentium : *peroranti filio præparatur*, ingeniosa est; verum non unquam credo dictum, *reum accusatori præparari.* Respice c. 13. *Præparatus* legendum monebat Venturius, teste Pichena.

Cæc. Cornutum. Amisertum numum, qui in aversa Romam deam, exhibet, adscripto : ΕΠΙ ΓΑΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΟΥ ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ, Vaillant in NN. Cæciliæ gentis ad hunc nostrum refert. Contra Eckhel. in D. NN. vet. vol. 2. p. 347, coll. p. 396. ad septimum Romæ sæculum rejicit, quod si sit, is Cornutus ex primis fuerit, necesse est, qui Pontum, Mithridate devicto, rexere. Lepidus est more suo Harduinus, qui in Hist. Aug. ex NN. restit. Othonis tempori tribuit numum, erroris insimulans Tacitum, quod Cornutum sub Tiberio posuerit.

28.

ut sibi quidem redderent exsilium, ubi procul tali more ageret, filium autem quandoque supplicia sequerentur. » Adseverabatque, « innocentem Cornutum et falsa exterritum : idque facile intellectu, si proderentur alii : non enim se cædem principis et res novas uno socio cogitasse. »

XXIX. Tum accusator « Cn. Lentulum et Sejum Tuberonem » nominat; magno pudore Cæsaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero, defecto corpore, tumultus hostilis et turbandæ reip. arcesserentur. Sed hi quidem statim exempti. In patrem ex servis quæsitum : et quæstio adversa accusatori fuit : qui scelere vecors, simul vulgi rumore territus, « robur et saxum, aut parricidarum

13. *Uno socio cogitavisse. Agitavisse*, malim. Paullo ante *Cornutum falsa exterritum*, nil muta. Vide nos supra 2, 15.

Falsa exterritum. Malim cum Mureto *falso*, ut H. 2, 8. Wopk. Paschal. subaudiebat *accusatione*. Græcismum agnoscit Pichena pro *falso*. Crollius negat esse opus, quia sic quoque dicatur *contremiscere injurias, horrere arma* etc.

Robur et saxum. Robur, ait Festus, *in carcere is locus, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur.* Livius 38, 59. *Ut in carcere instar furis et latronis vir clarissimus includatur, et in robore ac tenebris exspiret, deinde ante carcerem nudus projiciatur.* Plautus Pœnulo 5, 3, 33., *Quos ego jam detrudam ad molas, inde porro ad puteum atque ad robustum codicem.* Et allusit per jocum idem Capteivei 5, 2, 9., *At ego faciam ut pudeat, nam in ruborem te totum dabo.* ubi malim scribi, *in robur*. Nec tamen omiserim, hic in Tacito *robur* videri potius supplicii locum, quam custodiæ. Valerius ita accepit, 6, 3, 1., *Quinetiam familiares Gracchorum, nequis reip. inimicis amicus esse vellet, de robore præcipitati sunt.* Et Lucanus 2, 25., *Sæva tribunicio maduerunt robora tabo.* Itemque Calpurnius Declam. 4., *Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, angustis foraminibus tenuem lucis umbram recipientem. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt : et quoties jacentes ferrati postis stridor excitat, examinantur et alienum supplicium aspectando* (ita inibi lego) *suum discunt.* Ex quo, clare discas, robur hoc in Tulliano fuisse, id est carceris inferiore loco. Livius 34, 44. *Pleminius in inferiorem demissus carcerem est necatusque.* Lips. Immo *Tullianum* ut

pœnas » minitantium, cessit urbe : ac, retractus Ravenna, exsequi accusationem adigitur; non occultante Tiberio vetus odium adversus exsulem Serenum. Nam post damnatum Libonem, missis ad Cæsarem literis, exprobraverat, « suum tantum studium sine fructu fuisse; addideratque quædam contumacius, quam tutum apud aures superbas, et offensioni proniores. Ea Cæsar octo post annos retulit, medium tempus varie arguens; etiam si tormenta pervicacia servorum contra evenissent.

XXX. Dictis dein sententiis, « ut Serenus more majorum puniretur, » quo molliret invidiam, intercessit. Gallus Asinius, « Gyaro aut Donusa claudendum, » cum censeret, id quoque adspernatus est, « egenam aquæ utramque insulam » referens, « dandosque vitæ usus, cui vita concederetur. » Ita Serenus Amorgum reportatur. Et, quia Cornutus sua manu ceciderat, actum « de præmiis accusatorum abolendis, si quis majestatis pos-

robur ipsum, ut clare patet ex illo Calpurnii loco : quamquam ibi Pithœus e vet. cod. *robur Tullianumque*, ut etiam est in ed. Burmanni. Sed etiam sine hoc loco intelligi potest. *Robur* enim dictum. *Tullianum*, quia roboreis parietibus, olim saltem, cinctum fuit. Vide loci descriptionem apud Sallust. Catil. 55. et ibi Cortium. Per *saxum* intelligitur mons Tarpeius, unde præcipitati facinorosi. Ern.

Post damnatum Libonem. At in damnatione Libonis nulla mentio hujus Sereni, nullæ partes. Lips. At vide 2, 30. Ern. Latere ibi sub nomine *C. Livii* (rectius *Vibii*) suspicatur bene Gruterus. De eo respice et c. 13.

More majorum. Cf. dicta ad 2, 32.

Intercessit Gallus Asinius. Vulgo vitiosa distinctio. Scribe totum locum, *intercessit. Gallus Asinius G. a. D. claudendum censere.* Id est, censebat. Intercedendi aspernandique verba ad Cæsarem ipsum referenda sunt, qui jure tribuniciæ potestatis intercessit decreto, invidiæ minuendæ. Lips. Ut nunc editur, habet cod. MS. auctore Pichena. Sed sic aliquid deest, velut *cum*, quod videbatur Mureto et Ryckio. An *censuerat* fuit? Illud autem plane non necessarium, cum Freinshemio conjicere mox pro *aut*, *Cotta*. Ern. Mihi haud dubium, excidisse *cum*; restitui.

tulatus, ante perfectum judicium, se ipse vita privavisset: ibaturque in eam sententiam, ni durius, contraque morem suum, palam pro accusatoribus, Cæsar, « irritas leges, remp. in præcipiti, » conquestus esset: « subverterent potius jura, quam custodes eorum amoverent. » Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum et pœnis quidem nunquam satis coercitum, per præmia eliciebantur.

XXXI. His tam adsiduis, tamque mæstis, modica lætitia interjicitur, quod C. Cominium, equitem romanum, probrosi in se carminis convictum, Cæsar precibus fratris, qui senator erat, concessit. Quo magis mirum habebatur, gnarum meliorum, et quæ fama clementiam sequeretur, tristiora malle. Neque enim socordia peccabat; nec occultum est, quando ex veritate, quando adumbrata lætitia, facta imperatorum celebrentur: quin ipse, compositus alias, et velut eluctantium verborum, solutius promptiusque eloquebatur, quotiens subveniret. At P. Suilium, quæstorem quondam Germanici, cum Italia arceretur, « convictus, » pecuniam ob rem judicandam cepisse, « amovendum in insulam »

14: *Et pœnis quidem nunquam satis coercitum. Et pœnis idem.* — 15. *Nec occultum est. Nec occultum ei, si quando ex veritate, quando adumbrata lætitia facta imperatorum celebrarentur.*

Conquestus esset. Id *esset* expungit Gruterus, retinet Wopkens.

Socordia peccabat. Socordia nostro fere est stultitia, inscitia, etiam stupor, dementia. Adde mox c. 35. extr. 39. init. Ern.

Compositus et velut eluctantium verborum. Alias ita loquebatur, ut difficultas quædam dicendi appareret, ut viderentur verba cohiberi, nec libere prodire posse. Ern. — Hinc emendandus Statius Theb. 4, 79, *Et teneris meditans verba illuctantia labris*, lege *eluctantia*. Wopk. — Cf. Suet. Domit. c. 20.

P. Suilium, quæstorem. Gloriatur ipse in oratione contra Senecam 13, 42., *Se quæstorem Germanici; illius domus ejus adulterum fuisse.* Lips.

Ob rem judicandam. Sic MS. Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus, Seb. Gryphius, Lipsius (in istorum

censuit, tanta contentione animi, ut et jurando obstringeret, « e repub. id esse. » Quod aspere acceptum ad præsens, mox in laudem vertit, regresso Suilio : quem vidit sequens ætas præpotentem, venalem, et Claudii principis amicitia diu prospere, nunquam bene, usum. Eadem pœna in Catum Firmium senatorem statuitur, « tanquam falsis majestatis criminibus sororem petivisset. » Catus, ut retuli, Libonem illexerat insidiis, deinde indicio perculerat. Ejus operæ memor Tiberius, sed alia prætendens, exsilium deprecatus est : quo minus senatu pelleretur, non obstitit.

XXXII. Pleraque eorum, quæ retuli quæque referam, parva forsitan et levia memoratu videri, non nescius sum : sed nemo Annales nostros cum scriptura eorum contenderit, qui veteres populi romani res composuere. Ingentia illi bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges, aut, si quando ad interna præverterent, discordias consulum adversum tribunos, agrarias frumentariasque leges, plebis et optimatium

plis, quæ inspexi). Id mutatum, operarum vitio, ut opinor, seu correctoris, cui notius *ob rem judicatam*, maleque defensum a Ryckio. Restituit recte Jac. Gronov. Ern. — Sic Cic. in Verr. 2, 32. Cf. et c. 48. Wopk.

—* *Insidiis*. I. e. insidiose. ut Cæs. Bell. Gall. 8, 12. Wopk.

Judicio perculerat. Vertranius malebat *indicio*, probabili conjectura; nam Cato *indicium* tribuitur diserte 2, 27. Quia, etiam inter accusatores fuit c. 30. et, quia occasionem dedit judicio in Libonem habendo, potest sane *judicio perculisse*, uteunque defendi. Sed *indicio* tamen melius, et sic laudat hæc verba Gronovius ad c. 59. Itaque etiam prætuli. Ern.

Veteres pop. r. res. Freinshemius ex 1, 1. malebat *veteris*, probante Ryckio. Sic 6, 42. *veterum regum honores*. At contra 3, 3. *diurna actorum scriptura*, pro *diurnorum a. s.* ubi vide. Utrumque recte dici potest. Ern.

Ad interna præverterent. Vel, redirent, tanquam a peregrinatione : nam multis locis verbum hoc sic capere licet, unde etiam ap. Plin. 5. ep. 15. codex *revertor* : vel interna potius tractarent. Horat. Sat. 1, 3, 38, *illuc prævertamur*. V. Gronov. ad Plin. 28, 8. Cort. ad Plin. 5, 15. Ern.

certamina, libero egressu memorabant. Nobis in arto et inglorius labor. Immota quippe, aut modice lacessita pax, mæstæ urbis res, et princeps proferendi imperii incuriosus erat. Non tamen sine usu fuerit, introspicere illa, primo adspectu levia, ex quis magnarum sæpe rerum motus oriuntur.

XXXIII. Nam cunctas nationes et urbes populus, aut primores, aut singuli regunt: delecta ex his et con-

16. *Incuriosus erat.* Tollo *erat* cum Acidalio.

Nobis in arto. E Virgil. Georg. 4, 6., *In tenui labor, at tenuis non gloria*, ductum Muretus notavit. Ern.

Rerum motus oriuntur. Lego *monitus oriuntur.* Non enim ullos motus ex accusatione aliisque talibus oriri vult: sed rerum salubrium exempla monitionesque. Qui revera pulcherrimus historiæ fructus. Lips. Probat Freinsh. Sane sequentia docent, hoc aut simile quid requiri. Planius enim hæc mox explicantur, vid. ad 2, 53. Ern.

Delecta ex his etc. Sensum esse arbitror eum, quem Freinsh. putavit: civitatem, quæ sit ex his tribus mixta et temperata, ut omnium commoda complectatur, incommoda vitet, facilius laudari et optari, quam inveniri, et, si uspiam sit, diuturnam esse non posse. Neque dubito, Tacitum in animo habuisse cum aliis politicos, tum Polybium, qui 6, 9. sqq. romanam remp. laudat hoc nomine, quod omnium illarum trium formarum commoda complexa sit, vitatis singularum vitiis, eamque solam rempublicam perfectam esse dicit, quæ sit e tribus istis temperata. Talem autem formam vocat primo *delectam ex illis tribus*, nempe qua partes suas: quæ fiat, ut Longinus, quamquam in alia re, dicit sect. 10. ἐκλογῇ τῶν λαμμάτων καὶ συνθέσει. In altero verbo dubitatio est. Codex habet *consciata*, unde Beroaldus fecit *constituta*, quod secuti sunt omnes editores. Jac. Gronovius autem putabat, Tacitum dedisse *concinnata*; ita edere non ausus. Ego autem non dubitavi edere *consociata*, unde *consciata* ortum esse, clarum est. Sic e *sociorum* sæpe in libris factum est *suorum*, non alia de caussa, quam quod scriptum esset *sciorum*. Vid. Drakenb. ad Livium 23, 16. Contra e *consciorum* in MS. Guelf. 15, 59. factum est *consociorum*. *Consociare* est *conjungere*, quocum verbo sæpe jungit Cicero. Ita fit respublica, quæ constat e trium formarum bonis delectis et in unum consociatis et conjunctis. Apud Cic. ad Div. 3, 3. *consociatissima* voluntate bene edidit Victorius: alii inde fecere *constantissima*. Liv. 24, 24. rem *consociatam*.... incaute aperit, pro compositam et constitutam de conjuratione, consilio pluriam. Recepere hanc lectionem editores Francici. Ern. Gebauerus in Diss. de rege ap. Germ. nom. legi vult *exercita*, pro numeris omnibus perfecta. Qua

sociata reipubl. forma, laudari facilius, quam evenire, vel, si evenit, haud diuturna esse potest. Igitur, ut olim, plebe valida, vel, cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, et, quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur: sic, converso statu, neque alia re romana, quam si unus imperitet, hæc conquiri tradique in rem fuerit: quia pauci prudentia honesta ab deterioribus, utilia ab noxiis, discernunt; plures aliorum eventis docentur. Ceterum ut profutura, ita minimum oblectationis adferunt. Nam situs gentium, varietates prœliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animum: nos sæva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium, et easdem exitu caussas conjungimus: obvia rerum similitudine et satie-

17. *Neque alia rerum, quam si unus imperitet.* Hæc turbata sunt. Sic converso, *neque alio statu reip. rom.* quomodo fere et alii.

voce sic utitur Plautus Asin. 2, 2, 92.

Temperanter haberetur. Ita tractaretur, ut neque irritaretur sævitia, insolentia, acerbitate, neque assentando corrumperetur. ERN.

Neque alia rerum. Emendavi, *neque alia re rom.* Rem romanam hoc sensu non semel dixit. LIPS. Probant hanc emendationem Acidalius, Freinshemius, qui tamen etiam vulgatum explicari posse putat. Ryckius malebat *neque alio rerum*, ut referretur ad *statu*. Sed hunc modum loquendi, sive hanc structuram verborum durissimam esse, quivis sentiat. Ego Lipsium sequor. Scriptum fuit *alia re rom.* inde natum vitium. Sensus est: etsi non in regno vivimus, nec regem habemus, sed civitatem et rempublicam: tamen forma reip. administrandæ, quæ nunc est, nil differt a regno, nisi nomine. ERN.

Ceterum ut profutura. Dixit idem Thucyd. 1, 22. Καὶ ἐς μὲν ἀκρόασιν ἴσως τὸ μὴ μυθῶδες αὐτῶν ἀπερπίστερον φανεῖται. LIPS.

Retinent etc. Videtur in animo habuisse locum e nobili Ciceronis ep. ad Luccei. 5, 12. *Varietas in scribendo, plena cujusdam voluptatis, quæ vehementer animos hominum in legendo retinere possit.* ERN.

Et easdem exitu caussas. Id est, pares exitus a paribus caussis. Passim damnati, ob suspiciones, delationes: innocentes, aut illustres. Vidi qui legeret, *easdem exitii.* LIPS. Is est Pichena. Sed sequentia reclamant. ERN.

Obvia rerum similitudine. In quibus rebus similitudo perpetua cele-

tate. Tum, quod antiquis scriptoribus rarus obtrectator, neque refert cujusquam, punicas romanasve acies lætius extuleris : at multorum, qui, Tiberio regente, pœnam vel infamiam subiere, posteri manent : utque familiæ ipsæ jam exstinctæ sint; reperies, qui, ob similitudinem morum, aliena malefacta sibi objectari putent. Etiam gloria ac virtus infensos habet, ut nimis ex propinquo diversa arguens. Sed ad incœpta redeo.

XXXIV. Cornelio Cosso, Asinio Agrippa coss., Cremutius Cordus postulatur, novo ac tunc primum audito crimine, « quod, editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium *Romanorum ultimum* dixisset. »

18. *Ut animus ex propinquo diversa arguens.* Alii *nimis.* Puto, *ut nimia, et ex propinquo.* 6. 7. *quæ ipsis nimia et mœsta fuerant.*

riter satietatem affert legentibus. Ern.

Pœnam vel infamiam. Cod. scr. Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus etc. habent *infamias* : idque restituit Jac. Gron. Lipsianæ *infumiam* : data opera, an casu, et lapsu operarum, nescio. Ceterum verum puto : eaque de caussa retinui. Scriptum fuit *infumia* : adhæsit litera *s* ex initio sequentis verbi. Non me moveret alias pluralis, etsi nullum aliud exemplum in hoc verbo occurrit, quo alias argumento uti solent libenter viri docti. Sed Tacitus dixisset opinor etiam *pœnas*. Ern.

Ut animus ex propinquo. Legam *ut nimis ex prop.* Si laudes nuperam virtutem, offendis : at de antiquis ferre possumus, ut ævo dissitis, et oggerere, *Aliud sæculum* fuisse. At, si propinqua laudes, arguis et uris qui dissimiles. Si voles etiam, *ut animos ex propinquo*, non refutem. Lips. Sic etiam Mureto placebat : recepit Pichena. Ern. Eo lubentius, quod in cod. repererat *animis*. Dein *ex propinquo*, ut H. 2, 64. *e proximo*. — * Kh. *ex prop.* Non videtur ad propinquum ævum pertinere, sed ad collationem, sc. contraria juxta se posita, i. e. propinqua, etsi tempore multum dissita, magis elucescunt.

Ad incœpta. Sic reperi in edd. omnibus. Cod. scr. habet *ancepto*, quod Jac. Gronovius putat factum ex *ad cœpta*. Ern.

C. Cassium Romanorum ultimum. Hoc quidem Bruti ipsius elogium fuit de Cassio jam mortuo : publiceque dixit Ἔσχατον ἄνδρα Ῥωμαίων τὸν Κάσσιον Plutarchus, in Bruto p. 1005. Inde ergo magnificam eam vocem Cremutius sumpsit. Neque aliter *Romanus quispiam, Philopœmenem laudans, ultimum Græcorum dixit* : quod in eodem Plutarcho leges p. 356. At in similem sententiam de Bruto, et ad Brutum, Lucanus canit 7, 588. *O decus imperii, spes*

Accusabant Satrius Secundus et Pinarius Natta, Sejani clientes : id perniciabile reo, et Cæsar truci vultu defensionem accipiens ; quam Cremutius, relinquendæ vitæ certus, in hunc modum exorsus est : « Verba mea, P. C., arguuntur : adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in principem, aut principis parentem, quos lex majestatis amplectitur : Brutum et Cassium laudavisse dicor : quorum res gestas cum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit. Titus Livius, eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut *Pompeianum* eum Augustus adpellaret : neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipsum Cassium, hunc Brutum, nusquam *latrones* et *parricidas*, quæ nunc vocabula imponuntur, sæpe ut insignis viros nominat. Asinii Pollionis scripta egregiam eorundem memoriam tradunt. Messalla Corvinus, imperatorem suum Cassium prædicabat : et uterque opibusque atque honoribus perviguere. Marci

o suprema senatus, Extremum tanti generis per secula nomen. Lips. Suet. Tib. 61. Brutum et Cassium ab eo *ultimos Romanorum* vocatos dicit. Ean.

Satrius Secundus et Pinarius Natta. Alterius mentio Senecæ in Cons. ad Marciam, hujus Cremutii filiam, c. 22. *Propone*, inquit, *illud acerbissimum tibi tempus, quo Sejanus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum : quod tacitus ferre non potuerat, Sejanum in cervices nostras non imponi quidem, sed descendere.* Scribo, *escendere*, id est, pedetentim et per gradus imperatorem fieri. Lips.

Latrones et parricidas. Adspexit ad has servilis adulationis voces idem Lucanus, de Pompeii cæde 8, 609.... *scelus hoc quo nomine dicent, Qui Bruti dixere nefas?* Qui poeta ubique tam liberi, immo licentis styli, in principes est, ut mirer ea scripta sub principe, et quidem tali. Lips

Asinii Pollionis scripta. Qui 17 libros Historiarum scripsit, auctore Suida. Citat Suetonius, et alii. Lips.

Opibusque. Acidalius τὸ *que* deleri vult, ne tribus verbis ter concurrat ingratius. Potuit etiam Tacito tale quid excidere, cum aliis exciderit ; haud paullo studiosioribus suavitatis, Ciceroni et Livio. Cic. pro Quint. c. 11. *qui quia, quod nunquam debitum est.* Nat. D. 1, 20, *quod, quia, quem ad modum natura* etc. Vid.

Ciceronis libro, quo Catonem cœlo æquavit, quid aliud dictator Cæsar, quam rescripta oratione, velut apud judices, respondit? Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent: carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Cæsarum, leguntur: sed ipse D. Julius, ipse D. Augustus, et tulere ista et reliquere; haud facile dixerim, moderatione magis, an sapientia. Namque spreta exolescunt: si irascare, adgnita videntur.»

XXXV. Non adtingo Græcos, quorum non modo libertas, etiam libido impunita: aut, si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime solutum et sine obtrectatore fuit, prodere de iis, quos mors odio aut gratiæ exemisset. Num cum armatis Cassio et Bruto, ac philippenses campos obtinentibus, belli civilis caussa, populum per conciones incendo? an illi quidem, septuagesimum ante annum perempti, quo modo imagini-

19. *Sed maxime solutum et sine obtrectatione fuit.* Excíderat τὸ *meta* ob cognitionem literarum. *Maxime solutum metu et sine obtrectatione*: tamen *solutum dicta factaque* habes 16, 18. Supra c. 31., *solutius promptiusque eloquebatur.* Quo solutius *urbem extra lasciviret.*, Ann. 13, 47. *solutus orator.*, Dial. de Orat. c. 18. Ergo nil muta. — 20. *An illi quidem.* Forte *pridem.*

plura in diatribe nostra *de grata negligentia Orationis*. Mox in *quid aliud* intellige *fecit*, ellipsi Græcis et Latinis frequenti. Ern.

Rescr. oratione. Anticatone. Plut. in Cæs. p. 733.

Sed multa cum acerb. Melius *et.* Wopk.

Ipse D. Julius etc. Suet. Jul. 73. Plut. in Cic. p. 886.

Namque spreta exolescunt. Muretus leg. *Nam quæ spreta exolescunt.* Ern. Ursinus volebat: *namque quæ spr. ex.* — * Cf. Cic. pro L. Man. Hier. ep. 2. ad Nep. t. 6.

An illi quidem. Pichena, *at illi quidem*, interrogationis nota in verbo *retinent* deleta. Sic et Boxhornius. Male. Nam τὸ *num* supra ea vi est, qua *utrum*: itaque hoc alterum est duorum, quæ interrogare instituit. Gron. Paschal. quoque in marg. habet *at*. Broterius accipit *an* pro *annon*, ut sæpe alias. Sed id rarius. V. tamen Ovid. Her. 17, 247.

Septuagesimum ante annum. Rotundum numerum posuit, non verum, qui erat 66. Facilis suppletio. Nam bellum Philippense a. U. 711. at nunc 778. Lips.

bus suis noscuntur, quas ne victor quidem abolevit, sic partem memoriæ apud scriptores retinent? suum cuique decus posteritas rependit : nec deerunt, si damnatio ingruit, qui non modo Cassii et Bruti, sed etiam mei meminerint. » Egressus dein senatu, vitam abstinentia finivit. Libros per ædiles cremandos censuere patres; sed

Quas nec victor quidem abolevit. Genus mendi, quod passim insedit, et jam dudum nimis secure doctis hominibus transmittitur. Scribe: *quas ne victor quidem abolevit.* Gron. Ab hoc tempore plurimis in locis mendum hoc auctoritate codd. sublatum. Vid. copiosissimum exemplis Drakenb. ad Livium 1, 10. et quos ille laudat. Cf. infra H. 2, 76. 79. 82. etc. Hic et ubique in Tacito correximus, ubi nondum ab superioribus editoribus factum. Ern. In locis Taciti hic citatis istud *ne* in lipsianis et Ryckii editionibus deprehendo. De statua Bruti ænea Mediolani posita v. Plut. in Bruto p. 1011.

Vitam abstinentia finivit. Distincte totam historiam Seneca (l. c.): *Usus itaque balneo, et quo plus imponeret, in cubiculum se quasi gustaturus contulit; et dimissis pueris, quædam per fenestram, ut videretur edisse, projecit a cœna. Deinde quasi* (corrupta interpunctio ab ignaris moris prisci, scribe, *projecit. A cœna deinde quasi.* Mos vulgo obtinebat, ut in balneo, aut statim post balneum, aliquid sumerent, quod vocabant gustare et gustum, et deinde nihilominus venirent ad legitimam cœnam) *jam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die et tertio idem fecit. Quarto ipsa infirmitate corporis faciebat judicium.... Cognito consilio ejus, publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur præda. Accusatores, Sejano auctore, adeunt consulum tribunalia; queruntur mori Cordum, ut interpellarent quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an mortis rei perderentur. Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat.* Quem locum eo libentius adscripsi, ut ab aliis depositum emendarem. Corruptum enim illud, *an mortis rei perderentur:* et ad Œdipum relegat nos Pintianus. In libro manuscripto legi, *proderentur.* Itaque cum adseveratione emendo, *an morte rei prohiberentur.* Probat ipse Seneca, statim: *Flet, quod quemquam tuorum mori necesse fuit? Pœne non licuit.* Lips. Dio 57, 24. Crem. Cordum manum sibi inferre coactum scribit; sed id de quovis modo mortis voluntario dici ostendit Marc. Donatus ad h. l.

Libros per ædiles. Alias id per triumviros factum. In vita Agricolæ 2. *Delegato triumviris ministerio, ut monumenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur.* Alias per prætorem. Valerius 1, 1, 12. *Græcos Numæ libros L. Petillius prætor urbanus ex auctoritate senatus per victimarios igne facto in conspectu populi cremavit.* Primus Romanorum hanc ingenii sui

manserunt, occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis, gliscit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere.

XXXVI. Ceterum postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum latinarum diebus, præfectum urbis, Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum,

pœnam subiit Labienus. Vide pulchra apud Senecam patrem lib. 5. Controv. initio. Lips. Cf. 14, 50. Suet. Cal. 16.

Occultati et editi. Occultati a filia, et ab eadem postea editi. Itaque nihil muto. Vertranio tamen placet, *et abditi.* Non moris Tacito, bina verba ponere ejusdem rei. Vidi Senecæ Consolat. ad Marciam 1. Scripserat hic Cremutius bella civilia et res Augusti: extantque fragmenta, ex quibus genus dicendi colligas, in Suasoria Senecæ de morte Ciceronis. Lips. Recte Vertranii conjecturam repudiat Lipsius. Sed vide, an potius legendum sit *redditi.* Seneca l. c. *Ingenium patris tui in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monimenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat.* Certe jamdudum editi fuerant, nunc restituti. Adjuvat conjecturam etiam alius nostri locus 16, 5. *dissimulatum ad præsens et mox redditum odium:* ubi tamen Groslotius malebat *editum.* Frustra. Broterius hanc correctionem meliorem judicat vertraniana, sed acumine carere. Quod acumen intelligat, non dicit. Ern. Haud jure contendit Lipsius non solere Tacitum bina verba ponere ejusdem rei. Contrarium patet ex 3, 11. 12, 3. 15, 15. Hist. 2, 77. Germ. 21. Ita et Cic. de Nat. D. 1, 18. de Off. 1, 35. etc. Wopk. Crollius præfert *editi*, scil. describendi jam copia facta. Cf. Ulpian. l. 1. D. de edendo.

Præfectum urbis Drusum. Capio Drusum Germanici filium. Moris enim, ut latinarum diebus præficeretur urbi adolescens aliquis ex prima nobilitate. Dico adolescens, quoniam, ut Mutius ait, *ex ea ætate præfectus fiat, quæ non sit senatoria.* apud A. Gell. 14, 8. Dio tamen indicare videtur ab Augusto id institutum 49, 42. Ἐν δὲ ταῖς ἀποχαῖς αἱρετοί ὑπὸ τοῦ Καίσαρος ἀπολείπονται οὐδεὶς ἄνθρωπος ἐξ ἰσοτιμίας, ἀλλ' οἱ ἐκ βουλευτῶν γεγενότες, ἄρξαι. Ita et Nero præf. urbi a Claudio Sueton. 7. Lips. *Urbis* est in cod. scr. et edd. vett. Ern. Apud Gell. pro *Mutius* lege *Junius.*

Auspicandi gratia. Moris, ut quicunque munus aut magistratum caperent, primo ejus die leviter aliquid delibarent, auspicii saltem causa. Asconius ad illud Cic. in Verrem: *Qui auspicato a Chalcedone navigavisset.* 1, 40. *Auspicari dicuntur inaugurati magistratus: et quia chalcidem,*

adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium. Quod a Cæsare palam increpitum, caussa exsilii Salviano fuit. Objecta publice Cyzicenis « incuria cærimoniarum D.

id est hirundo, urbem frequentat, facere urbanam provinciam Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam. Itaque appellabant primum illum auspicalem diem. Panegyristes Maximiani c. 6. *Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum: quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum esse videbatur, tunc primum potuerit sufficere peragendis; unoque sol curriculo....et officia te consulis inchoantem videret, et imperatoris implentem.* Non alia fax clarior ad hunc ritum; et bene ait, incipiendis rebus: quia tantum leves quædam et tralaticiæ caussæ proponi solent, dicis gratia. Suet. Nerone 7. *Auspicatus est et jurisdictionem præfectus urbi* (ita lego, non, *præfecti urbis*) *sacro Latinarum, celeberrimis patronis non translaticias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus: quamquam interdictum a Claudio esset.* Nec magistratus solum, sed etiam privati homines vulgo kal. januariis artes suas, religionis ominisque caussa, auspicabantur. Ovidius Fast. 1, 167. *Tempora commisi nascentia rebus agendis, Totus ab auspicio ne foret annus iners. Quisque suas artes eo idem delibat agendo, Nec plus quam solitum testificantur opus.* Seneca ep. 84. (83). *Ille tantus psychrolutes, qui kal. januariis in Euripum saltabam: qui anno novo, quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem desilire.* Suetonium eodem traho Ner. 46. *Kal. januariis auspicanti, Sporus anulum muneri obtulit, cujus gemmæ isculptura erat Proserpinæ raptus.* Illud proprium studiosis, ut auspicarentur lucubrationes suas nocturnas, ut opinor, Volcanalibus ipsis. Apparet ex Plinii verbis epist. 5, 5. ad Macrum de avunculi sui vita studiisque: *Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi caussa, sed studendi.* Vulcanalia autem IX. kal. sept. Lips. Videtur *auspicandi* verbum aliter h. l. dictum, quam putat Lipsius: nempe non de eo, quod boni ominis caussa initio cujusque magistratus faciebant, sed de initio jurisdictionis, et primo gradu honorum gerendorum et reip. capessendæ. Solebant principum liberi et nepotes ab hac præfectura auspicari, h. e. initium facere honorum et reip. administrandæ. Patet e loco Suetonii in Ner. c. 7. Ern.

Quod a Cæsare palam increpitum. Jure, quia, ut dixi, non seriæ caussæ, sed leves quædam tunc agi solitæ: multo minus capitales, et ominis sævi ac scævi. Lips.

Objecta publice Cyzicenis. Publice referendum ad *Cyzicenis* non ad *objecta*: exquisite pro *Cyzicenæ civitati.* Vid. Suet. in nota proxima. Sic contrario sensu *privatim*: Cicero: *nulla me privatim injuria pepulit.* Ern.

Incuria cærimoniarum D. Augusti. Quod fanum honori ejus cœptum non perfecissent, et quod cives quosdam rom. in vincla habuissent. Dio 54, 7. et Suet. 37. *Cyzicenis,*

Augusti, » additis « violentiæ criminibus adversum cives romanos. » Et amisere libertatem, quam bello Mithridatis meruerant circumsessi, nec minus sua constantia, quam præsidio Luculli, pulso rege. At Fonteius Capito, qui proconsul Asiam curaverat, absolvitur, comperto ficta in eum crimina per Vibium Serenum. Neque tamen id Sereno noxæ fuit; quem odium publicum tutiorem faciebat; nam, ut quis districtior accusator, velut sacrosanctus erat: leves, ignobiles, pœnis adficiebantur.

XXXVII. Per idem tempus Hispania ulterior, missis ad senatum legatis, oravit, « ut exemplo Asiæ delubrum Tiberio matrique ejus exstrueret. » Qua occasione Cæsar, validus alioqui spernendis honoribus, et respondendum ratus iis, quorum rumore arguebatur, « in ambitionem flexisse, » hujuscemodi orationem cœpit. « Scio, P. C., constantiam meam a plerisque desideratam, quod Asiæ civitatibus, nuper idem istud petentibus, non sim adversatus. Ergo et prioris silentii defensionem, et quid in futurum statuerim, simul aperiam. Cum D. Augustus sibi atque urbi Romæ templum apud

in cives rom. violentius quædam ausis, publice libertatem ademit, quam bello Mithridatico meruerant. Ademerat sane Cyzicenis libertatem et Augustus, ob cives item rom. flagris cæsos: sed mox restituit; uti apud Dionem reperies 54, 7. et 23. actis anni 734. et 740. Strabo 12. p. 576. Cyzicum liberam fuisse ait suo etiam ævo. Ex quo vides, magnum illum scriptorem desiisse vivere aut scribere, ante hunc Tiberii annum. Lips. Ex mente Ryckii: quod Augusti benefactoris sui cultum intermiserint.

Nam ut quis districtior. Plane ex illo Sallustiano oraculo, sub Tyrannis Jug. 31. *Quam quisque potentiæ fecit, tum maxime tutus est.* Lips. *Districtus* est acerbus, severus, gravis, ut recte Freinsh. Edit.

D. Augustus sibi. Exemplum hujus adulationis a Persis, de quibus apud Q. Curtium postremus servorum Cleo 8, 5., *Persas non solum pie, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: majestatem enim imperii salutis esse tutelam.* Eadem Augusto mens, sed ut leniret invidiam, non sibi soli permisit templa statui, sed conjunctim urbi Romæ: quæ jampridem scilicet inter deas

Pergamum sisti non prohibuisset; qui omnia facta dictaque ejus vice legis observem, placitum jam exemplum promptius secutus sum, quia cultui meo veneratio senatus adjungebatur. Ceterum, ut semel recepisse veniam habuerit, ita per omnes provincias effigie numinum sacrari, ambitiosum, superbum: et vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.»

XXXVIII. «Ego me, P. C., mortalem esse, et hominum officia fungi, satisque habere, si locum principem impleam, et vos testor, et meminisse posteros volo, qui satis superque memoriæ meæ tribuent, ut majoribus meis dignum, rerum vestrarum providum, constantem in periculis, offensionum pro utilitate publica non pavidum, credant. Hæc mihi in animis vestris templa, hæ pulcherrimæ effigies et mansuræ: nam quæ saxo struuntur, si judicium posterorum in odium vertit, pro sepulcris spernuntur. Proinde socios, cives, et

Suet. 52., *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia nisi communi suo Romæque nomine recepit.* Ita a communi Asiæ Pergami statutum templum, de quo hic Tacitus, et denarii veteres: in quibus templi forma cum inscriptione: COM. ASIAE. ROM. ET. AVG. id est, commune Asiæ Romæ et Augusto; de quo satis multa Dio 51, 20. in actis anni 725. Facit, quod in lapidibus legimus, FLAMINI. ROM. ET. AVG. et apud Rufum templum Romæ et Augusti in ipsa urbe. Lips. De numo cit. v. Spanh. t. 2, p. 650 Eckel. D. NN. vet. t. 2, p. 466. — * De templo mylasensi, v. Pococke in Desc. of the East. t. 2, part. 2. p. 61. De ara lugdunensi, Menetrier, et Comm. Gall. acad. insc. t. 12, p. 253, et NN. Aug.

Omnia facta dictaque. Quod de se hic Tiberius, tribuit illi etiam Strabo 6. extremo: *Tiberius*, inquit, *successit Augusto: Καινὰ τῆς διοικήσεως καὶ τῶν προσταγμάτων ποιούμενος ἐκεῖνον.* Lips.

Vener. senatus. Cf. supra c. 15.

Ut majoribus meis. An *si* vel *ubi*, quod sæpe a librariis in *ut* mutatur. V. Drakenb. ad Livium 24, 15. et quos ibi laudat. Broterius *ut* interpretatur *cum*: quod sic dici Latinis non docet, nec ipse scio. Ern. Nihil mutatione opus. V. not. ad 11, 15. Wopk. Recte Crollius: non ita ingrata erit posteritati mea memoria, ut non *me* credant *m. m. d.* Illud *me* excidisse putabat Broterius. Addit tamen posse intelligi.

Pro sepulcris spernuntur. I. e. non secus ac sepulcra. Atqui Cicero

deos ipsos precor: hos ut mihi ad finem usque vitæ quietam et intelligentem humani divinique juris mentem duint; illos, ut, quandoque concessero, cum laude et bonis recordationibus, facta atque famam nominis mei prosequantur. » Perstititque posthac secretis etiam sermonibus adspernari talem sui cultum: quod « alii modestiam, » multi, « quia diffideret, » quidam, ut « degeneris animi, » interpretabantur. « Optumos quippe mortalium altissima cupere. Sic Herculem et Liberum apud Græcos, Quirinum apud nos, deum numero additos. Melius Augustum, qui speraverit. Cetera principibus statim

21. *Et deos ipsos.* MS. Flor. *et deos et deos ipsos.* An, *et deos hos ipsos?* vel *deos adeo hos ipsos?* Erant enim in senatu statuæ deorum, erat et ara Victoriæ. Sic et altaria in senatu 16, 31. — 22. *Melius Augustum qui speraverit.* An *aspèraverit?*

in sepulcris sanctitatem esse dicit Phil. 9. et statuis præfert c. 6. Nec acumen sententiæ video, si templa mortuorum et eorum sepulcra sperni dicantur, etsi oppositio in templis et sepulcris clarior est. An Tacitus scripsit *pro sepultis?* non secus atque ipsi mortui et sepulti, quorum honori et memoria talia tribuuntur. Nam ejusmodi quid, quod ad hominem pertineat, requirere videntur illa, *si judicium posterorum in odium vertit.* De vi præpositionis in hac forma vid. Heins. ad Ovid. Heroid. 3, 98. Ern. Commode Hiller. Rac. 30. notat, non hic agi de sepulcris universe, verum de tumulis eorum, qui in odium posterorum inciderint.

Deos et deas ipsas. Optime: nec, ut alii, *deas* rejicias. Est solennis precatio, exemplo Græcorum. Demosth. de Cor. 1. Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις: et sæpius. Est a fonte Homerico Il. Σ, 5. Κίκλυτέ μευ, πάντες τε θεοί, πᾶσαί τε θεαιναι. Lips. In cod. MS. bis est *et deos*, inde veteres editores dedere *et deas*. Jac. Gron. autem emendabat *exteros*. Malim Pichenam sequi, qui illam inanem repetitionem librarii putabat. Nam etiam *socii* sunt *exteri*. Ern.

Quandocunque. Cod. scr. *quandoque*, ut 1, 6. editi omnes *quandocunque*.

Multi, quia diffideret. Forsan rectius, *quasi diffideret;* sed alterum, licet durius, placuisse nostro puto, quia sic etiam Sallust. Jug. c. 82. Wopk. Cf. et 1, 76, 80.

Melius Augustum, qui speraverit. Fatetur ipse in literis ad dissimillimum sibi successorem: *Benignitas enim mea me ad cœlestem gloriam efferet*, Sueton. 71. Livius 1, 7., *Hæc tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscipit: jam tum immortalitatis virtute partæ, ad quam eum sua fata duceb. nt fator.* Gron.

Principibus statim adesse. Legendum *affatim adesse*, Muretus puta-

adesse : unum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam : nam contemptu famæ, contemni virtutes.»

XXXIX. At Sejanus nimia fortuna socors, et muliebri insuper cupidine incensus, promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Cæsarem codicillos. Moris quippe tum erat, quamquam præsentem, scripto adire. Ejus talis forma fuit : « Benevolentia patris Augusti, et mox plurimis Tiberii judiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos, quam ad principum aures conferret. Neque fulgorem honorum unquam precatum : excubias ac labores, ut unum e militibus, pro incolumitate imperatoris malle. Attamen, quod pulcherrimum, adeptum, ut conjunctione Cæsaris dignus crederetur : hinc initium spei. Et, quoniam audiverit, Augustum, in collocanda filia, nonnihil etiam de equitibus romanis consultavisse ; ita, si maritus Liviæ quæ-

bat : quod sequentia videntur postulare. Ern. Crollius *statim* prima longa sumit pro perpetuo, æqualiter, ut apud Ter. Phorm. 5, 3, 7. ubi v. Donatus. Hilierus a vulgari significatione non recedit ; *statim* quippe, cito, ab initio principatus cetera adsunt. Utroque sensu emendatione nil opus.

Prosperam memoriam. Chifletius tentat *posteram* in ep. ad Lips. t. 1. Coll. Burm. p. 728. ut Horat. Carm. 3. ult. dixit *postera laude*. Vulgatum melius. De *prospera fama* vide ad cap. 52. Ern.

Nimia fortuna socors. H. l. intelligam vecors, demens. Vid. ad 31. Ern. Lipsius in margine emendabat *vecors*.

Flag. Livia. Cf. supra c. 3.

Moris quippe tum erat. Probus sapiensque mos, et quem ego sane laudem. Repertorem ejus C. Cæsarem fuisse, moneatur a me juventus. Ita enim Plutarchum accipio in Cæsare p. 716. Λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν, Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἔντευξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων, τοῦ καιροῦ, διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν, καὶ τῆς πόλεως τὸ μέγεθος, μὴ περιμένοντος. Quod referri non nisi ad amicos præsentes posse clarum est. Tenuit coluitque eumdem morem Augustus, qui *sermones cum singulis, atque etiam cum Livia sua, graviores, non nisi in scriptis et e libello habebat; ne plus minusve loqueretur.* Suet. 84. Lips.

Conjunctione Cæsaris. Filia ejus Claudii filio desponsa. Lips.

Etiam de equitibus romanis. Suet. Aug. 63. *Agrippa defuncto, multis ac diu etiam ex equestri ordine cir-*

reretur, haberet in animo amicum, sola necessitudinis gloria usurum. Non enim exuere imposita munia : satis æstimare, firmari domum adversum iniquas Agrippinæ offensiones; idque liberorum caussa : nam sibi multum superque vitæ fore, quod tali cum principe explevisset. »

XL. Ad ea Tiberius, laudata pietate Sejani, suisque in eum beneficiis modice percursis, cum tempus, tanquam ad integram consultationem, petivisset, adjunxit: « Ceteris mortalibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent : principum diversam esse sortem; quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Ideo se non illuc

cumspectis conditionibus, Tiberium privignum suum elegit. Lips.

Non exuere imposita munia. Int. præfecturam prætorii, munus equestre : nolle altius ascendere, ad majores honores provehi, ut ea de caussa hoc matrimonium expetat. Sic c. 50. *sua quisque munia servarent immoti :* maneret quisque in loco, faceretque mandata. Ern.

Liberorum caussa. Non hoc dicit, quod in fronte videtur : velle se matrimonium liberorum caussa, uti formula et lex erant : sed firmandæ Drusi domus, quæ desolata jam illo mortuo erat, contra Agrippinam. Firmandæ, inquam, liberorum Drusi gratia : et ut illos (nepotes Tiberii) tueretur. Sequentia id adfirmant, alioqui longinqua : *nam sibi satis vitæ*, etc. quasi dicat, de se non angi, aut sua posteritate : felice, si cum principe vivat, obeatque. Lips. Immo suorum liberorum caussa; ut bene interpretatur Freinshemius. Suam domum firmari volebat adversus Agrippinam, et quidem liberorum maxime nomine. Nam de se non magnopere laborare, quippe satis sibi diuturnam vitam fore, si modo ad Tiberii finem vivat, atque interea cum ipso vivat. Ern.

Ad integram consultationem. I. e. nullis dolis aut præjudiciis corruptam. Ut Sallust. Jug. c. 108. *Consulta sese omnia cum illo integra habere.* Wopk.

Ceteris mortalibus. Vix abest, quin ad Sallustium respexerit, quem non legit solum sedulo, sed sublegit. Nam apud eum Cæsar pari sententia disserit in Cat. 51. *Aliis alia licentia est, P. C., qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid iracundia delinquere, pauci sciunt : fama atque fortuna eorum pares sunt. Qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna minima licentia est.* Lips. *In eo stare*, utilitatis finibus contineri, ad solam utilitatem referri. Mox : *Vis in quidem intra istum locum sistere.* Ern.

* *In eo st. c. q..... putent.* Sic frequenter et alii. Wopk.

decurrere, quod promptum rescriptu : posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, an in penatibus iisdem tolerandum haberet : esse illi matrem et aviam, propiora consilia : simplicius acturum : de inimicitiis primum Agrippinæ; quas longe acrius arsuras, si matrimonium Liviæ velut in partes domum Cæsarum distraxisset : sic quoque erumpere æmulationem feminarum, eaque discordia nepotes suos convelli : quid, si intendatur certamen tali conjugio? Falleris enim, Sejane, si te mansurum in eodem ordine putas, et Liviam, quæ C. Cæsari, mox Druso, nupta fuerit, ea mente acturam, ut cum equite romano senescat. Ego ut sinam, credisne passuros, qui fratrem ejus, qui patrem majoresque nostros, in summis imperiis videre? Vis tu quidem istum intra locum sistere : sed illi magistratus et primores, qui, te invito, perrumpunt, omnibusque de rebus con-

23. *Simplicius acturum* etc. *Simplicius cum iis acturum.* — 24. *Qui te invito perrumpunt. Te invitum* forte, et *excessisse jam pridem. Perrumpere aliquem*, ut 1, 51., *uno impetu perruptum hostem redigunt in aperta.* 3. 15., *ne quo affectu perrumperetur.* 4, 67., *ne quis quietem ejus irrumperet.* 12, 43., *militum globo infestos perrupit.* Hist. 3, 2., *duæ alæ perrupere hostem.* Seneca de Benef. 6, 16., *Medicus, qui nihil amplius, quam manum tangit, et me inter eos, quos perambulat, ponit.* Sic eidem Hannibal exsul *pererrasse reges* dicitur Præf. L. 3. Natur. Quæst. Noster 3, 4., *nihil Tiberium magis penetravit*, non dissimili locutione : hoc ipso rescripto Tiberius, *quibus necessitudinibus te mihi immiscere parem.* De salutantium illa consultantiumque invidiosa turba, ipse Sejanus mox in sequentibus. *Invisum* cur malim, quam *invitum*, quæ sequuntur, satis evincunt, *per invidiam tui me quoque incusant.* Sed maneat τὸ *invitum.* 11, 17., *Non enim irrupisse ad invitos, sed accitum.*

Velut in partes. Int. factionum, mox *quid* int. fiet. *Convelli* autem est ad discordiam redigi, et odia, cum filii Drusus et Germanicus bene concordes fuerint, et certaminibus proximorum inconcussi. 2, 43. Ern.

Falleris enim, Sejane. Respondet illi parti. *Non enim exuere se imposita munia.* Lips.

C. Cæsari. Augusti filio. Lips. Sc. per adoptionem. Ern.

Intra i. l. sistere. Hæc est antiqua et vera lectio, cui male quidam supposuere *subsistere*, fato quodam verbi illius. Vid. Gronov. ad Livium 4, 10. *Sistere* est continere se, coercere. Sic infra c. 48. *dum populatio lucem intra sisteretur.* Ern.

Qui, te invito, perrumpunt. I. e.

sulunt, excessisse jam pridem equestre fastigium, longeque antisse patris mei amicitias, non occulti ferunt, perque invidiam tui me quoque incusant. At enim Augustus filiam suam equiti romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, cum in omnis curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem conjunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium, et quosdam

ut ego arbitror, fines istos, intra quos continere te vis, modestiam tuam: qui vim faciunt modestiæ tuæ: te, velut principem civitatis, salutant, omnibusque de rebus consulunt. Atque hanc interpretationem et contextus ipse desiderat, et sequentia c. 41. *tacita suspicionum deprecatur*. Nam non ita obtusus erat Sejanus, ut non sentiret, hic per ambages sibi objici a Tiberio istas primorum salutationes et obsequia. Itaque excogitavit deinde, quomodo, salva potentia, adeuntium cœtus arceret, ne receptando materiam criminantibus inimicis, atque adeo suspicanti Tiberio, præberet. Infra c. 67. *ne quis quietem ejus interrumperet*, i. e. turbaret adeundo, appellando, petendo etc. Ern.

Omnibusque de rebus consulunt. Senatores igitur intellegere videtur, qui publice consuluut et de rep. censent. Neque de privatis ceperim, qui Tiberio consilium darent. Lips. Male. Vide not. præcedentem. Ern.

Excessisse jam pridem. Quare? aut quo in facto? Credo, quia prætoriis honoribus insignitus Sejanus a Tiberio, atque ita velut exemtus equiti, et insertus in senatum. Sed et postea consulem eum fecit et senatorem palam. Suetonii igitur scriptio, adfirmantis in Tito c. 6.) *præfecturam prætorii, nunquam ad id tempus, nisi ab equite rom. administratam*, nonne legenda caute? videtur: et cum exceptione hujus, atque etiam alius (ut alibi dicam) exempli in Clemente Arretino lib. 4. hist. Lips.

Patris mei amicitias. Id est, amicos. Intellegit Augusti Agrippam aut Mæcenatem. Lips.

Mirum hercule etc. Sensus est: non debemus mirari, si Augustus aliquando deliberavit, an equiti filiam collocaret. Etenim ille pro sua prudentia, qua rem quamque, in primisque tantam, ab omni parte considerabat, cogitabatque, quid publice privatimque nasci a conjugio tali posset, videbat, tali conjunctione tantum attolli homines, ut facile possent spiritus sumere, et sibimet ipsi molesti esse, si jam per se nobiles et honorati essent. Itaque cogitavit, an non melius et tutius foret, equitem generum deligere, qui, expers reipublicæ, procul ab honoribus et negotiis publicis egisset. Nam tamen majorem ceteris ista conjunctione fore, et nihil contra se moliturum. Ern.

C. Proculeium. Qui frater Varronis Murenæ, illius, qui in Augustum conspiravit: cujus etiam soror Mæcenati uxor. Dio 54, 3. Laudat eum Horatius Od. 2, 2, 5. *Vivet extento Proculeius ævo*, No-

in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitæ, nullis reipubl. negotiis permixtos. Sed, si dubitatione Augusti movemur, quanto validius est, quod M. Agrippæ, mox mihi collocavit? Atque ego hæc, pro amicitia, non occultavi: ceterum neque tuis, neque Liviæ destinatis adversabor. Ipse quid intra animum volutaverim, quibus adhuc necessitudinibus immiscere te mihi parem, omittam ad præsens referre: id tantum aperiam, nihil esse tam excelsum, quod non virtutes istæ tuusque in me animus mereantur; datoque tempore, vel in senatu, vel in concione non reticebo. »

XLI. Rursum Sejanus, non jam de matrimonio, sed altius metuens, « tacita suspicionum, vulgi rumorem, ingruentem invidiam » deprecatur. Ac, ne adsiduos in domum cœtus arcendo infringeret potentiam, aut receptando facultatem criminantibus præberet; huc flexit, ut Tiberium ad vitam procul Roma amœnis locis degendam impelleret. Multa quippe providebat: sua in manu aditus, literarumque magna ex parte se arbitrum fore, cum per milites commearent: mox Cæsarem, ver-

tus in fratres animi paterni. Lips.

Dubitatione. Hoc est, deliberatione, cui mox opponitur decisio. Neque hæc est argumentatio: si consiliis Augusti movemur, moveamur eo, quod Agrippæ mihique filiam suam collocavit; quasi diceret, nam et hoc inter ejus consilia fuit. Verum longe fortius est, si movemur dubitatione Augusti; multo magis moveri debemus ejus decisione nam de equestribus conditionibus deliberavit quidem; at longe aliud probavit decrevitque, et ipso pacto exsecutus est. Lips. *Dubitare* etiam Cicero pro considerare, deliberare, dixit pro Rosc. Am. 31. de Offic. 1, 3. et noster infra c. 57. extr. Ern.

Non jam. Sic Muretus, Pichena, Ursinus. Prius legebatur *non tam.*

Altius metuens. Metuebat non tam, ne matrimonii istius spes irrita esset, sed ne majora incommoda sequerentur. Mox *deprecatur*, intellige, vel coram, vel potius per epistolam alteram. Ern. Sic et 16, 29. Petr. Sat. c. 128. Wopk.

Per milites commearent. Observa literas per milites solere transmitti, et quidem per eos, qui speculatores dicti. Plutarchus in Galba p. 1056. Nymphidium præfectum prætorio

gente jam senecta, secretoque loci mollitum, munia imperii facilius tramissurum : et minui sibi invidiam, adempta salutantum turba; sublatisque inanibus, vera potentia augere. Igitur paullatim negotia urbis, populi adcursus, multitudinem adfluentium increpat, extollens laudibus « quietem et solitudinem : quis abesse tædia et offensiones, ac præcipua rerum maxime agitari. »

XLII. Ac forte habita per illos dies de Votieno Montano, celebris ingenii viro, cognitio, cunctantem jam

valde offensum scribit, quod consules literas et diplomata : μὴ παρ' αὐτοῦ καὶ σφραγίδα καὶ στρατιώτας λαβόντες ἀνέπεμψαν. Nec alius sententiæ illud Taciti H. 2, 73. *Vix credibile memoratu est, quantum superbiæ Vitellio accesserit, postquam speculatores e Syria Judæaque adactum in verba ejus Orientem nuntiavere.* Hæc clara, et firmandæ Suetonii scripturæ, quæ in omnibus fere mss Cal., 44. *Magnificas Romam literas misit, monitis speculatoribus, ut vehiculo ad forum usque et curiam pertenderent.* Depravarunt vulgo, *sæpe latoribus.* Lips.

— *Vergente jam senecta.* Suspicor legendum *urgente*, ut Cicero de Sen. c. 1. Wopk.

Vera potentia augere. Accipiunt passive pro *augeri*, quomodo etiam alibi noster dixit imitatione Sallustii fr. hist. l. 1. p. 947. ed. Cortii, quem ibi vide. Adde Duker. ad Liv. 3, 6. Itaque non opus videtur, cum Rhenano et Marcilio emendare *augeri*, aut cum Mureto *verum potentiam*. Sed tamen credo, *augeri* legendum. Nam, ubi *augere* passive reperitur, semper ita est, ut possit intellegi *se*, aut aliud pronomen tale : velut in loco Sallustii : *ignoscendo populi r. magnitudinem auxisse.* Atque ita capiebat ibi recte Cortius, quem de aliis talibus verbis vid. Excurs. 6. ad Jug. c. 85. Sed id hic fieri non potest. Atque etiam concinnior fit oratio. Ceterum elegans est etiam, quod Ryckius vult : *vera potentiæ*, ut alibi *inania famæ* dixit : quamquam non semper illa exquisitiori forma utitur noster, sed subinde etiam tritiori. Ern. Heinsius jam volebat legi *vera potentiæ*, ut c. 59. *vana rumoris.* c. 46. *edita montium* etc. Id placuerat et Paschalio. De passiva significatione τοῦ *augere* et similium v. Gell. 18, 12. — Wopkens. cum Rhen. mavult agere sc. se, ut Hist. 2, 58. 5, 1. 6, 27. Germ. 46. Vel cum Mureto *veram potentiam augere*, ut Hist. 3, 45.

Votieno Montano. Cujus inter celebres oratores mentio Senecæ Contr. 28. et Præf. lib. 4. Etiam inter poetas Ovidio ex Ponto 4, 16, 11. *Quique vel imparibus numeris, Montane, vel æquis Sufficis, et gemino carmine nomen habes.* Lips.

Cunctantem. Nutantem Muretus et Acidalius volunt legi. Sed id verbum ab hoc loco alienius videtur. *Dubitantem* potius emendarem. Sed nihil correctione opus. *Cunctari* delibe-

Tiberium perpulit, ut vitandos crederet patrum cœtus vocesque, quæ plerumque veræ et graves coram ingerebantur. Nam, postulato Votieno, « ob contumelias in Cæsarem dictas, » testis Æmilius, e militaribus viris, dum studio probandi cuncta refert, et, quamquam inter obstrepentes, magna adseveratione nititur, audivit Tiberius probra, quis per occultum lacerabatur, adeoque perculsus est, ut « se vel statim, vel in cognitione purgaturum, » clamitaret; precibusque proximorum, adulatione omnium, ægre componeret animum. Et Votienus quidem majestatis pœnis adfectus est: Cæsar objectam sibi adversus reos inclementiam eo pervicacius amplexus, Aquiliam, adulterii delatam, cum Vario Ligure, quamquam Lentulus Gætulicus, consul designatus, lege Julia damnasset, exsilio punivit: Apidiumque Merulam, « quod in acta D. Augusti non juraverat, » albo senatorio erasit.

randi significationem habet, sed cum nondum decreveris. Sueton. Domit. 2. *diu cunctatus, an duplum donativum militi offerret.* Vid. Gronov. obs. 1, 18. Cort. ad Sall. Cat. 52. Ern. —* Sic et Wopkens. ut Val. Flacc. 1, 156.

Magna adseveratione. Vide ad c. 19. possis etiam h. l. capere pro constantia. Ern.

Vel statim, vel in cognitione. H. e. ni fallor, vel statim ab edito testimonio Æmilii, vel post, ubi de istis rebus cognitio, disceptatio, futura esset. Freinshemius autem malebat corrigere in *concione*: quæ duo verba etiam alibi confunduntur. V. Intt. ad Sueton. Tit. 6. et infra Hist. 2, 79. Ern. Paschal. in margine: forte *concione*.

Majestatis pœnis adfectus est. Quibus pœnis, propius disce ex Eusebio in Chron. *Votienus Montanus Narbonensis orator in Balearibus insulis moritur, illuc a Tiberio relegatus.* Lips.

Lege Julia damnasset. Adulterii pœnæ quæ olim, non in promptu: reclusi, qua potui, et tenebris prisci ævi radium aliquem novæ lucis dedi, in Excursu. Lips. Cf. 2, 50.

Albo senatorio. Album τὸ λεύκωμα, id est, tabulæ albatæ, in quibus nomina aliudve quid inscriptum. Sic legis album prætoris, album decurionum, album judicum. Et in Tertull. adv. Marc. 5, 1. album Apostolorum. Senatorum autem album primus instituit Augustus a. U. 746. cum recenso senatu mulctas infrequentibus imposuisset, et simul definisset numerum, intra quem SC. non fieret. Eas ad res visum necessa-

XLIII. Auditæ dehinc Lacedæmoniorum et Messeniorum legationes, de jure templi Dianæ Limnatidis, quod « suis a majoribus, suaque in terra dicatum, » Lacedæmonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus : « sed Macedonis Philippi, cum quo bellassent, armis ademptum, ac post C. Cæsaris et M. Antonii sententia redditum. » Contra Messenii, « veterem inter Herculis posteros divisionem Peloponnesi » protulere, « suoque regi Dentheliatem agrum, in quo id delubrum,

rium album : quod renovatum quotannis, et in Curia propositum. Dio 55, 3. Τά τε ὀνόματα συμπάντων τῶν βουλευόντων ἐς λεύκωμα ἀναγράψας ἐξέθηκε, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν κατ' ἔτος οὕτω ποιεῖται. Lips. De albo v. Salmas. de mod. Usur. p. 678. Ern.

Dianæ Limenetidis. Scripturam eam juvare aliquid Callimachi versus videntur in Dianæ Hymno v. 38. ....Καὶ μὲν ἀγυιαῖς Ἔσσῃ καὶ λιμέ-νεσσιν ἐπίσκοπος. Quasi eadem illa dea viis præsit portibusque. At tu nihil ambigens repone, *Limnatidis*. Ita historia hic postulat, et consensio scriptorum. Sive enim a Limnis vico (qui aliter Amyclæ dictus) Messeniæ : sive ἀπὸ τῆς λίμνης, a palude, agnominata ea dea, certe *Limnatis* scribendum sive *Limnetis*. Prioria sententiæ Strabo esse videtur l. 8. p. 361. Τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, Δίμναιον, ἐφ' ᾧ Μεσσήνιοι περὶ τῆς παρθένους ὑβρίσαι, δακοῦσι τὰς ἀφιγμένας ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίοις ἐστὶ τῆς Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας. Ὅπου κοινὴν συνεστίλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι. Nec dissimilia l. 6. p. 257. At a lacu derivat clare Pausanias 4, 31. 7, 20. itemque Artemidorus 2, 35. qui Dianam in somniis visam boni ominis piscatoribus esse vult, quoniam et Λιμνῆτις dicatur. Lips. Idem sentiunt Ferretus, Vertranius et Heinsius ad Ovid. Met. 5, 48. De Diana Limnatide, item Limenetide laudatur hic Meursius in Laconicis 1, 2. Cod. MS. habet *Limenatidis*. Ern. Meursius *Limenatidem* Dianam a *Limnatide* distinguit; istam a portu dictam in confinio Lacones et Messenios communi cultu veneratos, de cujus templi jure tum disceptatum sit; hujus a lacu nominatæ fanum, λιμναῖον, aliud in Laconia, aliud in Messenia fuisse. Prioris, *Limenetidis*, nomen quoque in Anthol. 6, 3. reperisse tradit. Ast ibi non Diana, sed mullus, τρυγλα λιμενῖτις, occurrit. Potius ad Callimachi locum a Lipsio cit. poterat provocare. Verum Strabonis et Pausaniæ consensus de *Limnatide* dea et conjectura Meursii et codicis auctoritate merito prævalet. Legendum *Limnatidis*.

Veterum inter Herculis posteros. In tria regna Argivum, Lacedæmonium et Messenium. V. Isocratis Archidamum p. 282. et collecta Prideausio ad Marm. Oxon. Ep. 6. Ern.

Dentheliatem agrum. Lectionis et historiæ obscuræ locus. Placet, *Regi*

cessisse : monimentaque ejus rei sculpta saxis et ære prisco manere. Quod si vatum, annalium ad testimonia

25. *Quod si vatum annalium ad testimonia vocentur.* Lege *quod si vatum, annalium testimonia advocentur : advocare senatum sacramento*, restituimus Hist. 1, 55. Refer autem ad superiora, *Lacedæmonii firmabant annalium memoria vatumque carminibus.* Alii alia hic commenti sunt. Τὸ *et* subintelligitur. 11, 24., *sed terræ, gentes, in nomen nostrum coalescerent.* Sic MS. Flor. et Agr.

Penthilo Eleatem agrum. Penthilus Arcadiæ, et, nisi fallor, Messeniorum rex, filius Orestis. Strabo 13. p. 582. Ὀρίστου δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ τελευτήσαντος τὸν βίον, διαδέξασθαι τὸν υἱὸν αὐτοῦ Πένθιλον λέγουσι, καὶ προελθεῖν μέχρι Θράκης ἐξήκοντα ἔτεσι τῶν Τρωικῶν ὕστερον, ὑπ' αὐτὴν τὴν τῶν Ἡρακλειδῶν εἰς Πελοπόννησον κάθοδον. Velleius 1, 6. *Post Orestis interitum filii ejus, Penthilus et Tisamenus, regnavere triennio. Tum, fere anno octogesimo* (Strabo numeravit annos duntaxat sexaginta) *post Trojam captam, centesimo et vigesimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore, pulsis Heraclidis Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur.* Tempora et res satis conveniunt : disconvenit fortasse Tacitus, qui regem ipsum e posteris Herculis facere videtur. At, cum omnia Græcorum scrinia excussi, qui progeniem Herculis prodidere, interque alios Theophilum l. 2. adversum gentes : Penthilum nullum reperio. Turbat etiam, quod Pausanias 4. 1. ubi Messeniorum reges ordine enumerat, neminem recenset hoc nomine. Quid si legas ergo *Pentheo Eleatem agrum?* quid si, *Teméno?* qui certe inter Heraclidas est. Sed is Argis regnum habuit, ut Pausanias auctor 2, 18, 19. Quem eumdem in hac historia si sequimur 4, 3. Cresphonti nomen fuit Messeniorum regi: cui in divisione, per fraudem liquescentis sortis, terra ea obvenit. Scripserim ergo *suoque regi dein Eleatem agrum.* Eleatem sane retineo, quia Strabo mihi auctor 8. p. 345. totam regiunculam inter Dymen et Messenam Eleam vocatam fuisse. *Dentheleatem*, sive potius *Dentheletem* recipere non possum, quia Thracise ii populi; apud quos qui potuit esse hoc templum? Dixi multa, si erro, da sodes coronam : quia taurum toties non ferire difficile est, ait ille.

ADD. Mercerus *Tegeatem*, aut *Thuriatem* mallet : et cum eo Pausanias profecto, quem vide 4, 31. Nec enim ἔργα facio, historiarum hæc πάρεργα. LIPS. Mercerum sequitur etiam Freinsh. Meursius autem in Laconicis 1, 2. emendat *Deltheniatem* e Stephano, qui habet : Δελθήνιοι, πόλις μία τῶν περιμαχήτων Μεσσηνίων καὶ Λακεδαιμονίων. Verum ibi Holstenius e literarum ordine turbato colligit legendum Δινθήλιοι, quod probat Ryckius, negatque rationem esse, cur potius Tacitus e Stephano, quam hic ex illo corrigatur. Chifletius ep. ad Lips. t. 1. Coll. Burm. p. 728. *suoque regi datum Heliatem agrum cessisse.* ERN. Mercerus non pro *Tegeate*, sed pro *Thuriate* agro pugnat. Ceterum nota, ut dicta intelligi queant, in cod. legi : *suoque recident Heliatem*... unde Rhen. conjectabat primus : *suoque regi Penthelo Eleatem.*

Vatum, annalium ad testimonia. *Vates* sunt poetæ, quorum testimo-

vocentur, plures sibi ac locupletiores esse. Neque Philippum potentia, sed ex vero statuisse. Idem regis Antigoni, idem imperatoris Mummii judicium. Sic Milesios, permisso publice arbitrio, postremo Atidium Geminum, prætorem Achaiæ, decrevisse.» Ita secundum Messenios datum. Et Segestani «ædem Veneris, montem apud Erycum, vetustate dilapsam, restaurari» postulavere; nota

26. *Montem apud Erycum. Erycium* vel *Erycinum* certe. Sic et in Floro.

niis veteres usos in dirimendis controversiis de finibus, satis notum est e Strabone et aliis, observatis Menagio ad Laert. 1, 47. Meursio in Solone c. 7. laudatis Fabricio Bibl. Gr. vol. 1. p. 345. *Annales* sunt libri historicorum. Ceterum durior est copulæ omissio, quæ supra addita est. Ern. Mihi vix dubium est legendum: *quod si vatum annaliumque testimonia advocentur. Ad*, omissum a librario, adjectum deinceps alieno loco.

Publice. Sive decreto civitatum litigantium, sive reipublicæ Milesiorum, quod placet Freinshemio. Ern.

Montem apud Erycum. Immo *Erycem*: Eryx enim Siciliæ ille mons dictus, descriptus Polybio 1, 55. cum ipso templo, et Straboni in 6. p. 272. De eo Virgilius Æn. 5, 759. *Tum vicina astris Erycino in vertice sedes Fundatur Veneri Idaliæ.* Et ad ejus instar etiam Romæ templum erectum Veneris Erycinæ ad portam Collinam. De quo Ovidius Rem. Am. 549. et Livius 22, 10. 23, 30. 40, 34. At illud mirum, quod noster hic Tiberio tribuit, id Suetonium Claudio adscripsisse c. 25. *Templum in Sicilia Veneris Erycinæ, vetustate collapsum, ut ex ærario P. R. reficeretur, auctor fuit.* An Suetonius id scripsit ἀλογιστί? an vere instauratum iterum a Claudio fuit? Quod tamen haud facile creditu, tam pauco annorum intervallo. Lips. Male tentatur *Erycum*, ut ap. Cic. Verr. 2, 8. ab aliis, quo loco Ryckius defendit vulgatum posse putat. Adde Cicer. Verr. 2, 47. et quæ diximus in Clave Cicer. in Ind. Geogr. In universum sunt plura nomina, quæ duobus modis formantur, ut bene notat Jac. Gronovius, altero rariori. Sic vulgatum est *Arabs*, habetur tamen etiam *Arabus* ap. Virg. Æn. 7, 605. ubi v. Serv. Ovid. Her. 15, 76. ubi v. Heins. et Burm. Adde Bimard. Diss. 1. c. 5. p. 26. t. 1, Thes. Murat. Inscr. Ceterum pro *delapsam* edidi *dilapsam*, latinitate jubente. Cic. Marc. 8. *omnia quæ dilapsa jam fluxerunt*, quidam libri male *delapsa*. v. Græv. Liv. 4, 20. *Ædem Veneris Jovis, quam vetustate dilapsam refecit:* quem locum in animo habuit Tacitus. Ubi v. Drakenb. Ern. — Cf. hist. 4, 40. * De Eryce v. et Mela 2, 7. Curam susceptam Tiberius videtur commisisse C. Considiano Noniano, teste numo, in quo hinc caput Veneris cum epigraphe C. CONSIDI NONIANI. S. C. illinc templum in monte, adscripto ERVC. V. Ryckium ad h. l. In numis Segestæ Havercamp. in Comm. ad Parutam p. 670 siglas ΣΓΣΒ. legi jubet TIB.

memorantes de origine ejus, et læta Tiberio. Suscepit curam libens, ut consanguineus. Tunc tractatæ Massiliensium preces, probatumque P. Rutilii exemplum. Namque eum, legibus pulsum, civem sibi Smyrnæi addiderant. Quo jure Vulcatius Moschus, exsul, in Massilienses receptus, bona sua reipubl. eorum, ut patriæ, reliquerat.

XLIV. Obiere eo anno viri nobiles Cn. Lentulus, et L. Domitius. Lentulo, super consulatum et triumpha-

quasi Segestani se, Tiberio ob beneficia accepta obstrictos, Tiberienses vocarint. Id commentum jure respuit Gabriel L. Castellus Princeps Turris Mutiæ, in eximio opere, quod ipsius munificentiæ acceptum refero, quo veteris Siciliæ numos exhibet, p. 64. ad tab. 63. et conjicit potius, numerales siglas, ignotæ Segestanorum epochæ indices esse, in aliis quippe ΠΙΑ. ΠΙΕ. ΠΙΙ. occurrit. Simul hinc corruit conjectura P. Burmanni Sec. qui in Comm. ad numos Siciliæ Dorvilii tab. 11. p. 393. exponebat TIBEPION KAIΣAPA TIMAI.

Ut consanguineus. Quia Segestani pariter a Trojanis orti. Panegyricus tamen scriptor (Eumenius c. 3.) ad solos in Sicilia Mamertinos eam gloriam transfert: *Imputavere se origine fabulosa*, inquit, *in Sicilia Mamertini, in Asia Ilienses.* Lips. Segesta ab Ænea condita ferebatur. Dionys. Hal. A. R. 1, 52. Cic. Verr. 4, 33. Eryx, Veneris filius, Ænese frater. Virg. Æn. 5, 24 et 412.

P. Rutilii exemplum. De quo Ovidius ex Ponto 1, 3, 63., *Et grave magnanimi robur mirare Rutili, Non, nisi reditus conditione dati. Smyrna virum tenuit, non Pontus et hostica tellus.* Velleius 2, 13. Cicero Font. 13. Seneca ep. 24. omnes scriptores. Lips. Cf. Val. M. 6, 4, 4.

Lentulo super consulatum. Plures Lentuli sub hoc ævum, et vereor, ut confuderint quosdam viri docti. Lentulum Augurem eumdem fuisse cum hoc Gætulico censent. Non consentio ego. Primum, quia ille semper Auguris cognomine, quasi ad discrimen adfectus: quod desiisset, facto loco agnomini meliori. Ubi, inquam, ille Augur nominatur, nusquam adjectum Gætulici nomen. Iterum, quia huic Auguri liberi nulli. Colligo ex Suetonii Tiberio, qui 49. ait: *Cn. Lentulum Augurem, cui census maximus fuerit, angore et metu ad fastidium vitæ a Tiberio actum: et ut ne quo nisi ipso herede moreretur.* Non tam impudens Tiberius, (præsertim hoc imperii sui ævo) qui id exprimeret ab homine, cui suus heres. At Lentulo Gætulico filius, uti docebo, cognomine eodem. Denique notari Augurem, ut inertem, sine ingenio, sine lingua, a Seneca video: illum laudari a Tacito hic et 1, 27., *Maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate et gloria belli firmare Drusum credebatur, et illa militiæ flagitia primus aspernari.* Non movet me, quod opes magnas Gætulico Tacitus

lia de Gætulis, gloriæ fuerat bene tolerata paupertas, dein magnæ opes innocenter paratæ et modeste habitæ. Domitium decoravit pater, civili bello maris potens, donec Antonii partibus, mox Cæsaris misceretur. Avus pharsalica acie, pro optimatibus cæciderat: ipse delectus, cui minor Antonia, Octavia genita, in matrimonium daretur. Post exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum: easque ob res insignia triumphi adeptus est. Obiit et L. Antonius, multa claritudine generis, sed improspera.

tribuit, magnas item Auguri Seneca Suetoniusque. Disparitas enim elucet eo ipso. Gætulico gloriæ fuerunt opes innocenter partæ et modeste habitæ, ait noster: vitio Auguri, cujus sordes et sterilitatem no at Seneca his verbis de Benef. 2, 27. *Cn. Lentulus Augur divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent (hic quater millies HS. suum vidit; prop ie dixi: nihil enim amplius quam vidit), ingenii fuit tam sterilis, quam pusilli animi. Cum enim esset avarissimus, numos citius emittebat, quam verba: tanta illi inopia erat sermonis.* Censeo ergo, diversum ab Augure Gætulicum fuisse: censeo tamen, non pugno. Sed et Gætulici duo, pater filiusque. Pater ecce, qui hoc anno mortuus: filius, qui sequenti consul. Nominant Fasti, Dio 59, 22. Tacitus ipse 46. Velleius clarissime 2, 116. *Sed Cossus etiam victoriæ testimonium in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti.* Filius est, cui locus inter doctos: cujus historiæ et poemata laudantur a priscis. Historia a Suetonio Cal. 8. *Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit.* Poemata a Martiale in ep. præm. l. 1. Sidonio ep. 2, 10. et carm. 9, 260. et Probo. Leguntur et hodie quædam græca 3. et 6. Anthologiæ, ubi corrupte titulus. Γετούλιον pro Γαετουλικοῦ. Supervixit iste ad Caii principatum, interfectus ab eo, cum Germaniæ præfuisset decem annos. Dio l. c. Lips.

Modeste habitæ. H. e. sine insolentia e divitiis et profusione *Parate* est in MS. et sic vett. edd. et adhuc Rhen. et Aldus. In Lipsianas *parte* irrepsit vitio operarum. *Paratæ* restituit Pichena. Ern. Rhen. 1519. *paratæ*, sed 1544. *patæ*, vitiose; unde ortum *partæ*.

Domitium decoravit pater Vide Suetonium in Nerone 1. Velleium 2, 72. Lips.

Ipse delectus. Sic Pichena ex *dejectus* codicis; prius erat *deletus*.

Cui minor Antonia. Vertranius, Muretus volunt scribi *major e* Suetonio, qui Ner. 5. majorem Domitio, Cal. 1. minorem Germanico tribuit. Sed etiam infra 12, 64. *minor* dicitur, ubi v. Lipsium. Jac. Gronovius succurrere voluit legendo *cui minori*, h. e. cum adhuc ætate esset ea, quæ nondum magistratum gessisset: quod mihi durum videtur. Ern.

Nam patre ejus, Julo Antonio, ob adulterium Juliæ morte punito, hunc, admodum adolescentulum, sororis nepotem, seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exsilii tegeretur. Habitus tamen supremis honor; ossaque tumulo Octaviorum illata per decretum senatus.

XLV. Iisdem consulibus, facinus atrox in citeriore Hispania admissum a quodam agresti nationis Termestinæ. Is prætorem provinciæ, L. Pisonem, pace incuriosum, ex improviso in itinere adortus, uno vulnere in mortem adfecit: ac pernicitate equi profugus, postquam saltuosos locos adtigerat, dimisso equo, per derupta et avia sequentis frustratus est, neque diu fefellit: nam, prehenso ductoque per proximos pagos equo, cujus foret cognitum: et repertus, cum tormentis edere conscios adigeretur, voce magna, sermone patrio, « frustra se interrogari, » clamitavit: « adsisterent socii ac spectarent: nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret. » Idemque cum postero ad quæsitionem retra-

Julo Antonio. Cf. 3, 18.

Sororis nepotem. Natus enim ex Julo Antonio et Marcella Octaviæ F. Consule Augusti nostrum stemma. Lips.

Specie studiorum. Strabo 4. p. 181. et noster in Agric. 4.

Nationis Termestinæ. Termissum oppidum clarum in Hispaniis agnoscit Appianus Hisp. 99. Τερμισὸν δὲ μεγάλην πόλιν, ἀεὶ δυσκλεῶς Ῥωμαίοις γενομένην, ἐξ ἐρυμνοῦ καταγαγὼν ἐς τὸ πεδίον, καὶ ἐκέλευσεν οἰκεῖν ἀτειχίστους. Et credo me vere emendasse illud Sallustii fragm. l. 3. *Hi saltibus occupatis Termestinorum agros invasere.* Ubi vulgo, *tum externorum agros.* Oppidum ipsum Termes Plinio 3, 4. dictum: unde Termestini. Lips.

Uno v. in mortem adfecit. V. ad 2, 62. Groslotius tentat *adecit*, ἀρχαϊκῶς pro *adegit.* Sordes istæ sunt. Ern. — Sic c. 62. Cf. et 14, 8. Vell. 2, 85. Obsequens de Prod. c. 129. Wopk.

Idemque cum postero. Vertranius notat, *deest hic nomen, die.* Immo judicium hic tibi. Solens priscis sine additione dicere, hesterno, cottidiano, anno, horno, postero, et fere adverbiorum in morem. Exempla, juventutis caussa, sint ista. Tacitus 15, 57. *Postero, cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ*, etc. Plautus Capt. 3, 5, 67. *Nisi cottidiano sesquiopus confeceris.* Ubi perperam legas, *cottidianos*, vulgo.

heretur, eo nisu proripuit se custodibus, saxoque caput adflixit, ut statim exanimaretur. Sed Piso Termestinorum dolo cæsus habetur: qui pecunias, e publico interceptas, acrius, quam ut tolerarent barbari, cogebat.

XLVI. Lentulo Gætulico, C. Calvisio coss., decreta triumphi insignia Poppæo Sabino, contusis Thracum gentibus, qui montium editis inculti, atque eo ferocius agitabant. Caussa motus, super hominum ingenium, quod pati delectus, et validissimum quemque militiæ nostræ dare adspernabantur; ne regibus quidem parere, nisi ex libidine, soliti, aut, si mitterent auxilia, suos ductores præficere, nec nisi adversum adcolas belligerare. Ac tum rumor incesserat, fore, ut disjecti, aliisque nationibus permixti, diversas in terras traherentur. Sed, antequam arma inciperent, misere legatos « amicitiam, obsequiumque » memoraturos; « et mansura hæc, si nullo novo onere tentarentur: sin, ut victis, servitium

Sic idem ille anno non semel dixit, ut alibi notavi et correxi. Sic Cicero lib. 4. ad Att. anniversario, item voluntario, commodo, et plura. Hesterno etiam eadem ratione mihi lectum. Lips.

Ad quæsitionem. Ἀρχαϊκῶς. Sic variis locis Plautus. Utrum Tacitus, aliis quoque locis antiquarius, an librarius talis dederit, pro certo non dicam. Ern. Ast ap. Plautum Capt. 2, 2, 3. Cist. 2, 3, 48. etc. legitur ubivis *quæstioni, quæstione.* In Cas. 3, 1, 16. *inquisitioni.*

Qui pecunias. Plinius 10 epist. 28. *Nunc reipubl. Prusensium impendia, reditus, debitores excutio; quod ex ipso tractatu magis ac magis necessarium intelligo. Multæ enim pecuniæ variis ex caussis a privatis detinentur: præterea quædam minime legitimis sumptibus erogantur.* Et ep. 34. *Erit enim pecunia, ex qua fiat, primum ea, quam revocare a privatis et exigere jam cœpi.* Idem in Panegyr. 70. *Præfuerat provinciæ quæstor unus ex candidatis, inque ea civitatis amplissimæ reditus egregia constitutione fundaverat.* Adde nostrum 13, 48. et quæ ad 2, 54. notavimus. Gron.

Qui montium editis. Hi sunt, quos ὀρεινοὺς Θρᾷκας Thucydides appellat describitque 2, 96. Παρεκέλευε δὲ καὶ τῶν ὀρεινῶν Θρᾳκῶν τοὺς πολλοὺς τῶν αὐτονόμων καὶ μαχαιροφόρων, οἱ ἄνω καλοῦνται, τὸν Ῥοδόπην οἱ πλείστην οἰκοῦντες. Quod ait eos αὐτονόμους: idem Tacitus voluit, cum hic scripsit, *ne regibus quidem nisi ex libidine parere solitos.* Lips.

indiceretur, esse sibi ferrum et juventutem et promptum libertati, aut ad mortem, animum.» Simul castella, rupibus indita, collatosque illuc parentes et conjuges ostentabant, «bellumque impeditum, arduum, cruentum,» minitabantur.

XLVII. At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, dum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, veniret; addita præsenti copia, ad hostem pergit, compositum jam per angustias saltuum. Quidam audentius apertis in collibus visebantur: quos dux romanus, acie suggressus, haud ægre pepulit, sanguine barbarorum modico, ob propinqua suffugia. Mox castris in loco communitis valida manu montem occupat, angustum et æquali dorso continuum usque ad proximum castellum, quod magna vis armata, aut incondita, tuebatur: simul in ferocissi-

Promptum libertati, aut ad mortem. Sic variare noster amat. Cf. c. 9. item 12, 55. 14, 38. et v. not. ad 2, 6. 13, 26. Wopk.

Donec exercitus in unum conduceret. Si bene attenderis, animadvertes, alterutrum horum, *donec exercitus in unum conduceret*, et *dum Pomponius Labeo cum legione* etc. *veniret*, prorsus esse supervacuum, et idem omnino garrulitate inepta dicere. Qua possumus liberare Tacitum, si scribamus: *At Sabinus, donec exercitus in unum conduceret, datis mitibus responsis, cum Pomponius Labeo e Mœsia cum legione, rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium, qui fidem non mutaverant, venissent, addita præsenti copia ad hostem pergit.* Neque aliter ab auctore fuisse censeo. Gron. In cod. est *quam* non *dum*, et *venire* non *veniret*: unde Jac. Gron. sic locum concinnat: *mitibus responsis; postquam Pomp.... venere, addita etc.* Vulgatum non recte habere, quivis sentiet, et alterutro modo corrigendum esse. Ern. Bipontini legunt *quum... venere*. Broter. *donec.... conduceret* uncis includit.

Rex Rhœmet. Cf. 2, 67. 3, 38.

Aut incondita. Recte, Rhenanus, *at incondita*, præter Taciti mentem. Lips. Rhenani conjecturam Aldus expressit. Muretus etiam *armata* delebat, et vir doctus in ed. Gryphii, corrigens, *magna vis sed incondita*. Lectio vulgata vera, infra 49 *multitudo bellatorum, imbellium*. Ern. Paschal. in marg. *at* vel *haud*. Hoc volebat et Heinsius. Vulgatum bene habet.

mos, qui ante vallum, more gentis, cum carminibus et tripudiis persultabant, mittit delectos sagittariorum. Ii dum eminus grassabantur, crebra et inulta vulnera fecere; propius incedentes eruptione subita turbati sunt, receptique subsidio Sugambræ cohortis, quam Romanus promptam ad pericula, nec minus cantuum et armorum tumultu trucem, haud procul instruxerat.

XLVIII. Translata dehinc castra hostem propter, relictis apud priora munimenta Thracibus, quos nobis adfuisse memoravi: iisque permissum « vastare, urere, trahere prædas, dum populatio lucem intra sisteretur, noctemque in castris tutam et vigilem capesserent. » Id primo servatum: mox versi in luxum, et raptis opulenti, omittere stationes, lascivia epularum aut somno

27. *Propius incedentes.* Languidum hoc. Opinor *intendentes.* Vide notas ad 1, 35. — 28. *Lascivia epularum aut somno et vino procumbere.* Quid si *lassi vi epularum? vi tormentorum victi* 14, 60. 12, 67., *vis violentiæ.* Ut illic castigamus. Et *vi vini* de Mor. Germ. c. 23. ex emendatione nostra. *Vi vulnerum* ex pulcherrima Mureti castigatione Hist. 1, 79. *vis victoriæ, vis pluviæ* alibi. *Vi metus* Ann. 6, 19. si locus est sanus. *Vi amoris subactus*, 13, 13. *vi frigoris ambusti*, 13, 35.

More gentis. Notat barbaricum eum ritum eleganter Thucydides in orat. Brasidæ 4, 126. Οὗτοι δὲ τὰν μίλλησιν μὲν ἔχουσι τοῖς ἀπείροις φαβερὰν. Καὶ γὰρ πλήθει ὄψεως δεινοὶ, καὶ βοῇ μεγάθει ἀφόρητοι. Ἢ τε διακοσμησις ἐπανάστασις τῶν ὅπλων ἔχει τινὰ δήλωσιν ἀσφαλοῦς. Προσμίξαι δὲ τοῖς ὑποφεύγουσίν αὐτὰ οὐχ ὁμοίοι. Ubi scribi velim, πλήξει ὄψεως. quod Tacitus transtulit ad Germanos, *corpus nisu torvum.* De hoc ritu in loco plura. Lips.

Crebra et inulta vulnera. Freinsh. *inulta* legendum vidit; et sic habent veteres edd. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi, Gryphii. In Lipsianis irrepsit vitio typographorum *multa*, quod negligentia editorum in posteras edd. venit, correctum primum a Jac. Gronovio. Priores quidem Lipsii edd. velut a. 1574. et 1585. habent *inulta.* At ultima sive sexta *multa.* Ern.

Armorum tumultus. Est somna. crepitus, e concussis telo scutis, deque multa veterum sunt loca. *tumultus* hoc sensu etiam dixit Horatius. Ern.

Servatum. I. e. observatum. Wors.

Raptis opulenti. Sic e MS. vere restituit Pichena: et sic video exhiberi in Lipsiana Antverpiensi 1648. (item 1627.) e Pichena, ut opinor. Quæ ab ipso vivo curata sunt, fere habent *rapti opulentia*, ut Ber. Alciati, Rhenani, Aldi, Gryph. quod an data opera scriptum sit nec ne, nescio. In Lipsianis est etiam *capti*: quod male vulgatis omnibus tribuit

et vino procumbere. Igitur hostes, incuria eorum comperta, duo agmina parant; quorum altero populatores invaderentur, alii castra romana adpugnarent, non spe capiendi, sed ut clamore, telis, suo quisque periculo intentus, sonorem alterius prœlii non acciperet : tenebræ insuper delectæ augendam ad formidinem. Sed qui vallum legionum tentabant, facile pelluntur : Thracum auxilia, repentino incursu territa, cum pars munitionibus adjacerent, plures extra palarentur, tanto infensius cæsi, quanto « perfugæ et proditores, ferre arma ad suum patriæque servitium, » incusabantur.

XLIX. Postera die Sabinus exercitum æquo loco ostendit, si barbari, successu noctis alacres, prœlium auderent. Et postquam castello aut conjunctis tumulis non degrediebantur, obsidium cœpit per præsidia, quæ opportune jam muniebat : dein fossam loricamque contexens, quatuor millia passuum ambitu amplexus est :

29. *Quæ opportune jam muniebat.* Puto *quæ opportune immunierat.* Vide nos ad 11, 19. tum mox *arcteque circumdare.*

Pichena, cum haud dubie operarum vitio pro *rapti* in Lipsianas venerit. Ern.

Incursu... palarentur. Sic Pichena e cod. prius legebatur *concursu..... pabularentur.*

Tumulis non degrediebantur. Sic e MS. pro vulgato *digrediebantur* recte a Pichena repositum. Sall. Jug. 49. *monte degrediens*, ubi v. Cortium et quos laudat. Noster Hist. 1, 61. *Peninis jugis degredi.* Adde viros doctos ad Livium 40, 22. ad Hist. 2, 66. Ern. Vide notata ad c. 74. Wopk.

Jam muniebat. Immuniebat, hoc est, in tumulis istis muniebat, sicut infra 11, 19. *ne jussa exuerent, præsidium immunivit,* Freinshemius conjiciebat. Possis etiam *communiebat.* Ern.

Loricamque contexens. Id est, exiguum vallum, et sepem e cratibus, aut sepis instar : ideoque hic, *contexens.* Vide Poliorcetica nostra 2. Dial. 2. Lips. Loricæ interdum viminеæ ex cratibus pluteisque, interdum ex lapide aut terra. Interdum etiam pro ipso vallo dicuntur, sive, quia pars valli, sive quia vallum loricæ usum præstat iis, qui post vallum stant. v. Schelius ad Hygin. p 126. Nihil sane impedit, quo minus et hic de vallo capiatur, cum fossæ jungatur, neque alia valli mentio. Neque verbum *contexens* impedit, ut opinor, cum *texere* pro struere,

30.

tum paullatim, ut aquam pabulumque eriperet, contrahere claustra, artaque circumdare : et struebatur agger, unde saxa, hastæ, ignes propinquum jam in hostem jacerentur. Sed nihil æque, quam sitis, fatigabat, cum ingens multitudo bellatorum, imbellium, uno reliquo fonte uterentur. Simul equi, armenta, ut mos barbaris, juxta clausa, egestate pabuli exanimari : adjacere corpora hominum, quos vulnera, quos sitis peremerat : pollui cuncta sanie, odore, contactu. Rebusque turbatis malum extremum discordia accessit; his deditionem, aliis mortem, et mutuos inter se ictus parantibus. Et erant, qui « non inultum exitium, sed eruptionem » suaderent, neque ignobiles, quamvis diversi sententiis.

L. Verum e ducibus, Dinis provectus senecta, et longo usu vim atque clementiam romanam edoctus, « ponenda arma, unum adflictis id remedium, » disserebat. Primusque se cum conjuge et liberis victori permisit : secuti ætate aut sexu imbecilli, et quibus major vitæ quam gloriæ cupido. At juventus Tarsam inter et Turesim distrahebatur : utrique destinatum, cum libertate occidere : sed Tarsa « properum finem, abrumpen-

ædificare, dicatur apud Cic. ad Att. 4, 15. et Suetonium. Ern.

Simul æque armenta. Malim, *Simulque armenta.* Possit etiam, *Simul equi, armenta.* Sed hoc præfero. Lips. Probat Pichena. MS. *eque.* Jac. Gronovius : *uno reliquo fonte uterentur simul. Æque armenta etc.* Quod mihi quidem non placet. Ern. Τὸ *equi* expungendum censet Grut. quod eorum rarior in montibus usus. Videtur ortum ex *Simulque.*

Malum extremum discordia. Neque nollem, *malorum extremum.* Ceterum ad vitam et usum notande gnome : quam adfirmat item Polybius 5, 93. Διόπερ ἔν, inquit, ἀμφισβητήσεως, φιλοτιμίας, ὀργῆς τὰς ἐν ἀλλήλοις πάντα πλέον. Τοῦτο γὰρ οὐ φιλεῖ γίγνεσθαι, καὶ περὶ τὰ ἐπὶ πράγματα καὶ περὶ τοὺς κατ' ἰδίαν βίους, ὅταν ἐλλίπωσιν αἱ χορηγίαι τὰς ἐπιθυμίας. Hæc talia, quisquis vir es, observa et decerpe, serios historiarum fructus. Lips.

das pariter spes ac metus,» clamitans, dedit exemplum, demisso in pectus ferro. Nec defuere, qui eodem modo oppeterent. Turesis sua cum manu noctem opperitur, haud nescio duce nostro. Igitur firmatæ stationes densioribus globis. Et ingruebat nox, nimbo atrox, hostisque, clamore turbido, modo per vastum silentium, incertos obsessores effecerat : cum Sabinus circumire, hortari, « ne ad ambigua sonitus, aut simulationem quietis, casum insidiantibus aperirent, sed sua quisque munia servarent immoti, telisque non in falsum jactis. »

LI. Interea barbari catervis decurrentes, nunc in vallum manualia saxa, præustas sudes, decisa robora jacere : nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas : quidam, pontes et scalas ante fabricati, inferre propugnaculis, eaque prensare, detrahere et adversus resistentis cominus niti : miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, muralia pila, congestas lapidum moles provolvere. His partæ victoriæ spes, et, si cedant, insignitius flagitium; illis extrema jam salus, et adsistentes plerisque matres et conjuges, earumque lamenta addunt animos. Nox aliis in audaciam, aliis ad formidinem opportuna : incerti ictus, vulnera improvisa : suorum atque hostium ignoratio : et montis anfractu repercussæ, velut a tergo, voces, adeo cuncta miscuerant, ut quædam munimenta Romani, quasi perrupta, omiserint. Neque tamen pervasere hostes, nisi admodum pauci:

* *Hortari, ne.* Sic Liv. 29, 4. Ter. Hec. 1, 1, 16.

Propugnaculis, eaque prensare. Dubitat, turres esse Freinshemius: recte. Intellige *loricam*, quam c. 49. textam dixit. Noster 1, 68. *proruunt fossas, injiciunt crates, summa valli prensant.* Ut muri, sic valla propugnacula dicuntur, unde urbs, castra defendantur. Ern.

Muralia pila. Majora iis, quæ in acie jacerentur, quod facilius dejiciuntur et majori cum vi. Cæs. B. G. 7, 82. jam laudavit Freinshemius. Ern.

ceteros, deleto promptissimo quoque aut saucio, adpetente jam luce, trusere in summa castelli; ubi tandem coacta deditio, et proxima sponte incolarum recepta. Reliquis, quo minus vi aut obsidio subigerentur, præmatura montis Hæmi et sæva hiems subvenit.

LII. At Romæ, commota principis domo, ut series futuri in Agrippinam exitii inciperet, Claudia Pulchra, sobrina ejus, postulatur, accusante Domitio Afro. Is recens prætura, modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere, « crimen impudicitiæ, adulterum Furnium, veneficia in principem et devotiones » objectabat. Agrippina semper atrox, tum et periculo propinquæ accensa, pergit ad Tiberium, ac forte sacrificantem patri reperit. Quo initio invidiæ, « Non ejusdem, » ait, « mactare D. Augusto victimas, et posteros ejus insectari. Non in effigies mutas divinum spiritum tranfusum; sed

In summa castelli. Sic cod. MS. editi *ad summa*. Ern.

Sponte incolarum. MS. *incorum*. ex quo primum editum *inimicorum*: quod alienum, animadvertente Beroaldo ipso in notis: deinde e correctione Mureti edidit Pichena, quod sequentes editores recte secuti sunt. Jac. Gronovius tamen suspicabatur *vicorum*. Ern. Crollius conjicit *istorum*.

Præmatura m. H. et s. hiems. Forsan legendum *præter naturam m. Hæmi*. Sic *natura montis* Liv. 38, 20 et 26. Cæsar. Bell. Gall. 1, 21. Sane singularis dictio *montis hiems*. Wopk.

Comm. p. domo. Per Drusi mortem, 4, 8.

Claudia Pulchra sobrina. Dionem adi, qui 59, 19. historiam hancce recensuit inter acta Caii, ubi de Domitio. Sobrina hæc Claudia quomodo Agrippinæ fuerit, nondum reperi: hoc tantum, filium ejus Quinctilium Varum, desponsum filiæ Germanici: quod ostendo infra. Lips.

Recens prætura. Heinsius volebat *præturæ*. Frustra, ut jam alibi notavimus. Ern.

Atrox. I. e. ferox, impotens animi, iras occultare nescia, animosa. V. infra 60. Talis et *atrox Catonis animus* ap. Horat. 2, 1, 24. Ern.

Quo initio invidiæ. Int. faciendæ. Hinc initium et occasionem invidiæ faciendæ, dicendi ea, quæ invidiam Tiberio facerent, sumsit. Sic mox c. 53. *invidiam et preces ordiur.* 6, 29. *culpam invidia velavisse.* i. e. invidia ipsi facienda velare tectasse. 15, 19. *magna cum invidia senatum adeunt.* Ern.

Sed imaginem veram. Malim etiam paullo rectius: *sed imaginem*

imaginem veram, cœlesti sanguine ortam, intelligere discrimen, suscipere sordes. Frustra Pulchram præscribi, cui sola exitii caussa sit, quod Agrippinam stulte prorsus ad cultum delegerit, oblita Sosiæ, ob eadem adflictæ.» Audita hæc raram occulti pectoris vocem elicuere; correptamque græco versu admonuit: « non ideo lædi, quia non regnaret. » Pulchra et Furnius damnantur. Afer primoribus oratorum additus: divulgato ingenio, et secuta adseveratione Cæsaris, qua « suo jure disertum »

30. *Sed imaginem veram cœlesti sanguine ortam intelligere discrimen.* Scribo *se, imaginem veram cœlesti sanguine ortam, impelli in discrimen. Se imaginem,* Muretus jam occupavit. 3, 34. de Messalino, *inerat imago paternæ facundiæ.* Hist. 4, 7., *Esse satis Marcello, quod Neronem in exitium tot innocentium impulerit. Ad voluntariam mortem perpelli* Ann. 11, 2. — 31. *Raram occulti pectoris elicuere vocem.* Scribe, *rarum*, ut sæpe noster. Quod rarum erat in Tiberio, ut mentis occulta proderet verbis. Vide notas Gronovii Ann. 13, 2.

veram, cœlesti sanguine ortos, intelligere discrimen. Gron. Quidam etiam malunt *se imaginem v.* sed vulgati idem sensus. Ern.

Intelligere discrimen. Periculum scire, quod immineret, *sordes suscipere*, ut in reatu propinquorum. De se Agrippina sentit. Lips.

Suscipere sordes. Hoc ad Agrippinam, quæ ipsa in sordibus, ut videtur, ob reatum Pulchræ sobrinæ. Lips.

Frustra Pulchram præscribi. Præscribere est prætexere, obtendere. Frustra occultari consilium sui perdendi Pulchra in discrimen vocanda, tanquam hæc peteretur, non per latus ejus ipsa. Ern.

Sosiæ. Cf. c. 19.

Græco versu admonuit. Sueton. c. 53. extulit, *Si non dominaris, filiola, injuriam accipere existimas?* ex quo Canterus noster divinat. Εἰ μὴ κρατεῖς, τεκνίον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς. Sed non est dubium, quin ad Jasonis vocem aspexerit Tiberius, quam ille in Tragœdia quapiam emiserit: cujus mens hæc et verba apud Aristotelem Polit. 3, 4. Καὶ διὰ τοῦτ' ἴσως Ἰάσων ἔφη, πεινᾶν, ὅτε μὴ τυραννοῖ, ὡς οὐκ ἀποστάμενος ἰδιώτης εἶναι. Lips. Pichena et J. Gronovius testantur in MS. esse *non:* quod cur spernatur, nulla caussa est. Sine interrogatione exprimit Tacitus, quod Suetonius cum interrogatione, quia præcedit *admonuit*, cui hoc aptius, ut facile quivis sentiet. Pichena, ut Suetonio similem Tacitum faceret, scripsit *num*, quod illud verbum non patitur: unde nemo imitatus est. Ern. Cum Pichena iterum facit Crollius, neque *eò correptam admonuit* repugnare putat interrogationi. Parum, puto, interest. Male. Hillerus pristinam lectionem præfert, *ideo lædi.* Codicis lectio *num* aut *non* requirit.

Suo jure disertum. Et sane magnificat eum ubique Quinctilianus, quem senem ab se adolescentulo cultum

eum adpellavit. Mox capessendis adcusationibus, aut reos tutando, prosperiore eloquentiæ quam morum forma fuit: nisi quod ætas extrema multum etiam eloquentiæ dempsit, dum fessa mente retinet silentii impatientiam.

LIII. At Agrippina, pervicax iræ, et morbo corporis implicata, cum viseret eam Cæsar, profusis diu ac per silentium lacrimis, mox invidiam et preces orditur: « subveniret solitudini, daret maritum: habilem adhuc juventam sibi; neque aliud probis, quam ex matrimonio, solatium: esse in civitate..... Germanici conjugem ac li-

32. *Esse in civitate.... Germanici conjugem ac liberos ejus recipere dignarentur.* Sic cod. Flor. Arbitror hæc sic supplenda ac corrigenda, *Esse in civitate tanta, qui Germanici conjugem ac liberos ejus respicere dignarentur. Respicere*, proprium de adflictis verbum. *Respice res humiles* apud Papinium. *Ejus liberos* refer ad Tiberium, a quo adoptatus Germanicus.

ait 5, 7. Lips. Freinsh. comparat locum Cic. pro Arch. 8. *Suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas*, ubi *suo jure* ad poetas, non ad Ennium pertineat, propter sequentia, *quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur*. Sed hæc est interpretatio Ciceronis. *Appellavit* est appellandum dixit. Simile est illud c. 26. *missus, qui regemque et socium atque amicum appellaret*, i. e. a senatu appellatum diceret, nunciaret. Cicer. Arch. 11. *prædicationem nobilitatemque despiciunt*, i. e. despiciendam dicunt, docent. Ern.

Morum forma. An Tacitus *fama* scripsit? quod epitheton desiderare res videtur. *Prosperam famam* dixit etiam Hist. 1, 14. *secundam* Cicero ad Q. fr. 1, 1. et alii. Eademque sententia alibi quoque utitur Tacitus. Mox enim *eloquentiæ demsit* de fama capiendum. Sic contra c. 61. *Haterius eloquentiæ, quoad vixit, celebratæ.* Supra c. 38. *prospera sui memoria*, quæ statim explicatur per *famam*. 15, 59. contra pro *forma corporis* male MS. Bud. *fama*. Idem visum Cannegieter o in Rescriptis Boxhornii de Catone c. 31. Ern. *Fama* quoque Heinsius, sublato operarum vitio.

Invid. et preces. Cf. 3, 67.

Esse in civitate Germanici. Non ego medicus huic loco: vidi (Grotius) qui legeret: *esse in civitate, qui Germanici* c. Sed in manuscripto cum palam lacuna sit, *civitate..... Germanici*, cur non defectum arbitremur? Lips. Supplementum illud probant Vertranius, Muretus, Gruterus, Ryckius: Jac. Gronovius autem Agrippinæ nomen excidisse putat: *esse in civitate, Agrippinam G. c. ac liberos qui recipere dignarentur.* Illud lenius puto: etsi nihil desinio. Ceterum invidiose dictum facile patet. Aliter corrigit Rutgers. Lect.

beros ejus recipere dignarentur. » Sed Cæsar, non ignarus, quantum ex republ. peteretur; ne tamen offensionis aut metus manifestus foret, sine responso, quamquam instantem, reliquit. Id ego, a scriptoribus annalium non traditum, reperi in commentariis Agrippinæ, filiæ: quæ Neronis principis mater, vitam suam et casus suorum posteris memoravit.

LIV. Ceterum Sejanus mærentem et improvidam altius perculit, immissis, qui, per speciem amicitiæ, monerent, « paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. » Atque illa, simulationum nescia, cum propter discumberet, non vultu aut sermone flecti, nullos adtingere cibos: donec advertit Tiberius, forte, an quia audiverat. Idque quo acrius experiretur, poma, ut erant adposita, laudans, nurui sua manu tradidit. Aucta ex eo suspicio Agrippinæ, et intacta ore servis tramisit. Nec tamen Tiberii vox coram secuta, sed obversus ad matrem,

Venusin. c. ult. Interpungit post *esse*: et *civitate* putat factum ex *orvitate*, i. e. *orbitate*. *In orbitate* (sua) *Germ. c. ac l.* etc. *dignaretur*. Malherbius ap. Gevart. Elect. 3, 3. conjicit: *Solatium in ea ætate, Germanici c. a. l.* etc. Ern. Paschalius etiam supplebat *qui*. Crollius recte monet, majorem indicari lacunam a Pichena, quam quæ sic expleatur; supplet ergo: *qui Augusti neptim*. Heinsius volebat: *esse in civitate tanta, qui*. Hillerus: *esse in civ. nobiles multos, qui. Dignarentur* ex cod. dedit Pichena, prius erat *dignaretur*, quod Acidalius pro superbia feminæ passive accipiendum statuit, *qui* ab ipsa *dignaretur*.

Ex rep. peteretur. Cui, illo conjugio cum Augusti nepte, velut alterum caput dabatur. Ideo de *metu* sequitur, quem silentio dissimulavit. Lips.

Commentariis Agrippinæ filiæ. Quæ mulier perita et industria præter sexum. Citat eam Plinius indice libri 7. vocatque Agrippinam Claudii: scilicet uxorem. Et libro 7, 6. *Neronem paullo ante principem, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina*. Non pertinent ad hanc, ut vir doctus nuper censuit, Augusti laudes apud Suet. 86. *Et quadam epistola Agrippinæ neptis ingenium collaudans: sed opus est, inquit, dare te operam, ne moleste scribas aut loquare*. Manifestus est ἀναχρονισμός; pertinent ad matrem hujus, quæ Augusto neptis: ista proneptis. Nec dubium quin hæc quidem vivo Augusto plane adhuc puera. Lips.

Servis tramisit. Quid ad fulcra lecti, ex more. Lips.

« non mirum, » ait, « si quid severius in eam statuisset, a qua veneficii insimularetur. » Inde rumor, « parari exitium : neque id imperatorem palam audere, secretum ad perpetrandum quæri. »

LV. Sed Cæsar, quo famam averteret, adesse frequens senatui, legatosque Asiæ, ambigentes, « quanam in civitate templum statueretur, » pluris per dies audivit. Undecim urbes certabant, pari ambitione, viribus diversæ. Neque multum distantia inter se memorabant, « de vetustate generis, studio in populum romanum, per bella Persi et Aristonici aliorumque regum. » Verum Hypæpeni, Trallianique, Laodicenis ac Magnetibus simul, tramissi, ut parum validi. Nec Ilienses quidem, cum « parentem urbis Romæ Trojam » referrent, nisi antiquitatis gloria, pollebant : paullum addubitatum, quod Halicarnassii, « mille et ducentos per annos, nullo motu terræ mutavisse sedes suas, vi-

Famam averteret. Et populi sermones alibi occuparet. Eo enim fine ipse in senatu creber, et res illustriores actæ; ne vacare ipse privatis videretur, neve populo de iis loqui esset. Lips. Suet. Calig. 48. *Confestimque urbem petiit, deflexa omni acerbitate in senatum, cui ad avertendos tantorum dedecorum rumores palam minabatur.* Nota fabula de cane Alcibiadis. Gron.

Templum statueretur. Illud, quod destinatum Tiberio et senatui a communi Asiæ. Lips.

Neque multum dist. int. se. Sic cod. prius *inter se dist.*

Per bella Persi. Hæc forma genitivi in libris antiquis sæpe obvia, sæpe temere mutata : de qua v. Gron. et Drak. ad Liv. 42, 25. Usus etiam Sallustius H. 1. auctore Prisciano : *a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum :* quem imitatus Tacitus videtur. Ibi v. Cortius, p. 934. Ern.

Magnetibus. Patet tamen ex numo Gallieni, Magnetes per se solos duobus sæculis post potuisse ludos celebrare. Vid. Eckhel. vol. 3. p. 107.

Ut parum validi. Int. divitiis : quo etiam mox *pollebant* spectat : alias *validæ urbes* a magnitudine, munimentis, copiis militaribus dicuntur potius. Ern.

Ilienses. Huc numi varii Ilienses in honorem Romæ. Cf. Eckhel. vol. 2. p. 484.

Halicarnassii. Cod. *Alicarnassi*, quod defendit Jac. Gron. ad Herodoti titulum, non ego. Ern.

Mutavisse. Scite Paschal. in margine : forte *nutavisse.*

voque in saxo fundamenta templi adseveraverant.» Pergamenos (eo ipso nitebantur) æde Augusto ibi sita, satis adeptos creditum. Ephesii Milesiique, hi Apollinis, illi Dianæ cærimonia occupavisse civitates visi. Ita Sardianos inter Smyrnæosque deliberatum. Sardiani decretum Etruriæ recitavere, ut consanguinei: nam «Tyrrhenum Lydumque, Atye rege genitos, ob multitudinem divisisse gentem: Lydum patriis in terris resedisse; Tyrrheno datum, novas ut conderet sedes: et ducum e nominibus indita vocabula, illis per Asiam, his in Italia: auctamque adhuc Lydorum opulentiam, missis in Græciam populis, cui mox a Pelope nomen.» Simul «literas imperatorum, et icta nobiscum fœdera bello Macedonum, ubertatemque fluminum suorum, temperiem cœli ac dites circum terras» memorabant.

LVI. At Smyrnæi, repetita vetustate, «seu Tantalus, Jove ortus, illos, sive Theseus, divina et ipse

Templi. Solide struendi scilicet.

Atye rege genitos. Atys, Herculis et Omphales filius, e duobus filiis sorte jacta alterum retinuit Lydum nomine, alterum in Italiam misit coloniæ deducendæ: cui nomen Tyrrhenus, et ab eo Tyrrhenia terra. Ita fere Strabo 5. p. 219. convenienter ad Taciti verba: et Tertull. de spectaculis 5. *Lydos ex Asia transvenas in Etruria consedisse, Timæus refert, duce Tyrrheno, qui fratri successerat*, (lego, *cesserat*, sive, *secesserat*) *regni contentione*. Paullo diversus tamen ab istis Dionysius 1, 27. Cf. et Velleius 1, 1. Lips. De Atye et ejus progenie v. Dionys. l. c. Scalig. Canon. Isag. l. 2. p. 159. l. 3. p. 327. qui primos reges Lydorum Atyadas facit, a quo discedit Rupertus ad Besold. p. 104. et 112. Ern.

Cui mox a Pelope nomen. Quem Pelopem, vulgo Phrygem, Pausanias 5, 1. et quidam Lydum faciunt. Lips.

Seu Tantalus Jove ortus. Variantes has sententias super condita Smyrna notabis passim. De Theseo et Atheniensibus, sensit Epigrammatarius 4, 4. Εἰς εἰκόνα Πατσιστράτου, ubi Athenienses hoc argumento Homerum sibi vindicant: Ἡμίτερος γὰρ ἐκεῖνος ὁ χρύσεος ἦν ἀοιδότης, Εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀφηρέσαμεν. De Amazone, quæ nomen Smyrnæ a se dederit, initio libri 14. Strabo. Ceterum lapides numique hoc oppidum Zmyrnam scribunt, non ut obtinuit per sigma. Lips. Et sic scribitur etiam

stirpe, sive una Amazonum condidisset; » transcendere ad ea, quis maxime fidebant in populum romanum officiis, missa navali copia, non modo externa ad bella, sed quæ in Italia tolerabantur: « seque primos templum urbis Romæ statuisse, M. Porcio consule, magnis quidem jam populi romani rebus, nondum tamen ad summum elatis, stante adhuc Punica urbe, et validis per Asiam regibus. » Simul « L. Sullam testem » adferebant, « gravissimo in discrimine exercitus, ob asperitatem hiemis, et penuriam vestis, cum id Smyrnam in concionem nuntiatum foret, omnes, qui adstabant, detraxisse corpori tegmina, nostrisque legionibus misisse. » Ita rogati sententiam patres, Smyrnæos prætulere. Cen-

33. *Templum urbis Romæ statuisse. Urbi Romæ* malim ut et apud Livium 43, 6, *Alabandenses templum urbi Romæ se fecisse commemoraverunt.*

in codice MS. h. l. et supra 3, 63. V. Jac. Gronov. ad h. l. Vide etiam de hac scriptura Pierium in Castig. ad Virg. Æn. 7, 648. Ern. De Z initiali vocis Smyrna v. querentem lit. Σ ap. Lucianum in Jud. vocalium.

Se primos templum urbis. Observabit philologus. Accidit hoc a. U. 558. Secuti exemplum sunt Alabandenses annis 24. circiter posterius. Gloriantur apud Livium 43, 6. *Alabandenses templum Urbis Romæ se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei divæ instituisse.* Prudentius de hac dea in Symm. 1, 219. ..... *colitur nam sanguine et ipsa More deæ, nomenque loci ceu numen habetur: Atque Urbis Venerisque pari se culmine tollunt Templa, simul geminis adolentur thurâ deabus.* Ubi vides, commune Romæ templum in ipsa urbe cum Venere fuisse. Ad hanc quoque divam ille poeta (* Rutil. in itin. v. 47.): *Exaudi, Regina tui pulcherrima mundi, Inter sidereos, Roma, recepta polos.* Claudianus in monte Palatino collocat, ubi provincias facit Romæ supplicantes in 1. Cos. Stilich. 2, 227. *Conveniunt ad tecta deæ, quæ candida lucent Monte Palatino.* Lips.

In concionem nunt. Sunt quibus legendum videatur *in concione*; sed, utroque modo dici, liquet ex notatis ad Justinum 19, 2. et 34, 2. Lactantius de Mart. Persec. c. 46. *nuntiatur in castra.* Wopk. *In concionem*, recte, Pichena judice. *Nuntiatum* idem quod perlatum.

Omnes, qui adstabant, detraxisse. Vera ratio latinitatis postulat *adstarent.* Ern.

Prætulere. Sic cod. Ad rem ipsam spectat numus Smyrnæ, in quo signum Tiberii in medio templo. V. Spanh. de Præst. NN. t. 1. p. 139 Eckhel. v. 2. p. 547.

suitque Vibius Marsus, « ut M. Lepido, cui ea provincia obvenerat, super numerum legaretur, qui templi curam susciperet. » Et quia Lepidus ipse deligere, per modestiam, abnuebat, Valerius Naso, e prætoriis, sorte missus est.

LVII. Inter quæ, diu meditato prolatoque sæpius consilio, tandem Cæsar in Campaniam, specie dedicandi templa, apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto, sed certus procul urbe degere. Caussam abscessus quamquam, secutus plurimos auctorum, ad Sejani artes retuli: quia tamen, cæde ejus patrata, sex postea annos pari

Super numerum. Eum, qui aut positatus esset in quaque provincia, aut in SC. præfinitus, quo provincia decreta fuisset. Olim quidem SC. numerus definitus, quo provincia ornabatur. Ceterum, quia Lepido optio legati data, videtur tum moris fuisse, ut præsides in provinciis senatus et populi legatos legerent, ut olim libera rep. quamquam et tum variatum in ea re. V. dicta in Clave Cic. Ern.

Deligere. Sic e cod. Pichena; prius erat *deligi se.* Muretus dabat *deligi a se.*

Cæsar in Campaniam. Vox abest sententiæ explendæ. Lego, *Cæsar iit Campaniam.* Lips. Pichena putabat *iit, profectus est*, intelligi posse, usus loco Cic. ad Att. 2, 8. *Cogito in Tusculanum*: qui huic non est similis. Vel excidit verbum, vel, ut Lipsius putat, latet in præpositione, vel ab ea absorptum est. Ern. Crollius *tandem* vertit in *tendit* vel *tendere.* Satis audacter. Hillero Racem. 31, 32. bene habere vulgatum videtur; *inter quæ* respicere ad certamina urbium, *tandem* respondere τῷ *diu*; ellipsin verbi non esse ingratam, nec in motu ad locum insuetam. Heinsius volebat: *adit Campaniam.* — De ellipsi verborum *ire, proficisci* et similium, vid. Dukerum. ad Florum 3, 6. Acute tamen hoc loco Lipsius, *iit in C.* Wopk.

Apud Nolam. Loco, ubi mortuus. Adi Dionem 56, 46. in extremo: Suet. 40. Lips. Ceterum e cod. MS. *templa* pro vulg. *templum* rescripsi. Templum Jovis Capuæ *Capitolium* dictum ap. Sueton. l. c. Ern.

Ad Sejani artes retuli. Supra c. 41. Ern. Adde, quod imperator se magis tutum ibi crederet post ea, quæ ex Votieno audierat. c. 42.

Sex posteà annos. Abiit urbe Tiberius a. U. 779. nec rediit: abiit vita a. 790. Undecim ergo abfuit continuos annos. Errorem Plutarchi non dissimulo, aut potius exscriptoris, libello de exsilio p. 602. ubi legitur Tiberius septem annis Capreas inhabitasse. Verba sunt: Τιβέριος δὲ Καῖσαρ ἐν Καπρίαις ἑπτὰ ἔτη διητήθη μέχρι τῆς τελευτῆς. Falsum. Nec juverit eum, quod non statim Capreas secessit. Vix enim

secreto conjunxit, plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit, sævitiam ac libidinem, cum factis promeret, locis occultantem. Erant, qui crederent, in senectute corporis quoque habitum pudori fuisse: quippe illi prægracilis et incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus interstincta:

in Campania hæsit dimidiatum annum, ut liquet ex Cornelio nostro. Damna ergo lectionem, nisi mavis Plutarchum, et scribe ἕξα vel ἑπτὰ ἔτη. Etiam in Suetonii loco, ubi de hac absentia, adhæresco c. 51. *Toto quidem triennio, quo vivente matre abfuit, semel omnino eam, nec amplius, quam uno die ac paucissimis vidit horis.* Et malim, *toto biennio.* Egressus enim Tiberius fine a. 779. obiit illa principio a. 782. ut ex Tacito clarum. Non ergo fuerunt inter toti tres anni. Lips. *Annos conjunxit* est, sex annos continuos, post illos quinque superiores annos, mansit in eodem secreto. Sic *consulatus conjungere* Suet. Cal. 17. dixit. Ern.

Plerumque permoveor. Est, sæpe venit in mentem, dubito, an verius sit etc. *Plerumque* pro sæpe jam supra vidimus. Et verbum *moveri*, *permoveri* e contextu intelligendum: diciturque etiam ingenium moveri. Ern.

Promeret. Sic 12, 59. *sævissima quæque promere.* Cf. Græv. ad Lact. de M. Persec. 21.

Quippe illi prægracilis. Pugnat hæc delineatio e diametro cum Suetonii verbis 68. *Corpore fuit amplo atque robusto: statura, quæ justam excederet. Latus ab humeris et pectore: ceteris quoque membris usque ad imos pedes æqualis et congruens.* De veritate, secundum neutrum pronuntio. Quod sequitur, *ulcerosa facies, ac plerumque medicaminibus interstincta*: explicat idem Suetonius: *facie honesta, in qua tamen crebri et subtiles tumores.* In cujus verbis vitium: quid enim est *subtilis tumor?* Libri aliquot Pulmanni nostri *subiti tumores.* Nihil melius. At tu me duce scribe, *substilli tumores*, vel etiam *substilles.* Non potuit magis aptiore verbo exprimi liquor saniesque, quæ in ejusmodi tumoribus minutatim stillat. Ita *substillum* Festo, *tempus aut postquam pluviam, quod jam stillavit aut nondum desiisset.* Tertull. de Pall. 2. *Aut imbres ruunt, et si qua missilia cum imbribus, dehinc substillum, et denuo sudum.* Cato de Re rust. 156. in Stranguria usurpat: *Nunc de iis, quibus ægre lotium it, quibusque substillum est.* Lips. De loco Suetonii vide ibi dicta. Ceterum paullo ante vulgo *in senectute quoque c. h.* Ordinem verborum e MS. refinximus, qui est haud dubie elegantior. Ern. Lampugnanus e cod. suo Mirand. dat *prægravis*, quod in dispunctione non improbat Lipsius, immo sibi vindicare videtur. Non opus est. Cum Hillero distinguo tempora. Suetonius de vegetis Tiberii annis, Tacitus de senecta ejus decrepita et effœta loquitur.

Medicaminibus. Galenus de Compos. medicam. per gen. 5. 11. pastillos præscribit ad herpetas Tiberii.

et Rhodi secreto vitare cœtus, recondere voluptates insuerat. Traditur etiam, matris impotentia extrusum, quam dominationis sociam adspernabatur, neque depellere poterat, cum dominationem ipsam donum ejus accepisset. Nam dubitaverat Augustus, Germanicum, sororis nepotem, et cunctis laudatum, rei romanæ imponere : sed, precibus uxoris evictus, Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit. Idque Augusta exprobrabat, reposcebat.

LVIII. Profectio arto comitatu fuit : unus senator, consulatu functus, Cocceius Nerva, cui legum peritia : eques romanus, præter Sejanum, ex illustribus, Curtius Atticus : ceteri liberalibus studiis præditi, ferme Græci, quorum sermonibus levaretur. Ferebant periti cœlestium, « iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur, » unde exitii caussa multis fuit, properum finem vitæ conjectantibus vulgantibusque :

34. *Et Rhodi secreto. Rhodio* præstiterit. *Rhodium secessum* habuimus c. 15. — 35. *Idque Augusta exprobrabat, reposcebatque. Exprobrando* vel *exprobrans* vel *exprobrabat reposcendo.* Sic *exprobrare excusando* 1, 10. *vivendo exprobrare* 16, 10. *memorando exprobrare beneficia* 13, 21. *fœda acrius accendere exprobrando* 13, 13. — 36. *Unde exitii caussa multis fuit.* Tolle *fuit.*

Tiberio Germanicum. Memoria rei in numo Tiberii Tarraconensi in cujus postica *Drusus* et *Germanicus Cæss.* Vaill. NN. Col. t. 1. p. 82.

Arto comitatu. De comitibus impp. abunde dictum ad Sueton. Exc. 15. Ern. Sic Cic. in Verr. 4, 30. *Comitatu regio fiat.* Contra in Catil. 3, 2. *cum magno comitatu.* Wopk. Ubi tamen etiam in aliis *cum* abesse Ernestius notavit.

Cocc. Nerva. Cf. 6, 26.

Ex illustribus. Vid. ad 11, 4. Ern.

Curtius Atticus. Est ille, quem 6, 10. subversum artibus Sejani ait, et ad quem Ovidii El. 2, 4 et 7. De Ponto. Lips.

Levaretur. Amicus Ryckii, Heinsius fortasse, *obtectaretur* : interpretatio hæc est, non emendatio. Ern. Sic et Virgil. Æn, 8, 308. Sedul. 1, 318. Wopk. — * V. et Ovid. Tr. 4, 1, 19.

Iis motibus siderum. I. e. ut vulgo loquuntur ea constellatione, quam Græci σῆμα, συνδρομὴν vocant, etc. In eoque et motus ratio habetur, per quem fiunt certi positus siderum. Gellius 14, 1. Chaldæos profiteri, *de motu deque positu stellarum dicere posse, quæ futura sint.* Noster infra H. 2, 78. *responsa vatum et siderum motus.* Ern.

neque enim tam incredibilem casum providebant, ut undecim per annos libens patria careret. Mox patuit breve confinium artis et falsi; veraque quam obscuris tegerentur. Nam « in urbem non regressurum, » haud forte dictum : ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore, et sæpe mœnia urbis adsidens, extremam senectam compleverit.

LIX. Ac forte illis diebus oblatum Cæsari anceps periculum auxit vana rumoris; præbuitque ipsi materiem, cur amicitiæ constantiæque Sejani magis fideret. Vescebantur in villa, cui vocabulum *Speluncæ*, mare Amu-

Casum. Sic conjiciebat Freinshem. legendum pro *caussam*. Verum vidit. Sed non opus conjectura erat inspicienti vett. edd. Beroaldi, Aldi, Rhenani, Alciati, Gryph. in quibus est totidem literis *casum* atque etiam in MS. Errore operarum primum irrepsit *caussam*, cui paullo ante præcedens verbum *caussam* locum fecit. Sequentes editores negligentia inspiciendarum vett. edd. vitium propagarunt. Ern. *Casum* habet Rhen. 1519. *Caussam* id. 1544. unde in sequentes.

Ut undecim per. Conjunctio *ut* pendet a verbo *casum*, in quo latet *futurum esse* : cujus generis exempla plura diligentes veterum scriptorum et græcorum et latinorum lectores observabunt. Neque enim rem tam incredibilem eventuram providebant, ut etc. Frn.

Haud forte dictum. Non temere, sine idonea caussa; unde veritas prædictionis. Ern.

Villa cui vocabulum Speluncæ. Prætorium Suetonius appellat c. 39, more sui sæculi, quo omnes villæ elegantiores et non rustici usus prætoria dictæ. Nomen illi a re, quia imposita vel adjuncta huic nativæ speluncæ. Id secutos in positura villæ Romanos, docet Senecæ locus de villa Vatiæ ep. 55. *Speluncæ sunt duæ*, inquit, *magni operis, laxo atrio, paries manufactus* (scribo, *pares manufactis*) : *quarum altera solem non recipit, altera usque in Occidentem tenet*. Ceterum hoc ipso in facto recensendo non sine censione Suetonium dimitto : cujus vulgati libri : *In Prætorio, cui Speluncæ nomen erat, incœnante eo complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt*, et aio rescribendum : *in cœnantem eum*. Addo, hodieque nomen manere, et oppidulum esse : extremis montibus Fundanis, ad mare adjacens. Lips. Adde Strab. 2. p. 233. qui prope Terracinam dicit esse σπήλαια μεγάλας κατοικίας καὶ πολυτελεῖς δεδεγμένα. Male ibi vertitur *ædes*. Immo *triclinia*, *diætas* etc. Adde dicta ad Suet. l. c. ubi dixi, prætorii nomine posse etiam intelligi triclinium illud ipsum, in quo cœnabat Tiberius, quod non placet Oudendorpio. Ego vero non negavi,

clanum inter Fundanosque montes, nativo in specu: ejus os, lapsis repente saxis, obruit quosdam ministros: hinc metus in omnes et fuga eorum, qui convivium celebrabant. Sejanus genu, vultuque et manibus super Cæsarem suspensus, opposuit sese incidentibus: atque habitu tali repertus est a militibus, qui subsidio venerant. Major ex eo: et, quamquam exitiosa suaderet, ut non sui anxius, cum fide audiebatur. Adsimulabatque indicis partes adversus Germanici stirpem, subditis, qui adcu-

37. *Adsimulabatque judicis partes.* Nil novandum. Subornabat Sejanus delatores atque accusatores adversus Germanici stirpem, quibus a Tiberio auditis, ipse postea quasi judicem agebat, tanquam vera essent, quorum illi insimularentur, atque hac arte Tiberium adversus illos paullatim instimulabat. Idem Phædrus prol. 3. Sejano exprobrat. Ovidius passim usus hoc verbo.

totam villam Speluncam dictam: sed dicta tamen sic est a triclinio in spelunca, atque ipsum etiam triclinium sic potuit vocari. Ern. Spelunca, hodie *Sperlonga*, unde et *mar di Sperlonga*. In loco Suetonii male Lipsius vult *in cœnantem*: id si factum foret, qui evasisset?

Mare Amuclanum inter. Amyclæ duplices. Alteræ Laconum quæ silentio perierunt, ut parœmiâ est: alteræ Italorum, inter Caietam et Terracinam, quas a serpentibus deletas crediderunt Solinus 2, 32. 7, 8. Pliniusque 3, 9. Ab his Amyclis, mari illi nomen. Lips. De Amyclis laconicis silentio perditis v. Serv. ad Virg. 10, 564. Cf. Erasmi adagia 1, 9, 1.

Genu vultuque. Hæc positio facile capitur, si cogitas jacentem in lecto Tiberium: ut solent vescentes. Ipse igitur tali habitu super eum, ut tueretur. Lips.

Major ex eo. I. e. potentior. Sic Latini *crescere* dicunt, ut Cicero Cluent. 28. etc. Add. Burm. ad Ovid. Her. 15, 117. Ern.

Adsimulabatque judicis partes. Freinsh. in ed. 1638. adsentiebat Mureto, *indicis* legenti, quod probe gnarus fuerit Sejanus, quantum invidiæ apud omnes, apud Tiberium etiam ipsum suspicionum, movere potuisset. Idem postea (in paraphrasi) sic exposuit: *Quapropter occasione illa ad subvertendos Germanici liberos usus, tanquam judicis officio contra eos fungebatur, exclamabatque, quantam illi animadversionem mererentur, qui adversus beneficia principis tam ingrati forent.* At ego subscribo Mureto, et malo *indicis*. Hoc enim ipso libro cap. 28. *index idem et testis dicebat.* cap. 31. *Catus Libonem inlexerat insidiis, deinde indicio perculerat.* 6, 9. *ni Celsus urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset.* Justinus 32, 2. *Ad cujus rei probationem immittit indices, testes subornat.* Et mox *testes indicesque torquere.* Talem se gerebat apud Tiberium Sejanus, tanquam invitus, fide ac devotione

satorum nomina sustinerent, maximeque insectarentur Neronem, proximum successioni, et, quamquam modesta juventa, plerumque tamen, quid in præsentiarum conduceret, oblitum, dum a libertis et clientibus, apiscendæ potentiæ properis, exstimulatur, « ut erectum et fidentem animi ostenderet : velle id populum romanum, cupere exercitus; neque ausurum contra Sejanum, qui nunc patientiam senis et segnitiam juvenis juxta insultet. »

LX. Hæc atque talia audienti nihil quidem pravæ cogitationis : sed interdum voces procedebant contumaces et inconsultæ; quas adpositi custodes exceptas auctasque cum deferrent, neque Neroni defendere daretur, di-

cogente, principi domus suæ vomicas indicaret. Gron. Verissime. Nam hoc interpretatio ipsius Taciti desiderat : *subditis, qui accusatorum nomina sustinerent*. Faernus insuper volebat : *adsumebatque*, non adsecutus vim verbi *adsimulabat*, de qua supra : nec videtur probabile, librarios notam vocem in exquisitiorem mutasse. Ern. Pichena et Grut. aliique et Crollius præferunt *judicis* ex eadem ratione, ex qua Muretus, Gronovius, Ernesti *indicis*, quia subornarit, qui accusatorum nomina sustinerent. Certe hoc ad utrumque valet. Potuit ipse *judex* subdere accusatores; potuit et *index*. Mihi magis verosimile fit *indicem* hic, quam *judicem*, egisse. Aliud est enim subornare indices, aliud accusatores. Ceterum in nota ex Gronovio heic transcripta utraque Ernestina editio in gravi mendo cubat, omissa priori opinione Freinshemii, ad quam istud *Idem postea*... refertur. Supplevi.

Ut erectum et fidentem animi ostenderet. Forte melius, *animum*, Pichena. Male. Vulgatum exquisitius est et stylo Taciti convenientius : int. *se*. Ern.

Adpositi custodes. Arguitur Freinsh. cum *adpositi* ita dictum putat ut ap. Virgil. Æn. 6, 90. *Teucris addita Juno*, i. e. affixa, ut non recederet, sed intentissime observaret. *Addita* ibi est infesta, inimica, ut Servius recte interpretatur. Adde ibi Burm. et Gronov. ad Senec. Herc. F. 1237. Juno sponte inimica est, hic appositi sunt a Sejano. Ern.

Defendere daretur, diversæ insuper. Acidalius putat, post voces *daretur*, panca quædam deesse, quæ illam periodum absolvant, et ab integro scribenda sequentia, quæ cum superioribus necti in unam periodum nequeant : *diversæ insuper solicitudinum formæ orirebantur*. Sane *insuper* hic durius est, nec commodum sensum habet. Ern. Crollio *insuper* est continenter, quod vereor, ut probet. Mihi videtur significare *super his, exinde*, ab exceptas acutasque et in vulgus

versæ insuper solicitudinum formæ oriebantur. Nam alius occursum ejus vitare: quidam, salutatione reddita, statim averti: plerique inceptum sermonem abrumpere: insistentibus contra irridentibusque, qui Sejano fautores aderant. Enimvero Tiberius torvus, aut falsum renidens vultu: seu loqueretur, seu taceret juvenis, crimen ex silentio, ex voce. Ne nox quidem secura; cum uxor vigilias, somnos, suspiria matri Liviæ, atque illa Sejano, patefaceret: qui fratrem quoque Neronis, Drusum, traxit in partes, spe objecta principis loci, si priorem ætate et jam labefactum demovisset. Atrox Drusi ingenium, super cupidinem potentiæ et solita fratribus odia, accendebatur invidia, quod mater Agrippina promptior Neroni erat. Neque tamen Sejanus ita Drusum fovebat, ut non in eum quoque semina futuri exitii meditaretur; gnarus, præferocem et insidiis magis opportunum.

sparsas voces. — Wopkens. corrigit *his super*.

Occursum ejus vitare. Pulchra et graphica descriptio eorum, qui amant, metuunt, volunt, nolunt jungi. Et simillima in Sidonio, de sese delato ob satyram ep. 1, 11., *Alii tamen mihi plus quam deceret ad genua provolvi; alii, ne salutarent, fugere post statuas, occuli post columnas; alii tristes vultuosique junctis mihi lateribus incedere.* Lips.

Falsum renidens vultu. Distinguo sic: *renidens vultu; seu loqueretur, seu taceret juvenis, crimen ex silentio, ex voce.* Turbant vulgo. Lips. Rectissime. Ern. Sic ap. Apuleium Met. 6. *renidens exitiabile, risu maligno.* Sil. Ital. 1, 398. *sævum arridens.* Cf. Pricæus ad Apul. Apol. p. 12.

Cum uxor. Julia Drusi F. quæ Neroni nupta: quamque postea Claudius, Messallinæ dolo, interfecit. Sueton. Claud. 29. et Dio 60, 18. Lips.

Promptior Neroni. Alii mallent, *pronior*: quod verum puto. Sæpe sic Sueton. Ner. 40. Galb. 12. etc. Constructio cum dativo fraudi fuit, quam etiam Lipsius non concoquebat, adscribens loco Suetonii Ner. 40. *quis cum dativo?* Permutari in MSS. istas voces notatum Heinsio ad Ovid. Rem. Am. 522. et aliis alibi. *Studia promptiora in aliquem* sunt 13, 8. sed hoc aliud est. Contra H. 2, 74. *in Titum pronior.* Ceterum, si *promptior* verum est, significat, faciliior ad gratificandum etc. Ern. *Promptus* etiam sic 12, 1. — Pichenæ displicet *pronior*, Wopkensi placet.

31.

LXI. Fine anni excessere insignes viri, Asinius Agrippa, claris majoribus quam vetustis, vitaque non degener; et Q. Haterius, familia senatoria, eloquentiæ, quoad vixit, celebratæ: monimenta ingenii ejus haud perinde retinentur. Scilicet impetu magis, quam cura vigebat: utque aliorum meditatio et labor in posterum valescit, sic Haterii canorum illud et profluens cum ipso simul exstinctum est.

LXII. M. Licinio, L. Calpurnio coss. ingentium bellorum cladem æquavit malum improvisum: ejus initium simul et finis exstitit. Nam cœpto apud Fidenam

38. *Vitaque non degener.* Rectius *vitæque*, pro genio nostri. *Patrii non degener oris* apud Nasonem ex Ponto 3, 5, 7.

Asinius Agrippa. Censeo filium Asinii Galli: ideoque addit, clariores illi majores, quam vetustiores. Nam Asinia gens in lucem protracta ab Augusto, qui non injuria extulit avum hujus Pollionem. LIPS.

Claris.... quam. Omisso *magis.* V. 3, 17. Cf. A. Schotti Obs. hum. 5, 34.

Q. Haterius, eloquentiæ celebratæ. Inter declamatores recenset Seneca pater Contr. 6. inuritque eamdem notam quam hic Tacitus. *Q. Haterius*, inquit, *pulcherrimam imaginem movit. Cœpit enim subito quo solebat cursu orationis scribere* (vellem *describere*,) *quasi exaudiret aliquem tumultum, vastari omnia ac rapi, comburi incendiis villas, fugas agrestium, et cum omnia implesset terrore, adjecit: Quid exhorruisti adolescens? socer tuus venit.* De eodem homine vitioque corrigendus Seneca filius epist. 40. *Namque Echeri cursum, suis temporibus oratoris celeberrimi, longe abesse ab homine sano volo.* Lege, *Nam Q. Hateri.* Elegans in hanc rem Augusti joous ap. Sen. Exc. Contr. 4. in præf. *Haterius noster sufflaminandus est.* Quod a curribus tractum. Ad hunc hominem Eusebiana ista refer in Chronicis: *Q. Haterius* (male in eo *Atherius*) *promptus et popularis orator, usque ad* 90. *prope annum in summo honore consenescit.* LIPS.

Vigebat. Placebat, probabatur, florebat. Vid. ad Sueton. Ner. c. 20. ERN.

Canorum et profluens. Suavitas vocis et volubilitas verborum, facilitas in dicendo. Cicero Or. 2, 28. 3, 7. Idem Tusc. 5, 18. *profluenter loqui.* ERN.

Nam cœpto apud Fid. In hoc loco vereor, ne quid turbatum sit a librariis: idque animadversuros, qui hæc cogitent. Si verba, *cœpto a. F. theatro*, stant suo loco, amphitheatrum non ab Atilio institutum est, sed ab alio: quod sequentia et res ipsa non patiuntur. Amphitheatra lignea, quale hoc, temporaria erant,

amphitheatro, Atilius quidam, libertini generis, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit: ut qui non abundantia pecuniæ, nec municipali ambitione, sed in sordida mercede

et ab editore muneris struebantur. Ergo Atilius amphitheatrum instituit et struxit. Igitur Tacitum sic dedisse putem: *Nam Atilius quidam, libertini generis, cæpto* (i. e. instituto ut 11, 1. *horti cæpti a Lucullo*) *apud Fidenam amphitheatro, quo spectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per solidum subdidit* etc. Ita omnia plana, et optime cohærentia. Verba, *quo sp. gl. celebraret*, aut sic accipienda: *in quo amphitheatro*, quæ est facillima ratio; aut, si hoc sensu supervacua ista verba videantur, quod ex ipso amphitheatri verbo intelligitur, quod in his verbis inest, sic: ut eo frequentiores homines ad spectaculum gladiatorum concurrerent, frequentiores ludos efficeret; quod tali amphitheatro structo longe plures spectare possent. *Celebrare* pro frequens efficere exquisite dicitur: ut Sallust. Jug. 85. *seque remque publicam celebravere*, i. e. celebriores fecere. Cicero de Or. 1, 45. *celebrandæ senectuti perfugium*, de re, quæ efficit, ut senis domus celebretur, frequentetur. Atque id convenit etiam sequentibus, ubi docetur, hominem istum in eo munere quæstum spectasse. Lectores eligant. Sensus igitur loci est: Atilius quidam, libertinus, munus editurus, ædificare instituit amphitheatrum; sed id neque solidis fundamentis imposuit, neque ipsum satis firmiter coagmentavit. Causa erat, quod neque tantos sumtus sustinebat res hominis, neque gratiæ et gloriæ caussa id munus edebat, sed propter quæstum: unde quam levissima impensa defungi volebat. Ern. Transpositionem Ernestinam probat et Broterius. Improbat vero Wopkens. et idem Tacitum dicere voluisse existimat.

Apud Fidenam. Hist. 3, 79. *Fidenas*, et sic libri omnes apud Sueton. Tib. 40. item apud Livium 2, 19. Unde merito dubitandum cum Burmanno ad Suet. l. c. an lectio hujus loci incorrupta sit, nec ne. Mihi posterius videtur. *Fidenam* tamen libri omnes ap. Virg. Æn. 5, 773. Ern.

Atilius quidam, libertini generis. Ergone permissum libertis edere ludos? Apparet. Suetonius tamen aliud indicare videtur Claudii cap. 28. De Harpocra magnæ gratiæ apud imp. liberto: *Cui*, ait, *lectica per urbem vehendi, spectaculaque publice edendi jus tribuit.* Sed credo vetitum Romæ tantum, non in municipiis coloniisque. Lips. De libertino esse capiendum patet e 2, 85. Ern.

Nec municipali ambitione, sed etc. Ambitio municipalis est studium gratiæ municipalium comparandæ, ut ad honores municipales, ut duumviratum, pervenias; quo sensu etiam *ambitionem urbanam*, ni fallor, legi, de iis qui Romæ talia facerent: quamquam etiam talis ambitio esse potest in eo, qui jam honores consecutus est, et gratiam famamque ta-

id negotium quæsivisset. Adfluxere avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virile ac muliebre secus omnis ætas, ob propinquitatem loci effusius: unde gravior pestis fuit, conferta mole, dein convulsa, dum ruit intus, aut in exteriora effunditur: immensamque vim mortalium, spectaculo intentos, aut qui circum adstabant, præceps trahit atque operit. Et illi quidem, quos principium stragis in mortem adfixerat, ut tali sorte, cruciatum effugere. Miserandi magis, quos, abrupta parte corporis, nondum vita deseruerat: qui per diem visu, per noctem ululatibus et gemitu, conjuges aut liberos noscebant. Jam ceteri fama exciti,

libus captat. Sed quod *sordidæ mercedis* caussa munus illud editum dicit, id indicio est, hominem non gratuito admisisse spectatores, sed accepta pecunia sive mercede: unde intererat hominis, quam maximam spectatorum copiam adfluere. Eam mercedem quæstum Tacitus vocat sordidum; quia quæstus alioqui in talibus non solebat spectari, sed gratia et gloria. Ern.

In sordida mercede. Pichena putat legendum, *in sordidam mercedem*. Placet. Sensum ante declaravi. Ern. Subscribo Pichenæ emendanti, quia sic et 11, 6. Germ. 24. et Livius 21, 43. Wopk.

Virile ac muliebre secus. Tacitus scripsit, *virile ac muliebre secus*. Vide ad Livium 26, 47. Gron. Recte. Et sic esse in MS. magna adseveratione testatur Jac. Gronovius: unde post eum recepimus, ut nuper fecimus in Suet. Aug. 44. et post nos Oudendorpius. Inscitia verbi viri docti non crediderunt oculis suis, in MS. *secus* esse, sed *sexus* legerunt; unde etiam Beroaldus genus conformavit, et edidit, *virilis ac muliebris sexus*. Ern. Elegantius et certioris latinitatis est *sexus*, ut 6, 12. Wopk. de voce *sectus* v. Charis. apud Putschium p. 61.

Præceps trahit. Sic MS. non in *præceps*, ut est in edd. quibusdam. Adde 6, 17. Ern.

Ut tali sorte etc. Brevitatis studium fecit, ut hic interpretes hærerent. Etiam Freinsh. non satis assecutus est, explicans, effugisse cruciatum, quoad in tali casu potuerint. Plenum erat: *et illi quidem... adflixerat, ut tali sorte, felices, qui cruciatum effugissent:* hoc res et sequens *miserandi magis* desiderat. Sed illud *felices* intelligendum reliquit Tacitus. Ern. Sic Cic. Brut. 28. *ut temporibus illis.* — Hæc ita distinguit et interpungit Wopkens. *Et illi quidem.... ut tali sorte cruciatum effugere*, (ita) *miserandi magis, quos etc.*

Qui per diem visu etc. Sive illi ipsi, de quibus ante, sive alii, expertes quamvis mali, qui interdiu videbant, noctu audiebant miseriæ suorum. Ern.

hic fratrem, propinquum ille, alius parentes lamentari. Etiam quorum, diversa de caussa, amici aut necessarii aberant, pavere tamen : neque dum comperto, quos illa vis perculisset, latior ex incerto metus.

LXIII. Ut cœpere dimoveri obruta ; concursus ad exanimos, complectentium, osculantium : et sæpe certamen, si confusior facies, et par forma, aut ætas, errorem adgnoscentibus fecerat. Quinquaginta hominum millia eo casu debilitata vel obtrita sunt : cautumque in posterum senatusconsulto, « ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res; neve amphitheatrum imponeretur, nisi solo firmitatis spectatæ. » Atilius in exsilium actus est. Ceterum, sub recentem cladem, patuere procerum domus, fomenta et medici passim præbiti : fuitque urbs per illos dies, quamquam mæsta facie, veterum institutis similis, qui, magna post prœlia, saucios largitione et cura sustentabant.

Quinquaginta hominum millia. Nihil mutemus. Suetonius et Orosius 7, 4. *supra* vigiuti hominum millia periisse eo casu aiunt; noster quinquaginta, sed latius sumens, debilitatos, non solum obtritos. Lips.

Quadringentorum millium. Lipsii computatio ad 10000. Philippeos argenteos redegit : sed imperialibus totidem numis maxime respondere eam summam putat Freinshemius. Haudquaquam. Immo, si materiæ sinceritas et præstantia comparetur, ne Philippi quidem sufficient; tantum abest, ut imperiales. Quadringenta sunt centum millia denarium sive drachmarum. Drachmam autem vel denarium esse octavam partem imperialis numi concessit ad 1, 17, 6. Decem igitur millia imperialium non assurgunt ultra 80000 drachmarum, hoc est, 320000 numum sestertium. At Philippus decem denariis aut drachmis respondet. Ergo 10000 Philippeum sunt 100000 denarium, quadringenta millia nummum sestertium. Gron. Ceterum hic modus pecuniæ muneris ipsius facultatem dat, non amphitheatri struendi. Ern. Monetæ Gallicæ 80,000 libræ. Is ante Augustum census fuerat equestris.

Veterum institutis similis. Livius 2, 47. *Neque immemor ejus, quod initio consulatus imbiberat, conciliandi animos plebis, saucios milites curandos dividit patribus. Fabiis plurimi dati; nec alibi majore cura habiti.* Justinus 28, 4. de Spartanis post pugnam ad Sellasiam bello Cleomenico : *Patentibus omnes domibus saucios excipiebant, vulnera curabant, lapsos reficiebant.* Gron.

LXIV. Nondum ea clades exoleverat, cum ignis violentia urbem ultra solitum adfecit, deusto monte Cælio : « feralemque annum » ferebant, « et ominibus adversis susceptum principi consilium absentiæ, » qui mos vulgo, fortuita ad culpam trahentes; ni Cæsar obviam isset, tribuendo pecunias ex modo detrimenti. Actæque ei grates apud senatum ab illustribus famaque apud populum, quia sine ambitione, aut proximorum precibus, ignotos etiam et ultro accitos munificentia juverat. Adduntur sententiæ, ut mons Cælius in posterum *Augustus* adpellaretur : quando, cunctis circum flagrantibus, sola Tiberii effigies, sita in domo Junii senatoris, inviolata mansisset. « Evenisse id olim Claudiæ Quinctæ, ejusque statuam, vim ignium bis elapsam, majores apud ædem Matris deum consecravisse : sanctos acceptosque

39. *Claudiæ Quintæ.* Sic et Naso in Fastis 4, 305., *Claudia Quinta genus Clausi referebat ab alto.*

Ni Cæsar etc. I. e. sed Cæs. obviam ivit. Wopk.

Sine ambitione. Nihil gratiæ tribuens, sed necessitati omnia. Sic Cicero *ambitiosas preces* opponit *necessariis*. Tirones videant Clav. Cic. in h. v. Ern, Non *preces* sed *rogationes ambitiosas* habet Cic. ad Div. 6. 12.

Augustus appellaretur. Vide Suetonium cap. 48. Lips.

Claudiæ Quinctiæ. Duo nomina gentilitia huic feminæ ? Non est romanum. Scribo, *Claudiæ Quintæ*. Tertia, Secunda, Quarta, Quinta, mulierum agnomina ab ordine nascendi. Ita Livio 40, 37., *Calpurnius Piso necatus a Quarta Hostilia uxore dicebatur.* In vetusto lapide QVARTA. LIVIA. et alibi QVINTA. NONIA. Eoque exemplo hic *Quinta Claudia.* Judicium meum firmat historia, quia Ap. Claudio hujus patri quinque filiæ fuerunt. Cic Cat. 11., *Quatuor robustos filios et quinque filias Appius regebat, et senex et cæcus.* Male ergo in scriptore de Viris illustribus Livia Claudia. Quod ad historiam hanc miraculumque habes apud solum, nisi aberro, Valerium 1, 8, 11, *Possunt et illa miraculorum loco poni.... quod Q. Claudiæ statua, in vestibulo templi Matris deum posita, bis ea æde incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione, L. Bestia; item M. Servilio et L. Limia coss. in ea basi flammis intacta stetit.* Lips. Sic e MS. restituit Pichena. Ern. Emendationem Lipsii Pichena firmat et cod. De Matre deum recepta a Claudia, v, Ovid, Fast. 4, 305.

Bis elapsam. A. U. 643 et 756.

numinibus Claudios : et augendam cærimoniam loco, in quo tantum in principem honorem dii ostenderint. »

LXV. Haud fuerit absurdum tradere, montem eum antiquitus *Querquetulanum* cognomento fuisse, quod talis silvæ frequens fecundusque erat : mox *Cœlium* adpellitatum a Cæle Vibenna, qui dux gentis Etruscæ, cum auxilium adpellatum ductavisset, sedem eam acce-

40. *Cum auxilium appellatum ductavisset.* MS. Flor. *tavisset*, non *ductavisset*. Deinde *appellitatum* proxime præcesserat, unde illud *appellatum* videtur prognatum. Forte, *cum auxilium popularium adductavisset.* Supra c. 47. *Rex Rhœmetalces cum auxiliis popularium.* 1, 57., *auxilium orantes adversus vim popularium.* Et est vocabulum id nostro in deliciis. 2, 1., *fidei popularium diffisus.* Cf. c. 10. 3, 38., *popularium injurias inultas sinebat.* Nec improbo tamen *ductavisset.*

Augendam cærimoniam loco. I. e. sanctitatem : nomine Augusti imponendo. Freinshemius ad consecrationem loci refert. Sed illud, opinor, sufficerit. Ern. Sic et *cærimonia legationis* ap. Cic. pro Rosc. Am. 39. *sepulcrorum*, Tusc. 1, 12.

Querquetulanum cognomento. Rarior loquendi ratio. Ammianus 15, 7., *Valvomeres cognomento.* Wopk.

A Cæle Vibenna. Mutant annales, in nomine, in tempore, in re. Nomen illi Cælem noster et Varro faciunt 4, 8. Cælium Dionysius 2, 36. et Tabula Claudiana, quæ Lugduni. Tempus adventus ejus ad Romulum Varro et Dionysius retulere : ad Tarquinium, Tacitus et Claudius in tabula dicta. Festus, (ut fragmenta sunt) de Tarquinio item inseruit : sed dispescuit nomen ; et Cælem ac Vibennam facit duos fratres. In re ipsa : Dionysius Romam migrasse eum, impulsum Romuli fama ; Tacitus auxilii ferendi caussa ; Claudius, exactum varia fortuna pulsumque, describunt. Tabulæ illius Claudianæ verba digna adscribi. Lips. Leges potius infra in Exc. ad 11, 24. Ceterum Varro non *Cælem*, sed *Cœlium Vibennam* vocat ; Festus *Cælem*, et rem refert ad Romuli tempora ; de *Vibenna* silet.

*Auxilium appellatum * tavisset.* Hæc scriptura, aiunt, codicis Medicæi, (quam servavere Beroaldus et Alciatus). Varie restituunt. Putem, *τὸ appellatum* e priore linea repetitum frustra, delendumque. Ita legerim, *cum auxilium tulisset.* Lips. Varie tentatus a viris doctis. Aldus edidit *appellitavisset*, ut Rhenanus conjecit. Non enim uno loco ita fecit Aldus. *Ductavisset* conjecere Ferretus, Vertranius. *At bella tum ductavisset* Pichena, Acidalius. Faernus *appellatus tulisset* : quod probare videtur Ursinus. *Appellatus* probo. *Ductavisset* est verbum sallustianum Jug. 70. ubi v. Cortius : quo noster etiam utitur Hist. 2, 100. *Auxilium appellari* quoque est bona phrasis. Sic tribuni dicuntur appellari, sc. auxilium. Obstat, quod *ductare exercitum* est ducere exercitum, præesse exercitui : cum hic desideretur potius *adducere*. Conjeci aliquando : *cum auxilium ab illo*, sive *belli*, *tentavisset*, sc. rex

perat a Tarquinio Prisco; seu quis alius regum dedit: nam scriptores in eo dissentiunt. Cetera non ambigua sunt; magnas eas copias per plana etiam ac foro propinqua habitasse, unde *Tuscum vicum*, e vocabulo advenarum, dictum.

LXVI. Sed, ut studia procerum et largitio principis adversum casus solatium tulerant, ita adcusatorum major in dies et infestior vis sine levamento grassabatur: corripueratque Varum Quinctilium, divitem et Cæsari

41. *Adversum casum. Casus* malim, ut ad ruinam theatri etiam referatur: et sic Acidalius. Deinde mox *in id tempus* erat.

romanus, vel *tentavissent* Romani, e Virgilii Æn. 3, 146. *unde laborum tentare auxilium jubeat*, i. e. petere. Sed potius accipiendi verbum desideratur, quam petendi. Chifletius conjecit in ep. ad Lipsium t. 1. p. 728. Coll. Burm. *cum in auxilium appellatus itavisset*. Non placet. Ern. Obstat, quod Dionys. Hal. 2, 36. Cœlium sponte, non adpellatum adventasse scribit. Neque, quum paullo ante legatur *adpellitatum*, Tacitus iterum posuerit *adpellatum*. Ryckius vult: *ad bella tum tulisset*. Crollius: *adportavisset*. Forsan legendum: *ad bella ductavisset. Tum* potuit facile ex *duc* oriri.

Unde Tuscum vicum. Aliter visum Livio, qui 2, 14. cognominatum vult a reliquis exercitus Porsenæ, qui e fuga receperant se Romam, victi ad Ariciam a Cumanis. *Pars*, inquit, *perexigua duce amisso, quia nullum propius perfugium erat, Romam inermes et fortuna et specie supplicum delati sunt.... His locus ad habitandum datus, quem deinde Tuscum vicum appellarunt*. Varro item leviter dissentit. *Hi post Cœlis obitum*, inquit, *quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deducti dicuntur in planum. Ab eis dictus Vicus Tuscus, et ideo ibi Vortumnum stare, quod is deus Etruriæ*. De Vortumno quod ait, confirmat Propertius 4, 2, 3. *Tuscus ego Tuscis orior, nec pœnitet inter Prœlia Volscinos deseruisse focos*. Ubi perperam *Volscinos*, quia Volsci in Etruria non fuerunt. Libri manuss. *Volsanos*, quos sequor, aut certe, *Volsinios*. Lips.

Adversum casum solatium tulerant. *Adversis casuum* conjicit Muretus. Sic 3, 24. *illustrium domum adversa solatio adfecit D. Silanus*. Ern. Heins. *adversum casus*. Bene.

Varum Quinctilium. Censeo filium esse infelicis patris, qui in Germania cæsus. Sed, quomodo Cæsari propinquus? Credo, quia Germanici filiam duxerat uxorem. Seneca 1. Controv. 1, 3. *Declamaverat apud illum hanc controversiam Varus Quinctilius, tunc Germanici gener et prætextatus*. Itaque absocer illi Tiberius fuit. An etiam propinquus alia de caussa? Puto, quia Claudia Pulchra Vari mater, sobrina Agrippinæ dicitur supra. Nec tamen ultra repeti. Lips.

propinquum, Domitius Afer, Claudiæ Pulchræ, matris ejus, condemnator : nullo mirante, quod diu egens, et parto nuper præmio male usus, plura ad flagitia adcingeretur. Publium Dolabellam socium delationis exstitisse, miraculo erat, quia, claris majoribus, et Varo connexus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat. Restitit tamen senatus et « opperiendum imperatorem » censuit : quod unum urgentium malorum suffugium in tempus erat.

LXVII. At Cæsar, dedicatis per Campaniam templis, quamquam edicto monuisset, « ne quis quietem ejus irrumperet, » concursusque oppidanorum, disposito milite, prohiberentur : perosus tamen municipia et colonias, omniaque in continenti sita, Capreas se in insulam abdidit trium millium freto ab extremis surrentini promontorii dijunctam. Solitudinem ejus placuisse maxime crediderim, quoniam importuosum circa mare, et vix modicis navigiis pauca subsidia : neque adpulerit quisquam, nisi gnaro custode. Cæli temperies hieme mitis, objectu montis, quo sæva ventorum arcentur : æstas in Favonium obversa, et aperto circum pelago peramœna : prospectabatque pulcherrimum sinum, antequam Vesuvius mons ardescens faciem loci verteret. Græcos ea tenuisse, Capreasque Telebois habitatas, fama

Claudiæ... condemnator. Supra c. 52. Adde de v. *condemnare* supra dicta. Ern.

Capreas. Scholiastes Juvenalis ad hæc poetæ 10, 93. *Angusta Capreārum in rupe sedentis; Sedentis*, inquit, *significat et divem turpiter vixisse Capreis Tiberium.* Corrige, *et diu et turpiter.* Lips.

Pauca subsidia. Id est, stationes et tutiora loca, in quibus naves subsidere et suffugium habere possent. Lips. Sic et Turneb. Adv. 3, 9. Ern. *Subsidium* in gen. locus tutus 2, 63.

Faciem loci. Sub Tito scil. Cf. Plin. ep, 6, 16 et 20.

Telebois habitatas. Ideo Teleboæ pro ipsis Capreis, Ausonio: ....*viridesque resultant Teleboæ*, Virgilius

tradit. Sed tum Tiberius duodecim villarum nominibus et molibus insederat; quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus et malum otium resolutus. Manebat quippe suspicionum et credendi temeritas, quam Sejanus, augere etiam in urbe suetus, acrius turbabat, non jam occultis adversum Agrippinam et Neronem insidiis: quis additus miles, nuntios, introitus,

42. *Et malum otium resolutus. Et male in otium* ni fallor: ni præfers conjecturam Gronovianam, *occultos in luxus*. Paullo ante pro *duodecim villarum nominibus et molibus insederat*, forte scribendum, *duodecim villarum ignominiosis molibus* vel *ignominiosæ moli*. Vide ad 1, 59.

caussam nominis tangit Æn. 7, 735. ....*Teleboum Capreas dum regna teneret*. Emit, sive permutavit eas cum rep. Neapolitanorum imp. Augustus, traditis earum vice Pithecusis, sive, ut Suet. appellat, Ænaria, Aug. 92. Notat Dio 52, 43. et clare Strabo lib. 5. p. 248. Ab hac caussa ergo Capreæ in censu Cæsarum: quam Tiberius 12 villarum nominibus insedit, ait noster. Iis villis nomina fuisse censeo 12. deorum ex Suetonio, qui Capreis adsignat *villam, cui nomen Jovis*, cap. 65. Sed et pharus in ea insula, usui nautis. Idem c. 74. *Turris phari terræ motu Capreis concidit*. Quod ponit inter omina Tiberianæ mortis. Exstructa iterum, ex his Statii versibus: *Teleboumque domos: trepidis ubi dulcia nautis Lumina noctivagæ tollit Pharus æmula Lunæ*. Lips. Sine adspiratione hoc nomen scribendum recte monuit Ryckius. Ern.

Duodecim villarum. Neque corrigendum aliquid censeo, nec tamen satisfaciunt interpretationes, quas adhuc editas vidi. *Duodecim villarum nominibus et molibus* est, duodecim villis clarorum nominum ob veteres possessores, nec minus substructionum magnificentia conspiciendis. Gron. Recte Gronovius: nisi, quod non clara nomina ob veteres possessores intelligenda, sed quæcunque, etiam deorum. Nam *villa Jovis* diserte apud Suet. commemoratur. Ern. Crollius legi vult: *d. v. montibus et molibus*. Hiller. Rac. 32. *cdminibus et m.* Duodecim villarum loca detegere sategit ante viginti annos Accuccius, medicus. Indicat ea, et omnis generis monumenta, inde ab a. 1786. a se Capreis detecta, describit Norb. Hadrawa in epistolis italice editis et germanice versis. 4. Dresdæ 1794. In iis templorum, aquæductuum, tessellatorum pavimentorum, vasorum etc. frequens mentio.

Tanto occultior in luxus. Scribo, *occultos*. Quanto magis olim intentum, tanto magis nunc resolutum dicit in luxus occultos et malum otium. Gron. Verissime. Ern. Paschal. conjectat *oculatior*. frustra. — * Wopkens. ad 3, 29. ostendit Taciti stilo convenire *occultior*.

Quis additus miles. Honoris specie additos putat Pichena, revera ad custodiam. Sed honoris species non convenit apertis Sejani insidiis. Ce-

aperta, secreta, velut in annales referebat, ultroque struebantur, qui monerent perfugere ad Germaniæ exercitus, vel celeberrimo fori effigiem D. Augusti amplecti, populumque ac senatum auxilio vocare. Eaque spreta ab illis, velut pararent, objiciebantur.

LXVIII. Junio Silano, et Silio Nerva coss. fœdum anni principium incessit, tracto in carcerem illustri equite romano, Titio Sabino, ob amicitiam Germanici. Neque enim omiserat, conjugem liberosque ejus percolere, sectator domi, comes in publico, post tot clientes, unus; eoque apud bonos laudatus, et gravis iniquis.

terum hic potius est, ut dicamus *addendi* verbum exquisitius dici, cum significatione in deteriorem partem: de qua laudavi ad c. 60. Gron. ad Senecam. Plautus Aulul. 3, 6, 20. *Argus, quem quondam Jovi Juno custodem addidit.* Sic capio Virgil. G. 1, 150. *Mox et frumentis labor additus:* i. e. mox frumenta a variis malis cœperunt infestari, ut sequentia docent, velut rubigine, carduo, lolio etc. Sed etiam 6, 14. *custodes additi* occurrunt, sine tali vi, ut opinor, et clare 13, 18. Ern.

Struebantur qui monerent. Notabilis verbi usus cum adcusativo personæ, ut 11, 12. sic et *moliri* 12, 22. Cf. et Val. Flaccus 1, 535. Wopk.

Celeberrimo fori. Non tam celeberrima fori parte, ut apud Suet. Aug. 1. *celeberrima parte oppidi:* etenim quorsum diceret effigiem Augusti celeberrima fori parte esse, quod quisque sciebat: quam *frequenti foro*, sive quo tempore forum plenissimum est hominibus, qui adcurrere, misereri, opem ferre possunt. Mox, haud scio, an melius *ab* delea-

tur: *eaque spreta illis.... objiciebantur.* Ern. Intelligo potius, *parte fori celeberrima*, alias dici oportuerat *celeberrimo foro.* Wopk.

Silio Nerva. Perizonius ep. ad Heinsium Coll. Burm. t. 4. p. 760. *Silianum* verum putat, cum patre Silio natus, ab A. Nerva adoptatus fuerit, et filius, de quo 15, 48. a Phlegonte Mirab. 23. corrupte Σιλανιανὸς, in inscr. vet. diserte *Silianus* vocetur: et sic ibi legi vult Lipsius; ad quem locum plura. Vide tamen dicta ad Ann. 1. breviar. Ern.

Illustri equite r. Titio Sabino. Titum prænomen illi dat Plinius 8, 61. *Ap. Junio*, ait, *P. Silio COS. cum animadverteretur ex caussa Neronis, Germanici F. in T. Sabinum et servitia ejus.* Lips.

Et gravis iniquis. Est, ut opinor, invisus iis, qui odissent eos. Mox restitui veterem lectionem *Petitius R.* pro Lipsii *Petilius*, quod id nomen in inscriptionibus pluribus ap. Muratorium recitavi. Ern. In Lipsiana 1574 legitur *Petitius*. in ed. 1627. *Petitius* et in marg. *Petilius*. In lapidibus utrumque nomen frequens.

Hunc Latinius Latiaris, Porcius Cato, Petitius Rufus, M. Opsius, prætura functi, adgrediuntur, cupidine consulatus : ad quem non nisi per Sejanum aditus; neque Sejani voluntas nisi scelere quærebatur. Compositum inter ipsos, ut Latiaris, qui modico usu Sabinum contingebat, strueret dolum, ceteri testes adessent : deinde adcusationem inciperent. Igitur Latiaris jacere fortuitos primum sermones : mox laudare constantiam, « quod non, ut ceteri, florentis domus amicus, adflictam deseruisset: » simul honora de Germanico, Agrippinam miserans, disserebat. Et, postquam Sabinus, ut sunt molles in calamitate mortalium animi, effudit lacrimas, junxit questus; audentius jam onerat Sejanum, sævitiam, superbiam, spes ejus : ne in Tiberium quidem convicio abstinet. Iique sermones, tanquam vetita miscuissent, speciem arctæ amicitiæ facere. At jam ultro Sabinus quærere Latiarem, ventitare domum, dolores suos, quasi ad fidissimum, deferre.

LXIX. Consultant, quos memoravi, quonam modo ea plurium auditu acciperentur : nam loco, in quem coibatur, servanda solitudinis facies : et, si pone fores adsisterent, metui visus, sonitus, aut forte ortæ suspiciones

43. *Metus visus, sonitus, aut forte ortæ suspicionis erant. Metus ex improviso sonitus haud.*

Quærebatur. Eleganter, pro *parabatur, parari poterat.* Virgil. Æn. 4, 647. *non hos quæsitum munus in usus,* i. e. repertum, paratum. c. 74. *Sejani congressus per ambitum et societate consiliorum parabatur* 6, 4. *Sic Regulo salus, et Trioni dilatio exitii quæsita*, i. e. parata. Ern.

Junxit questus. Arbitror legendum *junxitque questus : que* absorbuit prima in *questus.* Ern.

Speciem arctæ amicitiæ facere. Muretus et Faernus legebant, *fecere.* Placet. *Tanquam vetita miscuissent* est, tanquam consilia prava agitassent, aut socii scelerum fuissent. Ern.

Ortæ suspicionis erat. Hanc et Rhenani conjectura. Cod. MS. lectio et vett. edd. est *ortæ suspiciones erant.* Mihi *metus visus* aliquid duri habere videtur. Quid si Tacitus de-

erant. Tectum inter et laquearia tres senatores, haud minus turpi latebra, quam detestanda fraude, sese abstrudunt; foraminibus et rimis aurem admovent. Interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit; præteritaque et instantia, quorum adfatim copia, ac novos terrores cumulat. Eadem ille et diutius, quanto mæsta, ubi semel prorupere, difficilius reticentur. Properata inde adcusatio, missisque ad Cæsarem literis, ordinem fraudis, suumque ipsi dedecus narravere. Non alias magis anxia et pavens civitas, egens adversum proximos:

44. *Egens adversum proximos.* Alibi *tegens.* An *anxia magis et pavens sui civitas tegere se.*

dit: *metu visus, sonitus, aut forte ortæ suspiciones erant*, sive etiam *metui*, unde *metus* facile fieri potuit. Ern. Sequor cum Crollio conjecturam hanc, quæ codici maxime congruit.

Tectum inter et laquearia. Di deæque auctores perdant tam scelestæ fraudis, cujus tamen exemplum ab Ephoris esse, moneo juventutem, Pausaniam Spartæ regem, cum ad Ephoros detulisset Argilius quidam proditionis, et occultæ cum rege societatis, eamque in rem literas ejus ostendisset: ut tamen ipsi coram ea audirent cognoscerentque, commenti fraudem sunt, ut in templum perfugeret Argilius, quasi ad aram. Ubi Pausaniæ in os hæc exprobraret, apud conscium non negaturo: Ephori autem in occulto laterent, duplici quodam tabulato disclusi. Pete hæc a Thucydide disertim narrante 1, 133. Nec dubitabis, quin perfidiæ novum exemplum sit a facto illo. Lips. Cicero Topicis: *Multi etiam in res odiosas imprudentes inciderunt; ut Staterio nuper accidit, qui ea locutus est, bonis viris subauscultantibus pariete interposito, quibus patefactis in judiciumque prolatis rei capitalis jure damnatus est.* Gron. Aptius exemplum e Valer. M. 6, 7, 2. attulit Jac. Gronovius, ubi *inter camaram et tectum cubiculi abditi memorantur.* De camara, sive laqueari tectis subjuncto, vide dicta ad Sueton. Ner. 34. Ern.

Quanto. Sic cod. MS. Beroaldus, Alc. tus. Ex eo in ed. Rhenani, operarum vitio factum *quando*: quod Aldus et sequentes tennere: donec vetus restitutum a Pichena, Gronoviis. Ern. Rhen. prima 1519. habet *quanto*; in secundam mendum irrepsit.

Reticentur. Paschal. forsan *retinentur.* Si quidem reticeri non amplius possunt, quæ semel prorupere.

Egens adversum proximos. Literula addita restituo: *tegens.* Diotio similis in Cicerone, pro Roscio Am. 40. *Tecti esse ad alienos possumus: socium vero cavere qui possu-*

congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectabantur.

LXX. Sed Cæsar, solennia incipientis anni, kal. januarius? Lips. Alii aliter tentant. Frustra omnes. Conjectura est, non vett. librorum lectio *egit*, *etiam*, ut vult Muretus: quod alioqui bonum sensum efficeret. Vulgatum defendit Jac. Gronovius, intelligens *fide*, qua destituta civitas merito *egens* dicatur: quod an aliis placeat, nescio. Ego intelligam potius *consilii*. Nesciebant homines, an etiam proximis satis crederent. Simile est, quod c. 74. dicit: *anxia erga Sejanum*. Sed facile largiar, locum sanum non esse. Ern. Sanum putat Crollius, quia, qui suspiciosus et solus agit, egens videatur. Pichena volebat, *egerat*.

Tectum et parietes circumspectabantur. Acidalius mavult *suspectabantur*, sed eodem sensu et alterum verbum usurpatur, ut H. 4, 8. Sallust. Jug. 72. Cic. in. Pisonem. c. ult. Hegis. 1, 44. Wopk.

Solennia incipientis anni. Illudit nobis vir doctus (Vertranius), dum interpretatur, Tiberium ipso Kalendarum die a senatu populoque strenas per epistolam exegisse; et id multis verbis. Quanto proclivius et verius erat dicere, Tiberium initio epistolæ *præfatum* (ita scripserim, quam *precatum*) de Kalendis novi anni, quæ festæ et sacræ vulgo? Nec, *precatus*, damno sententia ista: ut sacra auspiciaque ejus diei prima epistola veneratus Cæsar sit. Ita supra legi. *Sed principio literarum veneratus deos*. Sane dies ille, siquis alius, religiosus in vulgus. Plinius 28, 5. *Primum incipientis anni diem lætis precationibus invicem faustum ominamur*. Templa aperiebant, vota concipiebant pro sua quisque publicaque salute. Prudentius in Symm. 1, 237... *Jano etiam celebri de mense litatur Auspiciis epulisque sacris: quas inveterato, Heu miseri! sub honore agitant, et gaudia ducunt Festa Kalendarum*. Vide et Ovid. Fast. 1, 175. Sed et ludi tum in palatio. Julianus in Misopog. p. 339. Εἴρηκα τῶν θυάτρων ἡμαυτὸν ὑπ' ἀβελτηρίας, οὐδ' εἴσω τῆς αὐλῆς παραδέχομαι τὸν θυμέλην, ἔξω τῆς νεομηνίας τοῦ ἔτους. At de stipe strenisque quæ est ratio? cum adeo aversatus eum morem Tiberius sit, (homo alias abhorrens omnes ejusmodi vitæ amœnitates) ut plerumque extra urbem Kalendis ipsis egerit, ne admitteret strenas. Clare Dio 57, 8. Τούτου δ' οὖν ἕνεκα ἔξω που ταῖς νουμηνίαις διῆγε, καὶ ἵνα μηδένα τῶν ἀνθρώπων ἀσχολον περὶ τε τὰς οἰκίας ἀρχὰς καὶ περὶ τὸν ἑορτὴν ἔχοντα ποιῇ, ἃ καὶ ἀργύριον περ' αὐτῶν λαμβάνῃ. Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ τὸν Αὔγουστον ἐπὶ τούτῳ ἐπῄνει, διὰ τὸ πολλὴν δυσχέρειαν ἐν αὐτῷ, πολλὴν δὲ καὶ ἀτέλειαν ἐκ τῆς ἀντιδόσεως γίγνεσθαι. Religionem et auspicia Kalendarum illustrabit etiam hic D. Maximi locus, viri docti, vetusti, (ævum illius ante mille annos:) e sermone, cui titulus, *De Kalendis Januariis increpatio*. In quo multa apposite in hanc vanitatem: et istud: *Novum annum Januarias appellant Kalendas, cum vetusto semper errore et*

nuariis, epistola precatus, vertit in Sabinum, « corruptos quosdam libertorum, et petitum se, » arguens, ultionemque haud obscure poscebat. Nec mora, quin decerneretur : et trahebatur damnatus, quantum, obducta veste et adstrictis faucibus, niti poterat, clamitans, « sic inchoari annum, has Sejano victimas cadere. » Quo intendisset oculos, quo verba acciderent, fuga, vastitas : deseri itinera, fora : et quidam regrediebantur, ostentabantque se rursum, id ipsum paventes, quod timuissent. « Quem enim diem vacuum pœna, ubi inter sacra

horrore sordescant. Auspicia etiam vanissimi colligere se dicunt : ac statum vitæ suæ inanibus indiciis æstimantes per incerta avium ferarumque signa, imminentis anni futura rimantur : cum utique apud Deum solum sit notitia futurorum. At de Epulis illo die vide omnino epist. 64. (22) D. Augustini ad Aurelianum. Lips. *Januarias* edidit Beroaldus, quem ceteri secuti sunt. In cod. MS. est *Januarius*, unde *Januariis* debebat edere, ut nos post J. Gron. fecimus. Edd. Freinsh. jam volebat *Januariis*.

Traheb. damnatus. De supplicio Sabini et fide canis ejus v. Plin. 8, 61.

Fuga, vastitas. Auctor vitæ Lucani : *Adeo ut quondam in latrinis publicis, clariore strepitu ventris emisso, hemistichium neronianum, maxima consessorum fuga, pronuntiarit : Sub terris tonuisse putes.* Gron.

Ubi inter sacra et vota. Nihil enim triste publice privatimque primo illo die patrabant : nedum ut punirent. Plutarchus in Mario p. 482. Καὶ προσελθὼν (ὁ Μάριος) αὐταῖς καλάνδαις Ἰανουαρίαις, ἔτους ἀρχῇ, Σίξτον τινὰ Δικίνιον κατεκρήμνισεν, ὃ κἀκείνοις καὶ τῇ πόλει τῶν αὖθις ἐλύπει κακῶν γεγονέναι σημεῖον μέγιστον. Nec mirum, si Romani diem illum eximium habuerint a pœna : quippe qui omnes dies festos. Seneca pater Exc. controv. 5, 4. *Accusatus est a fratre parricidii, et damnatus. Diebus festis intercedentibus, pœna ex lege dilata est.* Suet. de Tiberii sævitia 61. *Nullus a pœna hominum cessavit dies, ne religiosus quidem et sacer.* Philo Judæus contra Flaccum p. 976. Τοῖς ὀρθῶς πολιτευομένοις τῶν ἀρχόντων... ἔθος ἐστὶ μηδένα κολάζειν τῶν κατακρίτων, ἄχρις ἂν αἱ ἐπιφανεῖς γενέθλιοι καὶ πανηγύρεις αὗται τῶν ἐπιφανῶν σεβαστῶν διεξέλθωσιν. Similis Athenis lex, ut in morte Socratis Xenophon expressit Mem. 4, 8. Ἀνάγκη μὲν γὰρ ἐγίνετο αὐτῷ μετὰ τὴν κρίσιν τριάκοντα ἡμέρας βιῶναι, διὰ τὸ δῆλα μὲν ἐκείνου τοῦ μηνὸς εἶναι, τὸν δὲ νόμον μηδένα ἐξὸν δημοσίᾳ ἀποθνήσκειν, ἕως ἂν ἡ θεωρία ἐκ Δήλου ἐπανέλθῃ. Sed et videntur Romani etiam in bello, per kalendas istas, abstinuisse ab armis. Subindicat Appianus B. C. 5, 34. Νουμηνίας δὲ ἔτους ἐς τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν οὔσης, Φυλάξας ὁ Λούκιος τὴν ἑορτὴν, ὡς ἀμελείας τοῖς πολεμίοις αἰτίαν, ἐξέθορε νυκτὸς ἐπὶ τὰς πύλας αὐτῶν. Lips.

et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstineri mos esset, vincla et laqueus inducantur? non prudentem Tiberium tantam invidiam adiisse: quæsitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quo minus novi magistratus, quo modo delubra et altaria, sic carcerem recludant. » Secutæ insuper literæ, grates agentis, « quod hominem infensum reipubl. punivissent: » adjecto, « trepidam sibi vitam, suspectas inimicorum insidias, » nullo nominatim compellato: neque tamen dubitabatur, in Neronem et Agrippinam intendi.

LXXI. Ni mihi destinatum foret, suum quæque in annum referre, avebat animus anteire statimque memorare exitus, quos Latinius atque Opsius, ceterique flagitii ejus repertores, habuere, non modo postquam C. Cæsar rerum potitus est, sed incolumi Tiberio: qui scelerum ministros, ut perverti ab aliis nolebat, ita plerumque satiatus, et oblatis in eandem operam recentibus, veteres et prægraves adfixit: verum has atque alias sontium pœnas, in tempore trademus. Tum censuit Asinius

Non imprudentem. Scriptus codex *prudentem:* sed male. Objicit libere Sabinus, de industria et consulto Tiberium hæc patrare, ut omnibus constaret, omni tempore omnia in reos licere. Ita nemo excuset, inquit, tanquam ignarus aut incogitans hunc diem polluisset. Lips. Non Sabinus ista dixit: sed homines vulgo cogitavere, ideoque timuere. Jac. Gronovius defendit *non prudentem*, et servat, sed ita, ut interrogative capiat. Quod probare non possum. Si Tacitus dixit *non prudentem invidiam adiisse?* inepte subjiciuntur ista: *quæsitum meditatumque.* Præterquam quod interrogatio ab hoc contextu aliena est. Ern. Lectionem codicis recte defendit Crollius. Non sunt verba Sabini, sed vulgi, culpam quamvis simulate a Tiberio, Sejani artibus decepto, in hunc rejicientis. Id firmatur verbis Sabini: *has Sejano victimas cadere*, ad cujus dolos referenda et sequentia: *quæsitum meditatumque* etc. Lipsii ratio contra placebat Freinshemio et Ryckio. Paschalius admittit *non imprudentem*, et post *quæsitum* semicolon posuit; ast in explicando sensu haud feliciter versatur.

Latinius atque Opsius. De Opsio in his libris nihil: de Latinio habes 6, 4. Lips.

Veteres et prægraves. Groslotius *ut prægraves.* Ern.

Gallus, cujus liberorum Agrippina matertera erat, « petendum a principe, ut metus suos senatui fateretur, amoverique sineret. » Nullam æque Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem, diligebat: eo ægrius accepit, recludi, quæ premeret. Sed mitigavit Sejanus, non Galli amore, verum ut cunctationes principis opperiretur: gnarus, lentum in meditando, ubi prorupisset, tristibus dictis atrocia facta conjungere. Per idem tempus Julia mortem obiit, quam neptem Augus-

Agrippina matertera erat. Nimirum, quia Vipsania uxor Asinii, consanguinea Agrippinæ soror: id est, eodem patre Vipsanio natæ ambæ, diversa matre. Vide nostrum stemma. Lips.

Ut rebatur. Ad sequentia refer. Putabat hanc virtutem esse, non erat. Lips.

Contationes principis. Contationes non apte aut recte *aperiri* mihi dicuntur, sive quis mallet, *operiri*. Ego, *cogitationes*, magis scribam. Tum explico: Sejanum mitigasse Tiberium, quia non nolebat frigus et lentitudinem illam excitari, ac cogitationes ejus produci; ut denique voti sui compos fieret, duobus illis afflictis, quod prævidebat fore, ut Tiberius occultam adhuc iram promeret, et atroce facto ostenderet, cum non ultra lateret. Et sane ita evenit, statimque initio anni proximi duo illi (Agrippina et Nero) accusati et damnati. An quis etiam, *operirentur*, mallet? Tum esset, mitigasse ideo Sejanum, quia nondum maturum videbatur sensus principis aperiri; excusavitque Asinium ejus dicti: ut scilicet majus odium mora concineret, et denique tristibus factis efferret. Lips. Quidquid occinant, verum censeo, *opperiretur*, quod Mureto placuit. Hoc est, ut subserviret ingenio principis et specie clementiam suadentis daret ei occasionem contandi differendique Gallum in maturius odium: sciens illum gaudere mora et quodam tractu consiliorum; postquam decrésset, non pœnitere, sed a verbis immitibus ad sæva supplicia procedere. Sustinebat igitur ad tempus, donec major et accumulata offensio uno impetu Gallum prosterneret. Sed et supererat Julia Augusta, cujus ambo ad exserendum omne odium in domum Germanici mortem avide exspectabant. Gron. Certe totum illud, quod sequitur, usque ad *conjungere* clarum est, si quis attendat, ad solum Asinium Gallum pertinere. Quod si est, neque *aperirentur*, neque *operirentur* locum habet. *Opperiretur* etiam Ryckio non displicet. Ern Nec mihi. Sic enim 2, 69. H. 2, 7. Wopk. Item Acidalio et Pichenæ; sed hunc ad vulgatum retraxit Salinerius.

Julia. Juliæ filia, quæ nupta Æmilio Paullo. Scholiastes Juvenalis in Sat. 6, 158. *a barbaro relegatam* scribit: sed corrigendum, *ab avo*. Lips.

tus, convictam adulterii, damnaverat, projeceratque in insulam Trimerum, haud procul Apulis litoribus. Illic viginti annis exsilium toleravit, Augustæ ope sustentata : quæ, florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga adflictos palam ostentabat.

LXXII. Eodem anno Frisii, transrhenanus populus, pacem exuere; nostra magis avaritia, quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, « ut in usus militares, coria boum penderent : » non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura; donec Olennius, e primipilaribus, regendis Frisiis impositus, « terga urorum » delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, quis ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo

Convictam adulterii. Cf. 3, 24.

In insulam Trimerum. Sic cod. MS. et vett. edd. habent, estque adhuc in Lipsianis. Freinshem. recepit *Tremetum*, quia hodie est *Tremiti*, quod deinde in alias propagatum est, donec vetus *Trimerum* restituit Jac. Gron. Ern.

Tributum iis jusserat. Pro *tributum imposuerat.* Neque vero hoc exemplo patet, *jubere* dativo jungi, de quo infra, cum præcipiendi vim habet. Sed dicitur hic, ut ap. Livium *imperium alicui jubere*, et similia, in quibus intelligitur *esse*, aut simile quid, 26, 41. ubi v. Dukerus. Ern. Locus Livii hic nihil efficit; ibi quippe est; *mihi imperium juberent dari.* Contra ibi 42, 28. *cui jussum erat creare*, et ap. nostrum 13, 15. *Britannico jussit, exsurgeret.* et 40. *quibus jusserat, ut resisterent.* Sic et *æmulari quem* et *cui* dicitur.

In usus militares. Nempe ad scuta, ad tentoria militum, etiam ad machinarum paratum. Simile tributum in Bosporo, tempore græcanicorum imperatorum, pensum Cedrenus docet ad a. C. 527. et appellat τὰ συντελείας τῶν βοῶν. Addit autem (quam vere nescio) *Bosporo inde nomen esse.* Ἀπὸ τοῦ τελεῖν Ῥωμαίους κατ' ἔτος ἀντὶ χρημάτων βόας. Lege et *equos datos a Dalmatis*, in tributo: idque medio et inferiore ævo. Lips. Adde de Mil. 5, 5. Ern.

E primipilaribus. Int. Centurionibus: quorum quanta dignitas fuerit, ex h. l. facile intelligitur, tum ex aliis Taciti et Suetonii etc. Vide Lipsium l. c. 2, 8. Ern.

Modica domi armenta. Aliter est nostro ævo, et eminent. Lips.

corpora conjugum aut liberorum, servitio tradebant. Hinc ira et questus : et, postquam non subveniebat, remedium ex bello : rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga prævenit, receptus castello, cui nomen *Flevum* : et haud spernenda illic civium sociorumque manus litora Oceani præsidebat.

LXXIII. Quod ubi L. Apronio inferioris Germaniæ proprætori cognitum, vexilla legionum e superiore provincia, peditumque et equitum auxiliarium delectos, adcivit : ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit; soluto jam castelli obsidio, et ad sua tutanda digressis rebellibus. Igitur proxima æstuaria aggeribus et pontibus, traducendo graviori agmini, firmat : atque interim, repertis vadis, alam Canninefatem, et quod peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet : qui jam acie compositi pellunt turmas sociales equitesque legionum, subsidio

Et, postquam non subveniebat. Legendum, *subveniebatur*: aut, *nemo subveniebat.* Lips. Sic et Rhenanus, Muretus et alii. Receptum deinde *subveniebatur* a Pichena et aliis. Servavi lectionem MS. Beroaldi, Alciati, Rhenani, Aldi etc. cum J. Gronovio, quia explicari potest, intellecto *Olennius*. Utrum Tacitus dederit *subveniebat* nec ne, pro certo non dixerim. Ern.

Qui tributo aderant. Int. exigendo: quorum opera, vi, tributum exercebatur. *Adesse* Livio et Sallustio exquisite dicitur in deteriorem partem, ut vim, odium, ferociam, sævitiam indicet, quod huic loco valde aptum. Sall. Jug. 50. *infensi adesse atque instare*. ubi v. Cortius. Si quis tamen malit simpliciter capere pro *adjuvare*, ut 12, 1. *fautores aderant*, non valde repugnem. Sed illud melius. Livius sæpe *adesse* jungit dativo rei, posteriori sensu. V. Drakenb. ad 6, 38. Ern.

Cui nomen Flevum. Scribo libris Histor. Lips. Heinsius *Flevo*, ex more nostri, ut 4, 28. 5, 1. 13, 12. 15, 37. Sed 11, 4. *quibus Petra cognomentum.*

Germaniæ proprætori. MS. Beroaldus et Alciatus *proprætore*. Post *proprætori* editum ab Rhenano, Aldo. *Proprætore* reposuit J. Gron. sed v. ad 2, 52. Ern. Rhen. 1519. *proprætore*. 1544. *proprætori.*

Vexilla leg. V. ad 1, 38. Ern.

Alam Canninefatem. Cujus mentio Vulsiniis in lapide (ap. Grut. p. 385, 1.) PRÆF. EQVITVM. ALÆ. PRIMÆ. CANNANEFATVM. Lips. Sic scribitur etiam 11, 18. in ed. pr. Ern.

Pellunt turmas sociales. Rhen. sic

missos. Tum tres leves cohortes, ac rursum duæ; dein tempore interjecto alarius eques immissus: satis validi, si simul incubuissent: per intervallum adventantes, ne-

emendavit pro *pelluntur*, quod est in MS. idque Aldus ceteriique secuti. Sed Jac. Gron. legendum potius censet: *pellunt vi. Turmæ sociales* sunt, equites ex alis, quæ sunt sociorum. Primo pars equitatus alarii impetum fecit, mox equitatus legionarius, tandem universus alarius eques. Ern. Rhen. 1519. *pelluntur*. 1544. *pellunt*. Ni mendum sit in edit. J. Gron. 1721, hic in codice *legi pellunt vi* testatur: unde mirum, Pichenam legere *pellunt*, nec indicare lectionem codicis.

Alarius eques immissus. Rectissime Freinsh. ita rescripsit, pro vulgato tum, *acrius*, idque servatum seq. editoribus. Sed in eo nescio, an assentiendum sit viro doctissimo, quod equites alarios et legionum sic distinguit, ut illos ex sociis, hos e Romanis sumptos dicat. Nam istis temporibus equitatus omnis e sociis videtur fuisse: sed dividebatur sic, ut pars adjungeretur legionibus, quarum olim quæque equites trecentos habuerat alæ nomine, post quingintos fere, pars cohortibus sociorum; qui equites alarii dicti. Olim aliter fortasse fuit. Nam Livius, qui 35, 5. et 40, 40. clare distinguit *legionarios equites* et *alarios*: in posteriori loco mox *legionarios equites* vocat *Romanos*. *Alarii equites, postquam romanorum equitum tam memorabile facinus videre* etc. Sed, licet fortasse *romanos equites* interpretari, qui cum Romanis erant: ut illi *alarii* etiam *equites sociorum* dicuntur, non, quia e sociis lecti (quamquam hoc quoque), sed quia cum ipsis pugnant. Sic et Victorius ad Cic. epist. 2, 17. judicat. Neque tamen hic aliquid pro certo affirmem. Ceterum hoc loco refellitur Schelius, qui ad Hyginum p. 68. contra Salmasium disputans, legioni etiam sub imperatoribus equites trecentos attribuentem, negat Tacitum, aut alium ætatis ejus, quæ sub imperatoribus fuit, scriptorem uspiam *legionarii equitis* mentionem fecisse, contenditque nullos alios, nisi alarum, equites illis temporibus fuisse: cum hic diserte *legionum equites* et *alarii* distinguantur: qui locus virum summum fugit. Etiam Hist. 1, 57. *equites legionis* occurrunt. Equites legionum quidem fuere, idque concedere Salmasio debebat. sed non ex ordine equestri. Idem tamen Diss. de agmine Vespasiani p. 293. corrigit se, et, cum alas Pannonicas et Mœsicas interpretatus esset equitatum legionum Pannonicæ et Mœsicæ, (de quo vid. ad Hist. 3, 2.) addit: *Hæ alæ, quia ex civibus conscriptæ et legionibus adjunctæ, in inscriptionibus ejus ætatis equites legionis etiam appellantur*. Quod ait de civibus romanis, dubium videtur, neccum idoneis locis inductus sum, ut credam. Nam legionibus etiam sociorum equites additos fuisse jam Cæsaris et liberæ reipublicæ extremis temporibus, clarum est e loco Hirtii B. Alex. 34. ubi Cn. Domitius legioni XXXVI. equites centum a Dejotaro, totidemque ab Ariobarzane adjungit. Nempe Romani onerosissima militiæ in socios translere, inque his equitum præstandorum munus. Ern.

que constantiam addiderant turbatis, et pavore fugientium auferebantur. Cethego Labeoni, legato quintæ legionis, quod reliquum auxiliorum tradit : atque ille, dubia suorum re, in anceps tractus, missis nuntiis, vim legionum implorabat. Prorumpunt quintani ante alios, et, acri pugna hoste pulso, recipiunt cohortis alasque, fessas vulneribus. Neque dux romanus ultum iit, aut corpora humavit; quamquam multi tribunorum præfectorumque, et insignes centuriones cecidissent. Mox compertum a transfugis, nongentos Romanorum, apud lucum, quem *Baduhennæ* vocant, pugna in posterum extracta, confectos : et aliam quadringentorum manum, occupata Cruptoricis, quondam stipendiarii, villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse.

LXXIV. Clarum inde inter Germanos Frisium nomen : dissimulante Tiberio damna, ne cui bellum permitteret. Neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur : pavor internus occupaverat animos, cui remedium adulatione quærebatur. Ita, quamquam diversis super rebus consulerentur, « aram Clementiæ, aram Amicitiæ, effigiesque circum Cæsaris ac Sejani censuere : » crebrisque precibus efflagitabant, « visendi sui copiam facerent. » Non illi tamen in urbem, aut propinqua urbi degressi sunt : satis visum, omittere insu-

Dux romanus. Pichena conjicit *Romanos*.

Insignes centuriones. Sunt, quos alibi vocat *primorum ordinum*, primipilares, Ern. Cf. 2, 11.

Quem Baduhennæ vocant. A nomine deæ Padæ : hodie *Holt Pade* : de quo accurate dicentem vide Mens. Altingium in Not. Batav. et Fris. ant. t. 1. p. 14. Ern.

Quond. stipendiarii. Qui stipendia olim in exercitu romano meruerat. Sic ap. Liv. 8, 8.

Diversis super rebus. Hoc est, aliis, quam de quibus relatio facta esset. Ern.

Aram Clem. Sic ara adoptionis 1, 14.

Digressi sunt. Legendum est *degressi sunt*, non *digressi*. Aliter est ante c. 73. *ad sua tutanda digressis rebellibus*. Nam ibi non modo castel-

lam, et in proximo Campaniæ adspici. Eo venire patres, eques, magna pars plebis, anxii erga Sejanum, cujus durior congressus, atque eo per ambitum et societate consiliorum parabatur. Satis constabat, auctam ei adrogantiam, fœdum illud in propatulo servitium spectanti. Quippe Romæ sueti discursus; et magnitudine urbis incertum, quod quisque ad negotium pergat: ibi, campo aut litore jacentes nullo discrimine, noctem ac diem, juxta gratiam aut fastus janitorum perpetiebatur: donec id quoque vetitum. Et revenere in urbem trepidi, quos

lum relinquitur, sed homines etiam diversi abeunt, quod hic secus est. Vid. supra ad c. 49. 6. 1. H. 2, 51. etc. Ern. — Verbum *digredi* mutare in *degredi*, nulla ratio erat. De pluribus enim una eundem in locum abeuntibus *digredi* quoque dici solet, itemque de uno abeunte, ut 2, 69. 6, 1. 13, 18. H. 3, 69. Idem valet, ubi de *digressu* vel abitu ex loco editiore fit mentio, ut supra c. 49. et 12, 30. H. 2, 100. Val. Flac. 6, 754. Wopk.

Societate consiliorum. Per ambitum et societate consiliorum est familiaris ejus prensando et conscientia atque opera ad illa, quæ identidem machinabatur. Neque enim *consiliorum* vocabulo accipio tantum illam summam consiliorum omnium de invadendo imperio, sed quævis vel directo vel per cuniculos eo ducentia cœpta; immo et nonnulla huc proprie non tendentia, et in quibus odio interdum solummodo aut libidini, ut solent potentiæ impotentes, indulgebat. Sed Freinshemius, quomodo, inquit, societas consiliorum iniri potuit ante congressum? Quasi scelerum ministris et pretiosis emptoribus desint proxenetæ, pararii, sequestres, commendatores. Ne longius abeamus, Firmius Catus et Tiberius societatem coierunt perdendi Scribonii Libonis citra congressum 2, 28. Suetonius Othone 5, *Ac primo quinque speculatoribus commissa est res: deinde decem aliis, quos singuli binos produxerant.* Et plenæ aulæ, immo vita omnis, mirificis inter absentes, ignotos antehac, aut etiam invisos, sociandorum consiliorum viis. Gron. Ryckius tamen Freinshemii interpretationem præfert, quasi plures societatem inter se junxissent, ut, qui prius admissus esset, ceteris aditum pararet. Gronovius verum vidit. Idque patet ex eo, quod, qui ambitu et societate consiliorum parassent aditum, male alacres dicuntur Romam rediisse, cum iis gravis infaustæ amicitiæ (quæ societate consiliorum parta esset) exitus immineret. Ern.

Gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur. Simile illud Ciceronis ad Div. 6, 14. *cum omnem illius conveniendi indignitatem pertulisset.* Ceterum est ὑβριστικὸς in his verbis, cum *perpetiebantur* proprie tantum *fastus* conveniat: cujus generis exempla jam supra notavimus. Ern.

non sermone, non visu dignatus erat: quidam male alacres; quibus infaustæ amicitiæ gravis exitus imminebat.

LXXV. Ceterum Tiberius neptem Agrippinam, Germanico ortam, cum coram Cn. Domitio tradidisset, in urbe celebrari nuptias jussit. In Domitio, super vetustatem generis, propinquum Cæsaribus sanguinem delegerat: nam is Aviam Octaviam et per eam Augustum avunculum præferebat.

Donec idque vetitum. Alii τὸ *que* explicant *quoque*; alii *quoque* corrigunt; quod probo. Centies *quoque* in *que* mutatum et adjunctum voci præcedenti, ut *hodieque* pro *hodie quoque*. Vid. Burm. ad Suet. Claud. 19. Tit. 1. inprimisque Drakenb. ad Liv. 5, 26. Recepi nunc, quia vulgatum non est bene latinum, hoc cuilibet in mentem veniat, fuisse dicendum. Ern. Sic et Muretus, Heinsius etc.

Male alacres. Perperam, stulte, sine caussa, interpretatur Freinsh. Non male. Malim tamen, re sibi perniciosissima læti: ut *male ingeniosus*, qui, ut Ovidius ait Trist. 2, 342. *in pœnas suas ingeniosus est*: qui perit ingenio suo. Sic *mala gaudia* Virgil. Æn. 6, 278. quæ perniciem afferunt. Atque hunc sensum sequentia desiderant. Ern.

Coram Cn. Domitio. Occurrit in numo a Panormitanis in hon. D. Augusti cuso ap. Vaill. NN. Col. t. 1. p. 39.

Aviam Octaviam. Quia filius L. Domitii ex Antonia majore. Antonia autem ex Octavia et M. Antonio sata. Avunculus ergo major illi Augustus. Est autem hic Domitius, qui pater principis Neronis. Lips.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER QUINTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Liviæ Aug. mors et elogium. — II. Tiberius etiam mortuæ iniquus. — III. Sejani potentia crescit. Agrippina et Nero a principe accusantur. — IV. In eos populi favor, — V. Irato Tiberio. Triennii acta desunt.

VI. Sejanus detecta cupidine imperii pervertitur, — VII—IX. cum magna amicorum strage.

X. Pseudo-Drusum persequitur Poppæus Sabinus. — XI. Discordia consulum. Hæc gesta annis circiter tribus.

C. RUBELLIO GEMINO, C. FUFIO GEMINO,
M. VINUCIO QUARTINO, C. CASSIO LONGINO,
TIBERIO CÆSARE V. L. ÆLIO SEJANO. COSS.

I. Rubellio et Fufio coss. quorum utrique Geminus cognomentum erat, Julia Augusta mortem obiit, ætate

1. *Quorum utrique Geminus cognomen erat.* Scribe *Geminis.* Sic apud Silium castigavi 13, 32. *Dasio fuit haud ignobile nomen.* Sic 15, 45. *cui nomen Cleonico*, ut

COMMENTARIUS.

Rubellio, et Fufio COSS. Fufio bene editur pro *Fusio*, quod vett. edd. habent. Nulli tum *Fusii*, ut bene docent viri docti passim ad Ciceronem et alibi. Et sic habent etiam inscriptiones apud Fabrettum p. 217. et Murator. ad a. 775. *C. Fufius Geminus, L. Rubellius Geminus.* Sic et

extrema, nobilitatis per Claudiam familiam, et adoptione Liviorum Juliorumque, clarissimæ. Primum ei ma-

illic scribendum monemus. Et c. 59. *Nomen mulieri Arriæ Gallæ.* Hist. 1, 77., *Cœlio ac Flavio Sabinis in kal. julias consulatus defertur.* 2, 4., *sacerdoti id nomen erat.* Sic malo: non *sacerdotis.* Livius 31, 4., *C. et M. Servilii: Geminis ambobus cognomen erat.* 32, 2., *Creati P. et Sextus Ælii: Pœtis fuit ambobus cognomen.* 35, 24., *C. Livius et L. Oppius: utrique eorum Salinatori cognomen erat.* Sic lego non *Salinator.* Apud Florum 2, 6. de Fabio: *Hinc illi cognomen novum et reip. salutare Cunctatori.* Ita scribe: non *Cunctator.* Vid. Gronov. ad Liv. 1, 1. bis et c. 3.

Pagius in Crit. Bar. et Noris. in ep. consul. Ern. Ad Dionem male provocat Ryckius. Coss. quippe seriem, quæ in cod. deest, libro 58 præmisit Leunclavius, Reimaro teste. — * Kh. delendum monet *Quartino.* V. Mercerus ad 6, 15. Hic ita: Coss. simul L. Cassius Longinus et M. Vinicius, ordinarii: rursus C. Cassius J. C. et Quartinus suffecti. Sic Cujac. ad lib. 11. de Orig. juris. Errarunt Onuphrius et Sigon. qui Cassios illos confundunt. Ergo Quartinus hic delendum. Pomponius lib. 2. de Orig. Jur. § 47. G. Cassius *Longinus* consul fuit cum *Quartino*, temp. Tib. Noris in ep. Cos. legi vult cum *Surdino.* Sic ap. Grut. p. 1807. ex fastis: L. Cassius Longinus, M. Vinicius Coss. Suffecti C. Cassius Longinus, L. Nævius Surdinus. Simul ergo pro C. Cassio lege L. Cassio. Cf. et Noris. l. c. et Pag. Crit. Baronii t. 1, p. 18.

Geminus. Burmannus ad Vellei. 2, 12. corrigit *Geminis*: adde Gronovium supra ad c. 28. ubi similiter pro *nomen utrique Vibius Serenus* volebat legi: *nomen utrisque Quintis Vibiis Serenis*, et ad Livium 1, 1. Elegans est correctio, ut ibi quoque dixi, quam in Livio amplecterer; sed Tacitus sic pluribus locis. Vid. 11, 4. unde nihil definire audeo. Ern.

Julia Augusta mortem obiit. De cujus vitæ annis dissensus est scriptorum. Plinius 14, 8. annos ei tribuit 82. *Julia*, inquit, *Augusta* 82. *annos vitæ Pucino rettulit acceptos, non alio vino usa.* At Dio 58, 1. Ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, ait, ἡ Λιουία μετέλαξεν, ἓξ καὶ ὀγδοήκοντα ἔτη ζήσασα. Sed labor, ut Plinium e Dione corrigendum censeam. Lips.

Liviorum Juliorumque. Duas ergo familias complexa per adoptionem Livia. Ipsa enim e Claudiis, unde et cognomen tenuit Drusillæ. Sed pater ejus insertus adoptione in Livios, quod hic Tacitus voluit dictum. Nec aliter accipies quod scriptum 6, 51., *Quamquam mater in Liviam et mox Juliam familiam adoptionibus transierit.* Non enim ipsa, sed pater; cui nomen apud Velleium 2, 75. Livius Drusus Claudianus. Vocat simpliciter Dio 44, 48. Livium Drusum; et, cum a Bruto stetisset, post pugnam Philippensem manus ait adtulisse sibi. Clara hæc e Suetonio Tib. 3. *Ex hac stirpe* (*Claudia*) *Tiberius Cæsar genus trahit, et quidem utrumque: paternum a Tiberio Nerone, maternum ab Ap. Pulchro: qui ambo Appii Cæci filii fuerunt. Insertus est et Liviorum familiæ adoptato in eam materno avo.* Ad quæ verba tamen interpretes connivent. Lips. Sic et Ryckius ad

trimonium et liberi fuere cum Tiberio Nerone, qui bello Perusino profugus, pace inter Sex. Pompeium ac triumviros pacta, in urbem rediit. Exin Cæsar cupidine formæ aufert marito, incertum an invitam; adeo properus, ut, ne spatio quidem ad enitendum dato, penatibus suis gravidam induxerit. Nullam posthac subolem edidit: sed, sanguini Augusti, per conjunctionem Agrippinæ et Germanici adnexa, communes pronepotes habuit. Sanctitate domus priscum ad morem, comis ultra quam antiquis feminis probatum, mater impotens, uxor facilis, et cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita.

6, 51. Grævius ad Suet. l. c. Sed quod dicunt, adoptatum jam nata filia, id non necessarium statuere ob verba 6, 51. alias etiam nepote jam nato factam adoptionem dicendum foret. Nam et hic ap. Suetonium dicitur insertus Liviorum familiæ. Ern.

Sanguini Augusti. Nam Germanicus Druso ortus, Liviæ sanguis: Agrippina ex Julia, sanguis Augusti. Lips.

Mater impotens. Non videntur mihi interpretes cepisse mentem Taciti. Non enim ei *mater impotens*, indulgens juri materno in liberos, et id extendens, quod Romæ parvum aut nullum erat: sed indulgens στοργῇ et studio potentiæ filii, cui adversus domum mariti, et adversus rempublicam, et adversus nepotem ex modestiore filio, omni bono maloque modo favit ac servivit. Prorsus ut hic idem sit *mater impotens*, quod 1, 10. *gravis in rempublicam mater, gravis domui Cæsarum noverca.* Gron.

Uxor facilis. Nemo melius explicaverit, quam ipsa Livia, cujus hoc inter apothegmata Dio recenset 58, 2., *Interrogante quodam, qua ratione et arte Augustum ita sibi devinxisset, ac pœne subjecisset? respondit:* Ὅτι αὐτή τε ἀκριβῶς σωφρονοῦσα, καὶ πάντα τὰ δοκοῦντα αὐτῷ ἰδίως ποιοῦσα, καὶ μήτε ἄλλο τι τοῦ ἐκείνου πολυπραγμονοῦσα, καὶ τὰ ἀφροδίσια αὐτοῦ ἀθύρματα μήτε αἰσθάνεσθαι προσποιοῦσα. En facilitatem. Lips. Adde Sueton. Aug. 71. Ern.

Cum artibus mariti, simulatione filii, bene composita. Aut anguste aut haxé nimis capiunt. Interpretor: et marito, cui erat difficile probari, et bene comparatum haberi, sive ipsi, sive per famam ob magnas multiplicesque, interdum ambiguas, sæpe bonas ejus artes; et filio, quem dissociabilem et molestum reddebat tecta et obscura natura, unice respondens, conveniens, digna visa, et quasi a fatis lecta, quæ utrumque, quantum erat salubre, temperaret. Gron. *Bene composita* ductum, ut opinor, ab Horatio *bene compositum par.* Ern.—V. D. de Lamalle qui rejectis commatibus ita reddit: *ayant*

Funus ejus modicum, testamentum diu irritum fuit. Laudata est pro rostris a C. Cæsare pronepote, qui mox rerum potitus est.

II. At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset, nihil mutata amœnitate vitæ, « magnitudinem negotiorum » per literas excusavit: honoresque memoriæ ejus ab senatu large decretos, quasi per modestiam, imminuit, paucis admodum receptis, et addito, « ne cælestis religio decerneretur: sic ipsam maluisse. » Quin et parte ejusdem epistolæ increpuit « amicitias muliebres, » Fufiam consulem oblique perstringens. Is gratia Augustæ floruerat, aptus adliciendis feminarum animis; dicax idem, et Tiberium acerbis facetiis irridere solitus, quarum apud præpotentes in longum memoria est.

un peu de la dissimulation de son fils combinée avec toute l'adresse de son mari. Ubi gratis laudat *artibus.... dissimulatione.* l. l. genius non ferret alind.

Diu irritum fuit. V. Sueton. Tib. 50, 57. Ern.

Cælestis religio. Quam tamen postea ei tribuit Claudius, effigie ejus in templo Augusti consecrata, sacrisque, quæ vestales facerent, institutis: edicto etiam, ut per nomen ejus feminæ jurarent. Dio 60, 5. et Suet. Claud. 11. Exstant nummi, DIVVS. AVGVSTVS. PATER. caput radiatum, ara ante pedes: parte adversa S. P. Q. R. DIVÆ. IVLIÆ. AVGVSTI. FIL. carpentum, cui subjuncti duo muli. Nec dubito, quin consecrata hæc Julia habitu et nomine Junonis. Prudentius in Symm. 1, 251., *Adjecere sacrum, fieret quo Livia Juno, Non minus infamis thalami sortita cubile, Quam cum fraterno coluit Saturnia lecto* Quamquam eo nomine adfecta a poetis etiam viva. Ovidius ex P. 3, 1, 145., *Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.* Ut autem Livia habitu Junonis, sic Drusilla a Caio consecrata Veneris, cognomento Panthem. Auctor Dio 59, 11. Quo refero inscriptionem priscam (ap. Grut. 59, 3.) VENERI. CÆLESTI. AVGVSTÆ. SACR. NVMMIA. C. F. BORCAS. S. P. F. C. Lips. Numism. de quo Lipsius, dedere Occo, Golzius, alii. Eum ad Juliam, Augusti filiam, referendum putabat Reinesius Var. lect. 1, 21. sed in ep. 35. ad Rupertum errorem agnovit. Harduinum quoque ad Plin. H. N. 7, 46. eo nomine reprehendit Eckel. in D. N. N. vet. vol. 6, pag. 158.

* *Præpotentes.* Sic 6, 42. H. 2, 91. etc. male Acid. *iræ potentes.*

III. Ceterum ex eo prærupta jam et urgens dominatio. Nam, incolumi Augusta, erat adhuc perfugium; quia Tiberio inveteratum erga matrem obsequium, neque Sejanus audebat auctoritati parentis anteire. Tunc, velut frenis exsoluti, proruperunt: missæque in Agrippinam ac Neronem literæ, quas pridem adlatas et cohibitas ab Augusta credidit vulgus. Haud enim multum post mortem ejus recitatæ sunt. Verba ineraut quæsita asperitate: sed non arma, non rerum novarum studium; « amores juvenum, et impudicitiam » nepoti objectabat. In nurum ne id quidem confingere ausus, « adrogantiam oris et contumacem animum » incusavit, magno senatus pavore ac silentio: donec pauci, quis nulla ex honesto spes, (et publica mala singulis in occasionem gratiæ trahuntur) « ut referretur » postulavere, promptissimo Cotta Messallino, cum atroci sententia: sed aliis a primoribus, maximeque a magistratibus, trepidaba-

2. *Multum post mortem.* Quid si *multo?*

Prærupta et vergens. Ita reposui et intelligo, cadentem aut præcipitem: non ultra in statu. Vulgo *urgens*, quod sævum explicant, nescio quo exemplo. Lips. Recte sane Pichena defendit *urgens*, i. e. sævior ac violentior: quod Tacitus voluit. Sed quærit Lipsius, quo exemplo? Satis est exemplorum, modo absit captio. *Urgens* est premens, gravis, onerosa, injusti jugi aut oneris. Qua re? nempe ob sævitiam et violentiam. Varro: *Qui pote plus, urget.* Justinus 22, 5., *Nec enim moraturos in ejus obsidione hostes, cum sua urgeantur*, id est, vexentur, male habeantur, in periculo sint. Gron. Virgil. G. 1, 146. *duris urgens in rebus egestas.* Cic. Tusc. 3, 25. *opinio magni præsentis atque urgentis mali.* Ern.

Adlatas et cohibitas. Acidalius malebat *sed.* Vulgatum verum. Pluribus locis sic loquitur Tacitus, ut 6, 21. ubi similiter Acidalius et alii *sed* corrigunt: quæ loca omnia sic tentare non ausim. 11, 5., *quadringentis numorum millibus Suillio datis; et cognita prævaricatione.* Ibid. 38, *nec ille quæsivit; poposcitque poculum.* 12, 30., *subjectis, dum adipiscerentur dominationis, multa caritate, et majore odio postquam adepti sunt.* Ern. — * Adde 21, 2.

Cotta Mess. De hoc v. 6, 5.

tur : quippe Tiberius, etsi infense invectus, cetera ambigua reliquerat.

IV. Fuit in senatu Junius Rusticus, componendis patrum actis delectus a Cæsare, eoque meditationes ejus introspicere creditus : is, fatali quodam motu (neque enim ante specimen constantiæ dederat) seu prava solertia, dum, imminentium oblitus, incerta pavet, inserere se dubitantibus, ac monere consules, « ne relationem inciperent : » disserebatque, « brevibus momentis summa verti posse, quandoque Germanis * titium pœnitentiæ senis. » Simul populus, effigies Agrippinæ ac

3. *Dandumque interstitium pœnitentiæ senis.* Flor. *quandoque Germanicis stitium pœnitentiæ senis.* Locus pessime mehercules adfectus. Mutila vocabula : quod solenne huic codici. Vide notas ad 1, 10. Sic et c. 20. *intus* pro *intentus.* Infra 6, 2. *tam* pro *tanquam* codex Flor. et 1, 13., *quam Tiberio* pro *quamquam.* 6, 21., *super ea negotia* pro *tali.* 11, 22., *novi* pro *novissime* et *potus* pro *potitus.* 12, 1., *intonanti* pro *intoleranti.* c. 4., *fratrum* pro *fraternum.* c. 26., *quæstione* pro *quæsitione.* c. 46., *omis* pro *omissuros.* c. 64. *le* pro *lepida. prior* pro *propior.* 13, 7. *Iocchum* pro *Antiochum.* c. 13., *seque nece*, pro *seque Senecæ.* c. 14., *indebilis* pro *inde debilis.* c. 19., *Iaurius* pro *Titurius*, et *etiam perio* pro *suetam imperio.* c. 32., *nuntiavit* pro *pronuntiavit.* c. 46., *ubi* pro *uni sibi.* c. 40., *cornu in sinistro* pro *cornuum sinistro.* c. 56., *terram vivam* pro *terra, in qua vivamus.* 14, 18., *Ne probata* pro *Nero probata.* c. 22., *qui, urbis* pro *quiete urbis.* c. 28., *frisoribus* pro *fratris opibus.* 15, 25., *inhosta* pro *inhoneste. inhostus*, Hist. 2, 31, pro *inhonestus.* Hist. 4, 62. *inhora* pro *inhonora.* Ann. 15, 69. pro *imminens exitium, et mense exitium.* c. 71., *sin supplicio* pro *sine.* 16, 5., *longuas* pro *longinquas.* Hist. 1, 46., *ins'* pro *insuper.* et c. 51, c. 47., *omisisse tot fassus* pro *omisisset offensas.* 2, 21., *dum reportans gerunt*, pro *dum per tormenta ingerunt.* Quare scribendum forte, *dandumque domui Germanici interstitium pœnitentiæ senilis.* Nunc quidem aliud nihil exsculpo. Sic *manus senilis* Ann. 6, 9. *senile corpus* 15, 63. *seniles artes* 3, 8. Non multum a scopo hic aberravit Boxhornius.

Componendis patrum actis. Duplicia acta reperio, senatus populique. Acta senatus alio nomine Commentarii senatus, Tacito 15, 74. Acta populi, alias diurna, alias publica. Dixi distincte de utrisque, quia confundi video non a juventute, sed et a doctis : dixi, inquam, in Exc. A. Lips.

Imminentium oblitus. Mala præsentia et pericula negligit præ futuris. Plus scilicet timebat ab heredibus, quos destinabat, quam a Tiberio. Lips. Mox, *brevibus momentis*, exquisite dictum. Aptius alias et usitatius est *levibus* : sed voluit etiam temporis rationem habere. Ern.

Monere. Acidal. volebat *movere.*

Dandumque interstitium. in Flor. *quandoque Germanicis stitium* (immo *titium*) *pœnitentiæ senis.* Posset elici:

Neronis gerens, circumsistit curiam, festisque in Cæsarem ominibus, « falsas literas, et principe invito exitium domui ejus intendi, » clamitat. Ita nihil triste illo die patratum : ferebantur etiam, sub nominibus consularium, fictæ in Sejanum sententiæ; exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum : unde illi ira violentior, et materies criminandi : « spretum dolorem principis ab senatu : descivisse po-

dandumque Germanicis interstitium (sive placet *spatium*) *pœnitentiæ senis*. Suadebat iste, saltem vel Germanicorum memoriæ magnæ (Drusi avi, et filii, qui pater aut maritus horum) Germanicorum, inquam, memoriæ hoc largiendum, ut spatium esset pœnitentiæ senis. Posse enim illum ad bonam mentem redire, si tempus medium esset, nec jussio ejus statim patraretur. Sane aliquid de Germanicis fuit : etsi locus fortasse non plenus. Lips. Simillima est Boxhornii conjectura : *dandumque Germanico interst. p. s.* sed in utraque est aliquid duri. Nam, si *Germanicis* vel *Germanico* est dativus, pendens a *dandum* : quo referetur *pœnitentiæ ?* Rhenanus emendavit *dandumque interstitium pœnit. s.* idque in textum receptum secuti sunt postea editores inde ab Aldo usque ad Ryckium et J. Gronovium : qui lectionem cod. MS. reposuerunt. Certe in hac emendatione male negligitur vox codicis *Germanicis*. Mihi probabile videtur Tacitum scripsisse : *dandumque in Germanicis spatium pœnitentiæ senis*. Volebat dicere, quia res pertineret ad Germanicos, non esse festinandum : quæ sententia huic loco valde convenit. Vid. supra 4, 11. Germanicos non intelligo præcise filios Germanici junioris, ut Broterius videtur putasse, qui *in Germanicis* ferri posse negat, sed, ut Lipsius, de familia Germanicorum. Ceterum in textum inferre non sum ausus. Lacuna post hæc apud Beroaldum, Alciatum et Ryckium; mihi nihil amplius deesse videtur. Broterius conjicit : *quandoque Germanici stirpem, ubi spatium pœnitentiæ senis, resurgere.* Ern. — Sic D. de Lamalle. * Crollius ita emendare studet : *verti : posse quandoque Germanicis locum pœnitentia senis reddi.* Hiller. Racem. 6, 7. *q. Germanici tacturam pœnitentiam senem*, vel *q. Germanici subituram pœnitentiam seni.* Cuncta dubia. — * Heinsii conj. placebat Grævio, nisi quod *senis* hic tuebatur. V. Coll. Burm. t. 4, p. 505.

Festisque in C. ominibus. Ursinus, P. Faber de Magg. Rom. c. 2. volebant *faustis*. Idemque placet Burmanno ad Ovid. M. 6, 448. ubi etiam videndus Heinsius, qui locum Lucani 3, 101. quo ad vulgatum defendendum hic utuntur, corrigit, quod in editione sua secutus est Burmannus. Verum puto : atque sic etiam 12. ext. pro *festis vocibus* legendum *faustis*. Ern. Pichena tuetur *festis*.

Ab senatu. Distingue contra vulgus, *spretum dolorem principis ab senatu, descivisse populum.* Lips.

pulum : audiri jam et legi novas conciones, nova patrum consulta : quid reliquum, nisi ut caperent ferrum? et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent? »

V. Igitur Cæsar, repetitis adversum nepotem et nurum probris, increpitaque per edictum plebe, questus apud patres, « quod fraude unius senatoris imperatoria majestas clusa publice foret : integra tamen sibi cuncta » postulavit : nec ultra deliberatum, quo minus, non quidem extrema decernerent, id enim vetitum, sed, « paratos ad ultionem, vi principis impediri » testarentur.

VI. * Quatuor et quadraginta orationes super ea re habitæ, ex quis ob metum paucæ, plures adsuetudine, « * mihi pudorem aut Sejano invidiam allaturum censui. » ..... « versa est fortuna, et ille quidem, qui collegam et generum adsciverat, sibi ignoscit : ceteri, quem per dedecora fovere, cum scelere insectantur. * miserius sit, ob amicitiam adcusari, an amicum adcusare, haud dis-

Novas conciones, nova p. consulta. I. e. seditiosa, ad res novas pertinentia. Ern.

Vi principis impediri testarentur. Malum tuum, Corneli, fatum! Non paginæ aliquot, sed libri hic perierunt, quibus gesta fere triennii continebantur, de Agrippinæ liberumque ejus exitu, de Sejani spe conatuque, de ejusdem cum agmine amicorum strage, de Liviæ flagitiis et morte : ad summam, flos quasi historiæ tuæ. Adeo bonis illis patribus cura otiumque fuit describere Orosios et Vopiscos, et hujusmodi quisquilias præ tuo auro. Lips.

Quatuor et quadraginta orationes. Quæ præcunt, gesta sunt Fufio et Rubellio coss. initio anni : hæc autem C. Memmio Regulo et Fulcinio Trione. Ita interciderunt acta pleraque anni 782. acta omnia anni sequentis, quo coss. M. Vinucius et L. Cassius. Item hujus anni, quo ex kal. maii suffecti Tiberio et Sejano consules Regulus et Trio. Lips. — * Omittit hæc D. de Lamalle.

Mihi pudorem, aut. Ἀποσιωπητικὸν ex oratione cujuspiam damnandi ob Sejanum, uti et sequens membrum. Lips. Permixtionem hic se hujus et sequentis libri detexisse putant Bipontini; huc trahenda scil. quæ 6, 40. leguntur. Blæsum certe fuisse socium ejus, qui heic locutus.

Generum. Latissimo sensu. V. ff. l. 136. de V. S. De cetero cf. 6, 8.

Ob amicitiam accusari, an ami-

creverim. * Non crudelitatem, non clementiam cujusquam experiar, sed liber, et mihi ipsi probatus, antibo periculum. Vos obtestor, ne memoriam nostri per mœrorem, quam læti, retineatis, adjiciendo me quoque iis, qui fine egregio publica mala effugerunt. »

VII. Tunc, singulos, ut cuique adsistere, adloqui,

cum accusare. Boxhornius *accusari* deleri vult, et pro *accusare* legi *accusari*. Nihil muto. *Accusare amicum* est facere, quod illi, qui, quem per dedecora foverant, nunc insectabantur; quod Satrius Secundus, ex emissario et satellite Sejani conjurationis index. Hi, modo sic subterfugerent Tiberium sævientem, neque ab sese neque a vulgo pro *miseris* habebantur. Ut et quivis improbi, quamdiu pœnam evitant. At hic noster cum philosophis *miserum* censet et felix scelus : ac perinde *miseros* dicit, qui prodendo fidem, et ejurando amicum, sese tutantur, et qui, quod non inficientur amicitiam, in periculo versantur. Scilicet, ut, cum utrimque miserum sit ; hinc, quia turpitudo adest, inde, quia fulmen damnationis imminet, ostendat, justius se consilium cepisse, forti, ut illi putabant, exitu hoc anceps evadendi. Gron.

Non crudelitatem. Magni animi voces, vel abrupti, et similes a Vibio Virio prolatæ, quem Livius sua manu moriturum ita loqui facit, 26, 13. *Cruciatus contumeliasque, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte præterquam honesta, etium levi, possum.* Lips.

Ne memoriam nostri. Et hic nihil corrupti, ut videtur Boxhornio : ne difficile quidem quicquam memori. τὸ *quam* esse *magis quam*, jamdudum in nostro, in Plauto, in aliis observatum. *Ne memoriam nostri per mœrorem, quam læti, retineatis*, est, ne recordatio mei et mortis hujus vos magis contristet quam lætificet : ut mortem meam malitis plausu quàm planctu prosequi ; ut malitis eam laudare quam lugere. Vide Senecam ad Marciam c. 2. et 3. Octavia Marcelli memoriam retinuit per mœrorem : Livia Drusi, post primum illum doloris impetum, læta. Gron.

Tunc singulos. Quis iste ? dignus erat quem nossemus, ob constantiam mortis. Lips.

Singulos ut cuique adsistere. Et hæc, uti sunt, illibata conservo. Τῷ *adsistere* respondet τὸ *retinens* : τῷ *alloqui* τὸ *dimittens*. *Adsistere* hic est, genus officii, quod si decubuisset ille magnanimus, fuisset *adsidere*. Qui venerant, ut adsisterent, ut ei præsto essent, ut præsentiam commodarent tanti viri supremis, eos retinebat ; iis vultu, nutu, verbis significabat gratum sibi esse, quod adessent. Qui vero, ut brevi alloquio, sive ob idipsum, quod agebatur, sive ob aliud negotium, potiti discederent, eos cum responso sedate placideque nihil turbatus dimittebat. Gron. Hæc opposita conjecturis Vertranii et Boxhornii : quorum ille *ut quique adstitere*, hic *ut cuique adstiterat*. Videntur non sensisse, *adsistere* referri ad *animus erat*. Ern.

animus erat, retinens aut dimittens, partem diei absumpsit, multoque adhuc cœtu, et cunctis intrepidum vultum ejus spectantibus, cum superesse tempus novissimis crederent, gladio, quem sinu abdiderat, incubuit. Neque Cæsar ullis criminibus aut probris defunctum insectatus est, cum in Blæsum multa fœdaque incusavisset.

VIII. Relatum inde de P. Vitellio et Pomponio Secundo. Illum indices arguebant, « claustra ærarii, cui præfectus erat, et militarem pecuniam rebus novis obtulisse : » huic a Considio, prætura functo, objectabatur « Ælii Galli amicitia, qui, punito Sejano, in hortos Pomponii, quasi fidissimum ad subsidium, perfugisset. » Neque aliud periclitantibus auxilii, quam in fratrum constantia fuit, qui vades exstitere. Mox, crebris prolationibus, spem ac metum juxta gravatus Vitellius, petito, per speciem studiorum, scalpro, levem ictum venis intulit, vitamque ægritudine animi finivit. At Pomponius, multa morum elegantia et ingenio illustri, dum adversam fortunam æquus tolerat, Tiberio superstes fuit.

IX. Placitum posthac, « ut in reliquos Sejani liberos

Cum in Blæsum. Mallem deleta vocula, *cum Blæsum.* Lips. Non ego. Memini enim id dictum, ut apud Livium 27, 1. *ipse in Fulvii similitudinem nominis increpans :* et 30, 20. *in se quoque ac suum ipsius caput exsecratum.* Vide utrobique notas. Gron.

P. Vitellio et Pomp. Sec. Vitellius prætorius vir erat. de Pomponio vide ad 11, 13. Ern.

Velii Galli amicitia. Lege, *Ælii* cujus gentis cognomen Gallus. Lips.

In fratrum constantia. Suetonius Vit. 2. ita narrat, ut de uno fratre modo dicat. *Publius*, inquit, *post præturæ honorem, inter Sejani conscios arreptus, et fratri in custodiam datus, scalpro librario venas incidit... et obligari curarique se passus, in eadem custodia morbo periit.* Lips. Adde ad 6, 3.

Per speciem studiorum. Doctus enim fuit, et scripta reliquit. Tertull. de Anima c. 46. *In Vitellii commentariis conditum est.* Lips.

adverteretur; » vanescente quamquam plebis ira, ac plerisque per priora supplicia lenitis. Igitur portantur in carcerem, filius imminentium intelligens, puella adeo nescia, ut crebro interrogaret, « quod ob delictum, et quo traheretur? neque facturam ultra : » et, « posse se puerili verbere moneri. » Tradunt temporis ejus auctores, « quia, triumvirali supplicio adfici virginem, inauditum habebatur, a carnifice, laqueum juxta, compressam : exin, oblisis faucibus, id ætatis corpora in gemonias abjecta. »

X. Per idem tempus Asia atque Achaia exterritæ sunt, acri magis, quam diuturno rumore, « Drusum,

Filius. Natu minor. Major statim post patris supplicium quasi paternæ conspirationis socius necatus videtur.

Puella adeo nescia. Illa ipsa quæ sponsa Claudii filio; ut hic notat Dio 58, 11. Lips.

Verbere moneri. I. e. castigari, puniri. Sic *objurgari flagris* Sueton. Oth. 2. Ern.

Triumvirali supplicio adfici virginem. Triumviri, qui alias judices capitales, prorsus iidem Romæ, qui undecimviri Athenis. Munus eorum præesse carceri, punire damnatos: itemque cognoscere de furtis admissisque servorum, aut ejusmodi viliorum capitum ad Mœniam columnam. Quod idem in Atheniensibus fuisse, disco ex Suida. Ἐνδεκα, inquit, ἀρχὴ ἐν Ἀθήναις ἐπιμελουμένη τῶν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ κατακρίτων, ἐφ' ἓν ἀνήγοντο οἱ κλέπται καὶ οἱ ἀνδραποδισταί. Nec ambigo, quin Romanis exemplum inde. Alia de his habes apud Ravard. 2, 18. Var. et Fabrum Sem. 2, 6. quæ non recoquam ego. Sed, cur ait, inauditum virginem adfici triumvirali supplicio, id est, laqueo? Id quidem ita ceperim, quasi non simpliciter virginem dixerit, sed impubem investemque. Lex enim non tam virginitati ignotum cautumque voluit, quam ætati. Ita nec pueros interfici fas, nisi toga sumpta et relatos in viros. Hinc apud Dionem scriptum, a triumviris in proscriptione jussum puerum quemdam togam virilem sumere, ut scilicet jure posset interfici, 47, 6. Καὶ ἄλλα τε, ait, διὰ τοῦτο πολλὰ παρενομήθη, καὶ παιδίσκον τινὰ ἐς ἐφήβους ἐσήγαγον, ἵν' ὡς ἐς ἄνδρας ἤδη τιλῶν ἀποθάνῃ. Appuleius 2. apol. de puero præcoci malitia ed. Pric. p. 95. *Hoc magis noxius, quod cum venia perniciosus est: et nondum pœnæ, jam injuriæ sufficit.* Quam causam et hic subesse arbitror, ut compressa devirginataque mulier videretur et plena annis. Lips. De triumviris capital. cf. ff. 1. t. 2, 30.

Per idem tempus. Hic Ryckius Apicatæ fata periisse putat, et asteriscum ponit.

Drusum. De vero Druso v. 6, 23.

Germanici filium, apud Cycladas insulas, mox in continenti visum : » et erat juvenis haud dispari ætate, quibusdam Cæsaris libertis, velut agnitus, per dolumque comitantibus. Adliciebantur ignari, fama nominis, et promptis Græcorum animis ad nova et mira : « quippe elapsum custodiæ, pergere ad paternos exercitus, Ægyptum aut Syriam invasurum, » fingebant simul credebantque. Jam juventutis concursu, jam publicis studiis frequentabatur, lætus præsentibus, et inanium spe; cum auditum id Poppæo Sabino. Is, Macedoniæ tum intentus, Achaiam quoque curabat. Igitur, quo vera, seu

4. *Lætus præsentibus et inanium spe.* Immo *specie :* tantundem fuisset *inani specie.* 13, 8., *Corbulo, corpore ingens, verbis magnificus et super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus.* Quem locum, ubi pari modo peccabatur, recte asserui Lipsius, et Flor. proxime vero : Dixi ad Velleium 2, 30. *specie in animum*, nam MS. Agr. *spe in animum, species amicitiæ* pro *spes.* Lipsius ex MSS. ad Senecæ de Benef. 7, 31. *Speciem* sive imaginem, pro re vana, ponit frequenter Tacitus : iisque *vim* opponit; ut pluribus nos ad Velleium l. c. Ann. 16, 32., *specie bonarum artium falsos* dixit, qui fallunt sub specie bonarum artium. Ann. 4, 44. *hunc admodum adolescentulum seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, ubi specie studiorum nomen exilii tegeretur.* 6, 1., *speciem venturi simulare.* Atque ita passim noster.

Libertis, velut agnitus comitantibus. Scribendum opinor, *velut agnitum;* ut pendeat a *comitantibus.* Nam intelligere, *velut agnitus esset a se*, in hoc positu durum est. Ern. Hoc maxime placet. Immo sic jam Lampugnanus dedit e cod. suo Mirand. Muretus volebat : *per dolum comitantibus.* Acidalius : *per dolumque comitatus.*

Quippe lapsum custodiæ. Forte, *elapsum.* Lips. Idem placet Rhenano, Faerno et aliis. Recte. Item *custodia* pro *custodiæ*, quod est in veteribus omnibus. Id ego sequi non sum ausus, cum *elabi etiam* dativo jungatur, ut lexica docent. Alioqui Tacitus libenter accusativum jungit, ut Ann. 1, 61. Unde suspicari possis, Tacitum scripsisse *custodias*, idque pro *custodiæ* acceptum a Beroaldo. Sic Hist. 3, 59. *locorum notitia custodias Vitellii elapsum.* Ern.

Et inanium spe. I. e. inani spe. Vulgatum ferri posse arbitror. Ern. *Inania* ap. Tacitum non tam potentia dicitur, quæ falso exspectatur, quam quæ inani constat pompa, magis specie quam re atque vi notabilis sit, 4, 41. 15, 31. H. 4, 11. cum itaque *inania* ejusmodi jam haberet hic Drusus potiusquam speraret, malim cum Heinsio legere *inanium specie.* Wopk. Freinsh. credebat legendum *immanium.*

Achaiam quoque curabat. Ex decreto illo 1, 76, 80. quo *Achaiam et Macedoniam onera deprecantes le-*

falsa anteiret, Toronæum Thermæumque sinum præfestinans, mox Euboeam, Ægæi maris insulam, et Piræeum Atticæ oræ, dein Corinthiense litus, angustiasque Isthmi evadit: marique alio Nicopolim, romanam coloniam, ingressus, ibi demum cognoscit, sollertius interrogatum, « quisnam foret, » dixisse, « M. Silano genitum: » et, multis sectatorum dilapsis, adscendisse navem, tanquam Italiam peteret: scripsitque hæc Tiberio. Neque nos originem finemve ejus rei ultra comperimus.

XI. Exitu anni, diu aucta discordia consulum erupit. Nam Trio, facilis capessendis inimicitiis, et foro exercitus, « ut segnem Regulum ad opprimendos Sejani ministros, » oblique perstrinxerat. Ille, nisi lacesseretur, modestiæ retinens, non modo retulit collegam; sed, « ut noxium conjurationis, » ad disquisitionem trahebat. Multisque patrum orantibus, ponerent odia in perniciem itura, mansere infensi ac minitantes, donec magistratu abirent.

vari proconsulari imperio tradique Cæsari, placuit. Lips.

Toronæum Thermæumque sinum. Quorum ille ad Toronen Macedoniæ urbem; hic juxta Macedoniam, Axii fluvii receptor. Lips.

Ibi demum cognoscit. Locus inter mancos. Nec enim ubi, aut quomodo deprehensus fugitivus ille, narratum. Post *cognoscit* * ergo ponenda nota. Et statim scribe, *interrogato.* Lips. Immo sanus locus in MS. cod. in ed. Beroaldi, ubi sic exhibetur, ut nunc post Pichenam editur. Irrepserat vitio operarum *dixit se*, in ed. Rhen. pr. Id secuti sunt Aldus, Gryphius cet. Hinc difficultas, et emendandi conatus. In Basileensi Alciati quidem a. 1519. adhuc est *dixisse.* Ern.

M. Silano. De quo 2, 59. 6, 20.

Neque nos. At repererunt Zonaras 11, 3. et Dio 58, 25. qui missum eum ad Tiberium tradiderunt, Caligulæ nuptias Antii celebrantem.

Noxium conj. Imitatur Sallustium, qui *noxium* de eo dicit, qui culpæ consors est. V. B. Jug. 42. ubi Cortius hunc locum laudare non neglexit. Usus est constructione græca. Livius Latina 7, 20. *in Faliscos eodem noxios crimine.* Ern.

C. CORNELII TACITI

AB EXCESSU

DIVI AUGUSTI

ANNALIUM

LIBER SEXTUS.

BREVIARIUM LIBRI.

Cap. I. Tiberii fœdæ libidines. — II. In Sejani et Liviæ memoriam sævitur. Togonii adulationem princeps irridet, — III. Gallionis increpat et punit. Paconianus. — IV. Latiaris. Dissidium consulum sedat Maximus. — V. Cotta Messallinus adcusatus. — VI. Tiberii confessio. Tyrannorum occulta supplicia. — VII. Cæcilianus, Servæus, Thermus damnati. Delationes crebræ. — VIII. M. Terentius, ob Sejani amicitiam adcusatus, egregie et libere se defendit, et — IX. absolvitur. Vestilius se interimit. Plures gregatim adcusati.

X. L. Pisonis P. V. mors et funus. — XI. Præfecturæ urbis origo et progressus. — XII. De sibyllinis carminibus consultatio. — XIII. Seditio Romæ ob gravitatem annonæ coercita. — XIV. Equites romani conjurationis crimine cadunt.

XV. Germanici filiæ L. Cassio et M. Vinicio locatæ. — XVI. Fœneratores adcusati. Repressæ usuræ. — XVII. Liberalitate Cæsaris fides refecta. — XVIII. Iterum adcusationes majestatis et — XIX. omnes societatis cum Sejano rei necati.

XX. C. Cæsar Claudiam ducit. Tiberii præsagium de Ser. Galba. — XXI. Ars chaldæa. Thrasyllus. — XXII. De fato dubitatio. — XXIII. Asinius Gallus obit. Mors Drusi miseranda. — XXIV. In eum atrox Tiberii animus. — XXV. Agrippina perit inedia. — XXVI. Cocc. Nerva sponte

vita decedit. — XXVII. Mors Ælii Lamiæ, Flacci Pomponii, M. Lepidi.

XXVIII. Phœnix in Ægypto visa. Super ea narrationes et judicia. — XXIX. Labeo sponte moritur, invidiam amoliente Tiberio. Scaurus damnationem anteit. — XXX. Varii cives urbe exacti. Gætulicus mira fiducia evadit.

XXXI. Parthis Artabanum amoturis et petentibus regem Tiberius dat Phrahatem et, — XXXII. hoc mortuo, Tiridatem destinat. Orienti Vitellium præficit. — XXXIII-XXXV. Parthos Armenii invadunt; hos Albani Hiberique Thessalis orti juvant. — XXXVI. Artabano in Scythiam profugo — XXXVII. Tiridates sufficitur. — XXXVIII. Romæ Tiberius sævire pergit. — XXXIX. Poppæus Sabinus obit.

XL. Mors Vibuleni Agrippæ, Tigranis, Æmiliæ Lepidæ. — XLI. Clitas Cappadoces, regi suo rebelles, reprimit Trebellius. — XLII. Tiridates insigne regium accipit, — XLIII. mox Procerum dissidio pellitur, — XLIV. Artabano restituto.

XLV. Grave incendium Romæ Tiberius liberalitate mitigat. Macro Caligulam captat. — XLVI. Tiberius de successore deliberat. Ejus præsagium de Caligula. Morbum dissimulat. — XLVII. Acutia damnatur. Albucilla impietatis in principem defertur. — XLVIII. Arruntius tædio temporum venas resolvit. — XLIX. Papinius se præcipitat. — L. Tiberius defectionem suam tegit, Chariclis medici astu compertam. Finit oppressus. — LI. Ejus varii casus et mors. Gesta hæc annis circiter sex,

CN. DOMITIO, M. FURIO CAMILLO;
SER. SULPICIO GALBA, L. CORNELIO SULLA;
PAULLO FABIO, L. VITELLIO;
C. CESTIO GALLO, M. SERVILIO RUFO;
Q. PLAUTIO, SEX. PAPINIO;
CN. ACERRONIO, C. PONTIO, COSS.

I. Cn. Domitius et Camillus Scribonianus consulatum inierant, cum Cæsar, tramisso, quod Capreas et Surrentum interluit, freto, Campaniam prælegebat, ambiguus, an urbem intraret, seu, quia contra destinaverat, speciem venturi simulans: et sæpe in propinqua degressus, aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursum et solitudinem maris repetiit, pudore scelerum et libidinum: quibus adeo indomitis exarserat, ut, more regio, pubem ingenuam stupris polluerit, nec formam tantum et decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imagines majorum, incitamentum cupidinis habebat: tunc-

1. *Campaniam prælegebat.* An *Campaniæ oram?* ut Ann. 2, 79., *oram Lyciæ ac Pamphyliæ prælegentes.* Nil tamen muto.

COMMENTARIUS.

Cn. Domitius. Initium sexti libri arbitrario hic jure constitui, non certo. Cui enim probes tantam vim rerum, quantam dixi, trienniique gesta uno libro cum sequentibus inclusa fuisse? Secrevi igitur, non quia liqueret mihi initium in his demum verbis faciendum: sed quia magnitudinem resque gestas æstimanti, ita videbatur. Denique ut scires saltem, hunc vulgo quintum librum in duos esse tribuendum. Lips.

Camillus Scribon. Ex h. l. Camillum hunc consulem ordinarium merito faciunt Pagius in Crit. Baron. ad h. a. et Norisius in Ep. Cons. t. 2. opp. p. 864. quem sequitur, motus inscriptione antiqua (ap. Grut. p. 1087.) Bimardus in Antiq. Thes. Cularonensibus c. 5, p. 95, t. 1. Inscr. Mur. Alii Fastorum concinnatores suffectum faciunt. Ern.

Digressus. Hic quoque *degressus* legendum ex iis, quæ sæpe viri docti de horum verborum discrimine docuere. Vid. ad 4, 74. Sic infra c. 30. *in insulas demoti*, non *dimoti*. Ern. Crollius præfert *digressus*.

Juxta Tiberim hortis. Hortos Cæsaris accipio, de quibus Horat. S. 1, 9, 18. *Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris hortos.* Ii vicini Naumachiæ fuerunt, siquidem eadem de re Suetonius Tiber. 72. *Bis omnino toto secessus tempore Romam redire conatus, semel triremi usque ad proximos naumachiæ hortos subvectus est, disposita statione per ripas Tiberis, quæ obviam prodeuntes submoveret.* Vide iis de hortis et Sueton. Julio 83. Lips.

Saxa rursum et solitudinem maris. Capreas insulam ita vocat, ubi non sic ut in continenti ab hominibus frequentari Cæsar potuit. Wopk.

que primum ignota ante vocabula reperta sunt, *sellariorum* et *spintriarum*, ex fœditate loci ac multiplici patientia: præpositique servi, qui quærerent, pertraherent, dona in promptos, minas adversus abnuentes: et, si retinerent propinquus aut parens, vim, raptus, suaque ipsi libita, velut in captos, exercebant.

II. At Romæ, principio anni, quasi recens cognitis Liviæ flagitiis, ac non pridem etiam punitis, atroces sententiæ dicebantur, in effigies quoque ac memoriam ejus, et « bona Sejani ablata ærario, ut in fiscum cogerentur: » tanquam referret. Scipiones hæc et Silani et Cassii, iisdem ferme aut paullum immutatis verbis, adseveratione multa censebant: cum repente Togonius Gallus, dum ignobilitatem suam magnis nominibus inserit, per deri-

2. *Dona in promptos, minas adversum abnuentes.* Scribo, *præpositique servi, qui quærerent, pertraherent, dono in promptos, minis adversum abnuentes, et sic retinerentur propinquus aut parens;* non *retinerent:* quod postremum vidit et Rhenanus. Simile mendum nos sustulimus alibi. — 3. *Scipiones hæc. Tanquam referret, Scipiones æque ac Silani.*

Sellariorum et spintriarum. Vide, si lubet, Suet. Tiber. 43, et Turnebum 5, 1. Qui tamen non satis explicant, cur sellarii dicti a fœditate loci. Sed ego non violo te, Pudor. Lips. V. Interpretes ad Suet. l. c. Ern. *Sellariolas popinas* habet Martialis ep. 5, 71. Cf. et Lamprid. in Heliog. 5.

In effigies quoque ac memoriam ejus. Crebra talium mentio: disce semel hunc morem, si placet, e nostro Excursu in *A.* Lips. In Sejani quoque memoriam post necem ejus sævitum est. Sic ex Fastis nomen ejus erasum, immo et in numis de industria extritum. V. Eckhel. D. NN. vet. vol. 6, p. 196.

* *Tum retulere Scipiones.* Stigmatias locus non frustra. * Desunt enim quædam. Vel hoc argumento, quod retulisse Scipiones dicit. At relatio consulum erat, censio tantum senatorum. Possit, si forte, legi *ut in fiscum cogerentur; coss. retulere. Scipiones hæc, et Silani et Cassii*, etc. Sed ut rectum sit, non sanatum vulnus. Lips. Sed postea, cognita lectione codicis MS. unici *tam referret Scipiones*, quam Beroaldus mutavit in *tum retulere*, correxit *tanquam referret* in Dispunct. not. Mirand. codicis: quam emendationem Pichena in textum recte recepit. *Vere Lipsius et Pichena*, addit Gronovius, *ceteri nugantur.* Eas nugas commemorare non est necesse. Ern. *Tanq. referret:* scilicet ineptias a senatoribus prolatas sic Tacitus irridet.

liculum auditur. Nam principem orabat, « deligere senatores, ex quis viginti, sorte ducti et ferro accincti, quotiens curiam inisset, salutem ejus defenderent : » credideral nimirum epistolæ, « subsidio sibi alterum ex consulibus » poscentis, « ut tutus a Capreis urbem peteret. » Tiberius tamen, ludibria seriis permiscere solitus, egit gratis benevolentiæ patrum : « sed quos omitti posse ? quos deligi ? semper ne eosdem ? an subinde alios ? et honoribus perfunctos, an juvenes ? privatos, an e magistratibus ? quam deinde speciem fore, sumentium in limine curiæ gladios ? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret. » Hæc adversus Togonium, verbis moderans : neque ultra abolitionem sententiæ suadere.

III. At Junium Gallionem, qui censuerat, « ut prætoriani, actis stipendiis, jus apiscerentur in quatuordecim ordinibus sedendi, » violenter increpuit ; velut coram rogitans, « quid illi cum militibus ? quos neque dicta imperatoris, neque præmia nisi ab imperatore accipere

4. *Quos neque dicta imperatoris. Quos neque dicta nisi imperatoris.* Edicta enim principum Ann. 1, 8. 5, 5. Hist. 4, 45. alterum Muretus vidit, alterum Rhenanus.

Gratis. Sic MS. Beroaldus, Alciatus, Rhenanus : Aldus *grateis*, alii *gratias*. Illud post Jac. Gronovium restituimus. Ern.

Honoribus perfunctos, an juvenes ? Quidam ergo in senatu, honoribus nondum functi. Quod manavit ab Augusto : *qui liberis senatorum, quo celerius reip. adsuescerent, protenus virili togæ latum clavum inducere, et curiæ interesse permisit.* ait Sueton. Aug. 38. Tacitus 13, 25. *Julius Montanus senatorii ordinis, sed qui nondum honorem capessisset.* Plura ibi. Lips. Enimvero semper putem, in senatum lectos quosdam, nondum ullo honore functos. Ern.

Neque ultra abolitionem sententiæ suadere. Hoc est, nihil aliud præter sententiæ abolitionem, suasit : nec eo ulterius progressus est, ut recte Pichena. Ern.

Jun. Gallionem. Senecæ fratrem. Cf. 15, 73.

In quatuordecim ordinibus sedendi. Tanquam equites essent. Caussam sententia sumpsit a primipilaribus, qui, functi militia, equites censebantur. Simile voluit in prætorianis. Vide me in Milit. lib. 2. Dial. 8. Lips.

Quos neque dicta imperatoris. Hæret sententia, fortasse explicanda, si legas : *dicta non imperatoris* : ne-

par esset: reperisse prorsus, quod D. Augustus non providerit. An potius discordiam et seditionem a satellite Sejani quæsitam? qua rudes animos nomine honoris ad corrumpendum militiæ morem propelleret.» Hoc pretium Gallio meditatæ adulationis tulit, statim curia, deinde Italia exactus: et, quia incusabatur facile toleraturus exsilium, delecta Lesbo, insula nobili et amœna, retrahitur in urbem, custoditurque domibus magistratuum. Iisdem literis Cæsar Sextium Paconianum, prægatione inserta. Lips. Sed post delendam vocem *imperatoris* censuit, quod etiam visum Grotio. Rhenano (Heinsio, Ryckio) aliisque placet: *neque dicta nisi imperatoris*: in his etiam Groslotio, qui tamen alterum præfert. Ern. Acidal. *edicta*.

Delecta Lesbo. Qui simpliciter relegabantur, habebant arbitrium insulæ. V. l. 7. D. de interd. et releg.

Custoditurque domibus magistratuum. Præter carcerem et custodiam militarem, custodia alia duplex: apud magistratus, et apud vades. Apud magistratus, cum reus consuli, prætori, ædili, (interdum et senatori, etiam non e magistratu) committebatur, quod non nisi in reis illustrioribus usurpatum, eaque custodia libera dicta. Sallustius in Catil. 47. *Senatus decrevit, uti abdicato magistratu Lentulus itemque ceteri in liberis custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum ædilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Ceparius Cn. Terentio senatori traduntur*. Cicero in Bruto 96. *Domi teneamus eam septam liberali custodia*. Quasi si alia illa servilis. Jul. Firmicus: *In custodia quandoque, sed libera exponetur*. Et sane hæc libera, digniorum tantum et plerumque senatorum. Hieronymus contra Vigilantium: *Sint ergo non tetro aliquo carcere, sed amœna et libera custodia, tanquam patres quidam ordinis senatorii*. Dio optime 58, 3. de Asinio Gallo: qui hanc custodiam φυλακὴν ἀδέσμιον vocat, id est liberam et sine vinclis; additque, πρός τε γὰρ τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἐτηρεῖτο, ἕξω τῆς τοῦ Τιβερίου ἀρχῆς. Τότε γὰρ πρὸς τῶν στρατηγῶν ἐφυλάχθη, ἵνα μὴ φύγῃ, οὐ μὰ Δί' ἀλλ' ἵνα μή τελευτήσῃ. Sidonius ep. 1, 7. de Arvando: *In Capitolio custodiebatur a Flavio Asellio hospite, comite sacrarum largitionum*. Custodia apud vades, cum eorum periculo fidejussoribus reus tradebatur. Tacitus 5, 8. *Nec aliud periclitantibus auxilii, quam in constantia fratrum fuit, qui vades exstitere*. Clarissque de eadem re Suetonius Vitell. 2. *Publius post præturæ honorem inter Sejani conscios arreptus, et in custodiam fratri datus*. Ulpianus l. 1. De custod. reorum: *De custodia reorum æstimare proconsul solet, utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, an fidejussoribus committenda*. Symmachus l. 1. Epist. *Statui, ut Felix vadibus, qui Fulgentio non essent cogniti, traderetur*. Lips.

Sextium Paconianum. Sextius Pa-

torium, perculit, magno patrum gaudio, audacem, maleficum, omnium secreta rimantem, delectumque a Sejano, cujus ope dolus C. Cæsari pararetur. Quod postquam patefactum, prorupere concepta pridem odia: et summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret.

IV. Ut vero Latinium Latiarem ingressus est, adcusator ac reus juxta invisi, gratissimum spectaculum præbebatur. Latiaris, ut retuli, præcipuus olim circumvenicndi Titii Sabini, et tunc luendæ pœnæ primus fuit. Inter quæ Haterius Agrippa consules anni prioris invasit, «cur, mutua adcusatione intenta, nunc silerent?

5. *Adcusator ac reus, juxta invisi, gratissimum spectaculum præbebatur.* Ursinus *præbebant*: nec improbo. *Præbebantur* tamen propius accedit ad vulgatam: nec inelegans est epexegesis.

conianus scribitur infra: *Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus*. Lips.

Per idem odia. Emendo, *concepta pridem*. Lips. Sic etiam Faernus et Pichena. Salinerium, *per idem* explicantem, *iisdem de caussis*, nugari, vere judicat Gron. Ern.

Ingressus est accusator Acrius. Restitui non male, *aggressus est, accusator ac reus juxta invisi*. Paconius et Latiaris odiorum duo nomina. Itaque gaudium patrum fuit perculso Paconio a Cæsare: gaudium alterum nominato, ab eo indice, Latiari. Lips. *Ac reus* probant et alii, receptumque a Pichena et seq. editoribus: *ingressus* servatum: recte. Sallustius Jug. 28. *Calpurnius acriter Numidiam ingressus est, multos mortales et urbes aliquot pugnando capit*: ubi codd. quidam *aggressus*. Opportune ibi Cortius attulit locum Justini 41, 4. *cum prædonum manu Parthos ingressus*: ubi itidem Tan. Faber volebat *aggressus*. Quamquam video, et ibi, et hic de motu capi posse: nam etiam *Parthos* interpretari licet fines Parthorum. Sed omnino *ingredi* pro *aggredi* dicitur, etiam ap. Cicer. de Senect. 4. Acad. 4. 6. v. Burm. ad Virg. G. 2, 175. Simile infra c. 16. *magna vis accusatorum in eos irrupit*: quod proprie dicitur de iis, qui infestis armis impetum faciunt in fines. Si quis putet, Tacitum in mente habuisse locum Sallustii, possit etiam conjicere: *ut vero L. L. i. e. accusator acrius, juxta invisum, g. s. p.* Ita non opus, mox emendare *præbebant*, quod Lipsio in dispunctionibus placet, et Mureto ac Pichenæ: aut cum Acidalio transponere verba: *ingressus est, gratissimum spectaculum præbebatur, accusator ac reus juxta invisi*. Ern. — Malim cum Lipsio *adgressus est*. Wopk.

Ut retuli. 4, 68.

Intenta. Pichena volebat *intentata*; sed ipse dein sanum vulgatum

metum prorsus et noxiam conscientiæ pro fœdere haberi: at non patribus reticenda, quæ audivissent.» Regulus, «manere tempus ultionis, seque coram principe exsecuturum:» Trio «æmulationem inter collegas, et, si qua discordes jecissent, melius oblitterari,» respondit. Urgente Agrippa, Sanquinius Maximus, e consularibus, oravit senatum, «ne curas imperatoris conquisitis insuper acerbitatibus augerent: sufficere ipsum statuendis remediis.» Sic Regulo salus et Trioni dilatio exitii quæsita. Haterius invisior fuit, quia somno aut libidinosis vigiliis marcidus, et ob segnitiam, quamvis crudelem principem non metuens, illustribus viris perniciem, inter ganeam ac stupra, meditabatur.

6. *Noxiam conscientiæ pro fœdere haberi. Noxia conscientiæ* puto. Vide nos ad 1, 40. et 11, 22., *alii noxæ conscientiam*, ut Muretus: et forte rectius.

judicavit, ut supra *intenta pericula*.

Metum prorsus et noxam. Si examinas, stabis a Groslotio legente: *noxæ conscientiam*. Ego etiam velim, *habere*, non *haberi*: sententia volente. Lips. MS. Beroaldus, Alciatus *noxiam*, quod verum puto. Primus mutavit Rhenanus, quem secutus est Aldus, Gryph. cet. Pichena etiam conjicit *noxiam conscientiam*. Si hoc licet, malim *et obnoxiam conscientiam*: nam *ob* potuit absorberi a præcedente copula. *Obnoxia conscientia* est hujus, qui, sibi male conscius, non audet alterum offendere, ne ab ipso prodatur, ne ipse in periculum incurrat: nam tales homines *obnoxios* dici, satis hodie notum est. V. Gron. ad Senec. de Ira 3, 8. Ern. Bip. etiam volunt *noxiam conscientiæ*. *Noxia* scil. culpa est; *noxa* damnum. Groslotium sequitur Muretus.

Sanquinius maximus. Verius, ut grandiori litera notes, *Sanquinius Maximus*, ut sit ejus gentis cognomen. Nam maximum ævo inter consulares fuisse, non placet, nec verum est. Consul enim suffectus demum fuit ante annos quatuor a. U. 781. Præfectum urbis eum fuisse comperior sub Caio, ex Dionis corruptis verbis, 59, 13. Τριάκοντα δὲ δὴ ἡμέρας ἦρξε, (Caius videlicet) καίτοι Λουκίῳ Ἀπρωνίῳ τῷ συνάρχοντι ἓξ μῆνας ἐπιτρέψας, καὶ αὐτὸν Σαουΐνιος Μάξιμος πολιαρχῶν διεδέξατο: scribe, Σαγκίνιος, et hunc cape, qui tunc præf. urbi et secundum consul. Præfuit et inferiori Germaniæ, ex Tacito 11, 18., *Chauci nulla dissensione domi, et morte Sanquinii alacres*. Lips. Mox *quæsita* v. 4, 68. Ern. Reimarus restituit Σαγκουΐνιος. Cf. c. 7. et 11, 18.

Inter ganeam ac stupra. Sic MS. cod. pro quo, errore operarum, apud

V. Exin Cotta Messallinus, sævissimæ cujusque sententiæ auctor, coque inveterata invidia, ubi primum facultas data, arguitur pleraque : C. Cæsarem, quasi

7. *Arguitur pleraque. Peræque* scribendum. Plinius Ep. 1, 2. *quod nihil eodem stylo peræque scripsisse videor.* Vide Hist. 1, 76. Tum, *Caium Cæsarem, quasi incertæ virilitatis*, cum Lipsio partim, partim cum Freinshemio, *peræque*, cum ipse solitus esset alios insimulare. Alibi apud nostrum non semel a nobis id vocabulum restitutum. *Die natali Augustæ* sic capio, quasi ideo novendialem hanc cœnam vocet, quod Augusta Tiberium peperisset, feralem ac exitiosum plurimis, ac proinde eam cœnam pro funesta ac novendiali habendam.

Alciatum *ganeum* : quod secuti sunt omnes, usque ad Pichenam, qui vetus restituit. Ern. Cf. 3, 52.

Arguitur pleraque * *C. Cæsarem.* Ne hunc quidem locum, ex ædilitio edicto, perhibeo sanum integrumque. Remedium aliquod, si legas : *Arguitur pleraque : C. Cæsarem quasi incestæ virilitatis, et, cum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, novendialem eam cœnam dixisset*, ut, inquam, τὸ *dixisset*, reducas etiam ad priora, statimque eodem exemplo legas, *addidisset*. Sed metuo, ut hæc, cum Aristophane, sit συχνὴ ἐπιτουρία. Lips. *Pleraque*, ut sæpe, multa. Crimina plurima in eum sunt congesta, velut etc. Reliqua Lipsii conjectura sane non magis aliis, quam ipsi placet. Melius Muretus, Ursinus, Acidalius : *arguitur pleraque in C. Cæsarem* etc. Nam τὸ *in* non raro a præcedente *que* in libris absorptum est, et hic additum, sensum commodum facit. Sed non negem, mihi valde blandiri Freinshemianam rationem : *Caiam Cæsarem, quasi incertæ virilitatis, dixisse.* Exemplis ab eo allatis ex Homer. Il. β. 235. Sueton. Cæs. 49. et Xiphilino 62, 6. Addas accommodatissimum e Cicerone de Orat. 2, 68. *Cum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior, nec esset, dixisset : Quid tu, Egilia mea, quando ad me venis cum tua colu et lana? Non pol, inquit, audeo : nam me ad famosas mater vetuit accedere.* Adde Suet. Calig. 36. Non dubito, ita Tacitum scripsisse. Idem placet Ryckio, a quo etiam locum Ciceronis jam allatum video, itemque J. F. Gronovio ad Senec. de Vit. Beat. c. 13. qui, præter locum Ciceronis, alium similem ex Egesippo de Exc. Hierosol. 1, 31. affert. Et sic licebit legere τὸ C. quod est in MS. et edd. prioribus ad Lipsianas usque, etiam Ryckiana, et Jac. Gronovii. Ern. Grut. *pleraque* mutat in *plorasse*. Satis inepte. Commentum Freinshemii valeret, si in cod. ϑ. i. e. *C.* inversum compararet; sic enim *Caia* notabatur. Bip. præferunt lectionem istam : *arguitur, pleraque* i. e. plura *in C. Cæs.* etc.

Quasi incestæ virilitatis. Constabit sententia jocusque, *incertæ virilitatis.* Atque ita scribe : sic alibi. *Abdus ademptæ virilitatis.* Notat autem, Caligulam quasi ambigue virum, quique, ut Suetonius ait l. c. pudicitiæ neque suæ neque alienæ pepercerit. Infra c. 9. *sive composuerat quædam in C. Cæsarem ut impudicum, sive facto habita fides.*

incestæ virilitatis, et, cum die natali Augustæ inter sacerdotes epularetur, * *novendialem* eam *cœnam* dixisse:

Locus aliquis in verbis, quasi dicas, androgynum eum fuisse, ἀμφοτέραν Ἀφροδίτην τηρώμενον. Lips. Querneus in Egreg. c. 12. explicat e Suetonii verbis: *pudicitiæ neque suæ, nec alienæ pepercerat:* ut sit virilitas incesto contaminata stupro. Ern. Bipont. conjiciebant *infestæ virilitatis,* ut in utraque voce ambiguitas esset, detorsioni obnoxia. Dein vero vulgatum *incestæ* retinent eo sensu, ut non Cottæ id dictum, sed per arguentium calumniam sic detortum credant. Broterius quoque nil mutandum censet vel ob id, quod a Suet. 24. *Drusillam vitiasse* scribitur *prætextatus adhuc.*

Die natali Augustæ. Immo vero, *Augusti.* Liviæ quidem natalem post mortem ejus epulo ludisve celebratum, non invenio. Nec vero Tiberius, alias haud pronus in matrem, id permiserit: cum etiam minores quosdam honores, a senatu ei decretos, vetuerit abrogaritque. Dionem vide 60, 5. ubi de iis, quæ Liviæ decreta: verbum nullum de natali. At de Augusti certum est: cujus vitalis dies annuis ludis epulisque celeber. Repete ea, quæ scripsi de Augustalibus ludis ad 1, 15. Lips. Recepit in textum Pichena. Verum puto: etsi non ignoro, etiam vivæ natalem celebrari potuisse, ut Sejani ap. Dionem 58, 2. Ern.

Inter sacerdotes epularetur. Observa ergo, illo die epulum fuisse, et, ut apparet, per collegia. Dio auctor, senatores tunc convivatos in Capitolio 54, 26. τὰ γενέθλια, inquit, τοῦ Αὐγούστου ὁ Ἰοῦλος, ὁ τοῦ Ἀντωνίου παῖς, στρατηγῶν, καὶ ἱπποδρομίᾳ καὶ σφαγαῖς θηρίων ἑώρτασε· καὶ ἐν τῷ Καπιτωλίῳ καὶ ἐκεῖνον καὶ τὴν βουλὴν, κατὰ δόγμα αὐτῶν εἱστίασεν. Videtur idem scriptor hoc convivium extendere ad vulgus etiam hominum ib. 30. καὶ αὐτὸν, διὰ τε ταῦτα καὶ διὰ τἄλλα, ἀνδριάσι τε ἐν συντελείας ἐτίμησαν, καὶ τῷ, τοῖς τε ἀγόνοις καὶ ταῖς ἀνάνδροις καὶ συνθεᾶσθαι τοῖς ἄλλοις, καὶ συνδωπνεῖν ἐν τοῖς γενεθλίοις αὐτοῦ, δοῦναι. Sed fallor, aut hoc de iis tantum, qui quæve senatorii gradus. Post principes servarunt, immo lætitiam ejus diei etiam auxerunt. D. Maximus quædam mihi suppeditat sine prævaricatione non omittenda, Serm. in Vigiliis Natalis Dominici. *Lætitia quanta sit,* inquit, *quantusque concursus, cum imperatoris mundi istius natalis celebrandus est, bene nostis. Quemadmodum duces ejus et principes, omnes etiam militantes, accurati sericis vestibus, accincti operosis cingulis auro fulgente pretiosis, ambiant solito nitidius in conspectu regis incedere.* Et paullo post: *Deinde, quia in die natalis sui sciunt eum largum futurum ac donaturum plurima vel ministris suis, vel his, qui in domo ejus abjecti putantur et viles: tanto prius thesauros ejus replere divitiarum varietate festinant, ut in quantum erogare voluerit, in tantum prærogatio copiosa non desit, et ante voluntas donandi deficiat quam substantia largiendi. Hæc autem ideo sollicite faciunt, quia majorem sibi remunerationem pro hac sollicitudine sperant futuram.* Quibus in postremis nota mihi morem donandæ stipis principi; natum, ut opinor, ex more Augusti, qui kalendis, et alias, solitus lar-

querensque de potentia M. Lepidi ac L. Arruntii, cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, addidisse,

giter munera capere et dare. Lips.

* *Novendialem eam cœnam.* Causam joci paullo altius petendum. Mortuis, ritu romano, non ante diem nonum parentabatur. Tunc iis justa, ludi, epulæ, inscriptio, et funeri finis. Donatus Phorm. 1, 1, 6., *In nuptiis septimus dies instaurationem voti habet, ut in funere nonus, quo parentalia concluduntur.* Poetæ alludunt. Ut Virgil. Æn. 5, 64., *Præterea, si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.* Ut Statius in Archemori funere Theb. 6, 238, *Roscida jam novies cœlo dimiserat astra Lucifer.* Et ab ea mente Justinianus in Novella quadam scribit, *in nonum diem fieri μνήμας defunctorum.* Glossæ: *Novendialia,* Ἔνατα ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα. Augustinus in Genesim. 1. Q. 182. *Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novendial appellant.* Nono ergo illo die, præter alia, cœna funebris epulæque. Jul. Obsequens 112. *In sacro novendiali cœna, Deæ posita, a cane adesa, antequam delibaretur,* etsi ambigo, an id ad sacrum novemdiale referendum; quod solitum fieri (instituit Tullius rex, de quo Livius abunde 1, 31.) post lapidum imbrem. Tertull. de Testim. animæ c. 4. *Vocas securos mortuos, si quando extra portam cum obsoniis et mattiis* (aliquid Suidas in Ματτεῦτα) *tibi potius parentans ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis.* Idem de Resurr. carnis c. 1. *At ego magis ridebo vulgus tunc quoque, cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit: iisdem ignibus et promerens et offendens.* Eam vocat Appuleius cœnam feralem c. 4. Flórid. *Procul igitur faces abigerent, procul ignes amolirentur, cœnam feralem a tumulo ad mensam referrent.* Et Juvenalis 5, 84.... *dimidio constrictus gammarus ovo Ponitur, exigua feralis cœna patella.* Ubi nota ova (quia adhiberi ad lustrationem solita) videri in ejusmodi cœnis tralaticia fuisse, uti lentem et salem: ἃ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πένθιμα, καὶ προτίθενται τοῖς νέκυσιν, ait in Crasso Plutarchus c. 36. t. 1, p. 555. Licet in Appiani Parth. eadem narrantis, φακοὺς καὶ μάζαν, lentem et libum. Sane certos quosdam cibos proprios fuisse huic mortuali cœnæ, docet etiam Xiphil. in Domit. 67, 9. ubi de simulato illo sepulcrali epulo: Καὶ μετὰ τοῦτο πάνθ' ὅσαπερ ἐν τοῖς ἐναγίσμασι καθαγίζεται, καὶ ἐκείνοις μίλανα ἐν σκεύεσιν ὁμοίως προσηνέχθη. Hanc cœnam silicernium vocatam, docent Nonius, Festus, et Tertull. Apolog. 13. *Quo differt ab epulo Jovis silicernium? a simpuvio obba? ab aruspice pollinctor?* Hunc morem transisse ad christianos, etiam Augustinus narrat, et leviter excusat 8, 27. de Civit. Dei. *Quicunque,* inquit, *epulas suas eo* (ad sepulchra martyrum) *deferunt: quod quidem a christianis melioribus non fit, et in plerisque terris nulla est talis consuetudo: tamen quicumque id faciunt, eas cum apposuerint orant, et auferunt ut vescantur.* Et 6, 2. Confess. de matre sua. *Cum ad memorias sanctorum, sicut in Africa solet, pultes et panem et merum attulisset.* Addit mox, vetitum ab

« illos quidem senatus, me autem tuebitur Tiberiolus meus. » Neque cuncta a primoribus civitatis revincebatur: iisque instantibus, ad imperatorem provocavit. Nec multo post literæ adferuntur, quibus, in modum defensionis, repetito « inter se atque Cottam amicitiæ prin-

8. *Neque cuncta a primoribus civitatis revincebantur.* Forte *quin æque cuncta a primoribus civitatis revincebatur.* Sic *revincere crimen verbis* ap. Livium 6, 26. 40, 16. Nam et pro *refellere* quandoque sumitur, et est græcismus. Vide nos ad 2, 15.

Ambrosio, *quod illa parentalia superstitioni gentilium essent simillima.* Paullini locum huic rei subtexo, in Felicis Natali 9..... *ignoscenda tamen puto talia, parvis Gaudia quæ ducunt epulis, quia mentibus error Irrepit rudibus: nec tantæ conscia culpæ Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos Perfusis halante mero gaudere sepulchris.* Ubi rusticulos suos in Italia excusat, quod usi vel abusi per simplicitatem veteri gentilium more, ad sepulchrum ipsum D. Felicis. Legam, *pietate caret.* Ad eas ergo novemdiales epulas hic allusum, et cum natalis Augusti celebraretur, dies lætus auctorque vitæ, videri sibi Cotta ferales potius eas epulas dixit: sive, quia ille natus exitii caussa multis (sic Heinsius): sive quia ante novem forte dies, multi a Tiberio animadversi interfectique. Quod placet: et mirum, ni exciderit is jocus (verior liberiorque, quam ut Cottam deceat) post stragem Sejani. Non absimile Plauti illud Aulul. 2, 4, 45., *Cocus ille nundinalis est, in nonum diem Solet ire coctum.* Id est, feralis novemdialisque, et qui mortuis tantum parat in cœnam, ut præit nobis bene Festus. Lips. Crollio videtur Cotta natalitiam Augustæ post Tiberii secessum proxime celebratam dixisse *novemdialem*, quod ab eo tempore *Augustæ*, imperii ante sociæ et æmulæ, potentia videri poterat intermortua. Cf. 4, 57. Broterius cum Huetio putat, hæc dicta esse viva, sed morti proxima, Livia. Gruterus taciturnum fuisse convivium volebat ob metum ex multiplici cæde ortum.

Querensque de potentia. Sic bene ex MS. restituit Pichena, pro vulgato *querentemque*. Sed, quod inde colligit, legendum e conjectura Lipsii *dixisset*, et mox *addidisset*; idque in textum recipit: in eo fugit illum ratio. *Querens* pendet ab *arguitur*. Ern.

M. Lepidi. Manii, ut sæpe. Lips. Immo *Marci*, ut supra ostensum ad 1, 13. 3, 35. Ern. Sic et cod. MS.

Neque cuncta a primoribus. Vere puto correxisse Pichenam, Berneccerum, *eaque cuncta*. J. Gronovii ratio: *illos quidem senatus: me autem? tuebitur Tiberiolus meus me. Quæ cuncta* etc. multis modis displicet. Dixisset opinor: *me autem quis?* deinde in responsione Tiberioli nomen primo loco posuisset, et omisisset τὸ *me* etc. Ern. Prorsus adsentior Bipontinis, servandam lectionem receptam. Quia scil. non in cunctis revictus erat, ideo ad Cæsarem provocare potuit. Ceterum cod. habet *cuncta*. In editis legitur *cunctatus, contatius*.

cipio, crebrisque ejus officiis » commemoratis, « ne verba prave detorta, neu convivalium fabularum simplicitas in crimen duceretur, » postulavit.

VI. Insigne visum est earum Cæsaris literarum initium. Nam his verbis exorsus est: « Quid scribam vobis, P. C., aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, dii me deæque pejus perdant, quam perire me quotidie sentio, si scio. » Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientiæ firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse adspici laniatus et ictus; quando, ut corpora verberibus, ita sævitia, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse pœnas fateretur.

Convivales fabulæ. Sunt ipsi sermones quicunque, inter convivium facti. Sueton. Aug. 70. *cœna ejus in fabulis fuit*, sc. hominum, vulgi: in sermonibus vulgi versata est. Ern.

In crimen duceretur. Sallust. Jug. c. 85. *in conscientiam duceret.* Wopk. Cf. infra 11, 34.

Quid scribam. Eadem habet Suet. Tib. 67.

Quomodo. Cod. *quando.* Pichena.

Perire me. Sic cod. Male ergo recentiores id *me* omittunt. Gron.

In supplicium verterant. I. e. vertebantur, cedebant. Frustra ergo Ren. Vallinus ad Boeth. Cons. 4. met. 2. emaculandum putat *ipse quoque in supplicium verterat*, quia de solo Tiberio sermo. Wopk.

Præstantissimus sapientiæ. Credo, Socrati hoc elogium, et jure, tribuit. Apud Platonem sane de Rep. 9. p. 579. gnome talis: Ἔστιν ἄρα τῇ ἀληθείᾳ, κἂν εἰ μὴ τῷ ὄντι, ὁ τῷ ὄντι τύραννος, τῷ ὄντι δοῦλος τῆς μεγίστης θωπείας καὶ δουλείας, καὶ κόλαξ τῶν πονηροτάτων.... καὶ πίνης τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἂν τις ὅλην ψυχὴν ἐφίστητας διάσασθαι. Καὶ φόβου γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, σφαδασμῶν τε καὶ ὀδυνῶν πλήρης. Sed et ante et postea (magnus enim locus est) plura huic rei Socrates effatur, et istis similia, etsi noster contraxit. Lips.

Firmare solitus. Muret. *Adfirmare.* Frustra. Vide ad 3, 35. Iterum sic dixit infra c. 50. Ern. Sic et c. 28. et H. 2. 5. Wopk.

Recludantur tyrannorum mentes. Claudian. in Rufin. 2, 504. *Pectus inustæ deformant maculæ.* Ubi videndus Barthius. Cicero de Off. 3, 21. *Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera?* Gron.

VII. Tum, facta patribus potestate statuendi de « Cæciliano senatore, qui plurima adversum Cottam prompserat, » placitum, « eandem pœnam irrogari, quam in Aruseium et Sanquinium, adcusatores L. Arruntii, » quo non aliud honorificentius Cottæ evenit; qui nobilis quidem, sed egens ob luxum, per flagitia infamis, sanctissimis Arruntii artibus dignitate ultionis æquabatur. Quintus Servæus posthac et Minutius Thermus inducti: Servæus, prætura functus et quondam Germanici comes: Minucius, equestri loco; modeste habita Sejani amicitia: unde illis major miseratio. Contra Tiberius, « præcipuos ad scelera » increpans, admonuit C. Cestium patrem, « dicere senatui, quæ sibi scripsisset: » suscepitque Cestius adcusationem: quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum: neque discerneres alienos a conjunctis, amicos ab ignotis, quid

Aruseium. Reinesius malebat *Aruleium* in c. 40. quæ conjectura huc quoque pertinet. Id nomen occurrit ap. Grut. p. 961, 6. Ern.

Sanctissimis Arruntii artibus. De eo dixi supra ad 1, 13. 3, 11. At de accusatione ejus, nihil in libris qui nunc sunt. Lips. De morte ejus v. c. 48.

Q. Servæus posthac. Acidalius malebat *post hæc.* V. ad 3, 62. ubi corrigebat *post hos.* Ern.

Inducti. Ammianus Marcell. 22, 3. *Et acta super eo gesta non sine magno legebantur horrore, cum id voluminis publici contineret exordium: consulatu Tauri et Florentii, inducto sub præconibus Tauro.* Gron. *Inducti*, accusati. Proprie tamen inducti in senatum ad dicendam causam. Ern. Apul. Met. 3. *Reus capitis inducor.*

C. Cæstium patrem. Duo ergo Cestii Romæ, pater filiusque? Non inveni. Fuit, qui Cæstium Pium vellet legi, quia frequens declamatoris ejus Senecæ mentio. Mihi, si quid mutandum, placeat, *Cæstium prætorem:* potuitque objici error ex notis. Cæstius quidem prætor fuit, ille ipse, uti divino, de quo Romæ inscriptio: C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM. Itaque apparet scribendum *Cestius*, litera spreta, quoniam et in numis L. CESTIVS. Lips. Conjectura Lipsii, ut demonstrat Ryckius, refellitur ex eo, quod huic Cestio apud Dionem 58, 25. cognomen Galli, fuitque consul cum M. Servilio infra c. 31. Ern.

repens, aut vetustate obscurum : perinde, in foro, in convivio, quaqua de re locuti, incusabantur, ut quis prævenire et reum destinare properat; pars ad subsidium sui, plures infecti quasi valetudine et contactu. Sed Minucius et Servæus damnati indicibus accessere. Tractique sunt in casum eundem Julius Africanus, e Santonis, gallica civitate, Seius Quadratus : originem non reperi. Neque sum ignarus, a plerisque scriptoribus omissa multorum pericula et pœnas, dum copia fatiscunt, aut, quæ ipsis nimia et mæsta fuerant, ne pari tædio lecturos adficerent, verentur. Nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.

VIII. Nam ea tempestate, qua Sejani amicitiam ceteri falso exuerant, ausus est eques romanus, M. Terentius, ob id reus, amplecti, ad hunc modum apud senatum ordiendo : « Fortunæ quidem meæ fortasse minus expediat, agnoscere crimen, quam abnuere. Sed, utcunque casura res est, fatebor, et fuisse me Sejano amicum, et,

9. *Ob id reus amplecti.* Malo *reus palam amplecti.* Similis error commissus 4, 40.

Quid repens. Sic MS. et edd. Sed jam Jucundus Veronensis in apographo correxit *recens.* Nam hic est cod. vet. quem laudat Ursinus, qui hanc correctionem, quæ et Mureto in mentem venit, probabat. Sane *repens* proprie pro repentino dicitur, et tum male ei *recens* substituitur : v. Gronov. et Drakenb. ad Livium 8, 29. sed non de nuper orto vel facto. Ceterum, quia sic etiam est 11, 24. nihil mutandum censeo, sed credo, paullatim dictum pro *recens.* Ern. Cf. H. 4, 25.

Destinare properat. Non abjecerim, *poterat.* Lips. Sic etiam Muretus, vel *properabat.* Ern. Heins. *properarat.*

Contactu. In ed. Oberl. *contrastu.* Forsan errore operarum. N. E.

Indicibus accessere. Id est, servati sunt, quia indicium professi. Ita supra c. 3. *Summum supplicium decernebatur, nisi indicium professus foret.* Lips.

Originem. Ant. Augustinus, teste Ursino, in citato vet. codice reperit *cujus originem.*

Amplecti. Heinsius conjicit *palam amplecti.*

Fatebor et fuisse me. Tota hæc Terentii oratio, ut et causa, simillima est illi Amyntæ apud Curtium 7, 1. (* Sic et Philotæ ib. 6, 10.) Et membra sane aliquot sunt, quæ dicas illinc translata. Nam Amyntas ita : *Amicitiam, quæ nobis cum Phi-*

ut essem, expetisse, et, postquam adeptus eram, lætatum. Videram collegam patris regendis prætoriis cohortibus; mox urbis et militiæ munia simul obeuntem. Illius propinqui et adfines honoribus augebantur: ut quisque Sejano intimus, ita ad Cæsaris amicitiam validus: contra, quibus infensus esset, metu ac sordibus conflictabantur, nec quemquam exemplo adsumo: cunctos, qui novissimi consilii expertes fuimus, meo unius discrimine defendam. Non enim Sejanum Vulsiniensem, sed Claudiæ et Juliæ domus partem, quas adfinitate occupaverat, tuum, Cæsar, generum, tui consulatus socium, tua

lota fuit, adeo non inficior, ut expetisse quoque nos, magnosque ex ea fructus percepisse, confitear. An vero Parmenionis, quem tibi proximum esse voluisti, filium, omnes pæne amicos tuos dignatione vincentem, cultum a nobis esse miraris? Tu, Hercule, si verum audire vis, rex, hujus nobis periculi caussa es. Quis enim alius effecit, ut ad Philotam decurrerent, qui placere vellent tibi? Ab illo traditi, ad hunc gradum amicitiæ tuæ ascendimus. Is apud te fuit, cujus et gratiam expetere, et iram timere possemus. Et mox: *Igitur, si hoc crimen est, paucos innocentes habes, immo Hercule neminem. Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt: sed totidem, quot volebant, esse non poterant. Ita, si a consciis amicos non dividis, nec ab amicis quidem separabis illos, qui idem esse voluerunt.* Quæ delector, ita me Deus amet, exscribere candidissime et disertissime dicta. At postrema verba etiam correctiuncula juvo et interpunctis. *Omnes enim Philotæ amici esse voluerunt. Sed totidem, quot volebant, esse non poterant. Ita, sed si a consciis*, etc. Prorsus ita legendum, ex Amyntæ quidem mente; quod facile videbis, qui ipse eam habes. Lips.

Sordibus conflictabantur. Respicit ad sordes reorum. Sensus igitur est: aut metuebant perpetuo accusationes, aut ab accusatoribus vexabantur. Ern.

Novissimi consilii. Nempe de Tiberio tollendo, quod Tiberio patefactum per Antoniam, Germanici matrem. Joseph. Ant. Jud. 18, 6. v. Ryckius ad h. l. Conjurationis hujus mentio infra c. 14, et alibi. Ern.

Claudiæ et Juliæ. Claudiæ per filiam, Juliæ per se: quia Liviam duxerat Germanici sororem. Lips. Sed utrumque destinatum tantum fuit. Sejanus Liviam ducere voluerat 4, 39. et ducturus credebatur: Sejani filia destinata Claudii filio, auctore Dione 58, 11. Mox *Tiberii gener* dicitur, ob opinionem destinatæ ipsi Liviæ. Ceterum in MS. et editione Beroaldi est *et Claudiæ et Juliæ*, sine *sed*: quod defendit Jac. Gronovius. Et extant sane alia hujus generis loca. Ern. Crollius legit *at*.

officia in republ. capessentem, colebamus. Non est nostrum, æstimare, quem supra ceteros et quibus de caussis extollas. Tibi summum rerum judicium dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est. Spectamus porro, quæ coram habentur, cui ex te opes, honores, quis plurima juvandi nocendive potentia: quæ Sejano fuisse, nemo negaverit. Abditos principis sensus, et si quid occultius parat, exquirere, illicitum, anceps: nec ideo adsequare. Ne, P. C., ultimum Sejani diem, sed sedecim annos cogitaveritis. Etiam Satrium atque Pomponium venerabamur: libertis quoque ac janitoribus ejus notescere, pro magnifico accipiebatur. Quid ergo? indistincta hæc defensio et promiscua dabitur? immo justis terminis dividatur; insidiæ in rempubl. consilia cædis adversum imperatorem puniantur: de amicitia et officiis idem finis et te, Cæsar, et nos absolverit.»

IX. Constantia orationis, et, quia repertus erat, qui efferret, quæ omnes animo agitabant, eo usque potuere, ut adcusatores ejus, additis, quæ ante deliquerant, exsilio aut morte multarentur. Secutæ dehinc Tiberii literæ in Sex. Vestilium, prætorium, quem, Druso fratri percarum, in cohortem suam transtulerat. Caussa

10. *Nec ideo adsequare. Nec adeo.* Alii alia. *Adeo* passim in *ideo* apud scriptores degeneravit. Infra c. 15., *Ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit.*

Nec ideo adsequare. Breviter Tacitus, hoc sensu: *et illicitum est et vanum: nam, utcumque scruteris, haud adsequere.* Gron.

Satrium atque Pomponium. Satrius est ille, qui Cremutium accusavit 4, 34. *Pomponium* puto, *Quintum* prænomine, qui *moribus inquies,* ait noster infra c. 18. hæc et talia *factitari a se prætendebat, ut periculis Pomponii Secundi fratris mederetur:* de quo 5, 8. Lips. Hunc Satrium Ryckius putat conscium conjurationis fuisse, et Antoniæ dixisse, unde *conjurationis index* dicatur infra c. 47. Eodem ex numero Pomponium putabimus. Ern.

In cohortem suam. Cohortem amicorum: ita enim vocabant exemplo prætoriæ cohortis. Seneca de Clem.

offensionis Vestilio fuit, seu composuerat quædam in C. Cæsarem, ut impudicum, sive ficto habita fides. Atque ob id convictu principis prohibitus, cum senili manu ferrum tentavisset, obligavit venas : precatusque per codicillos, immiti rescripto, venas resolvit. Acervatim ex eo Annius Pollio, Appius Silanus, Scauro Mamerco

11. *Precatusque per codicillos.* Malim *deprecatusque.*

1, 10. *Sallustium et Cocceios et Deillios et totam cohortem primam interioris admissionis ex adversariorum castris conscripsit.* Ubi vides, plures fuisse amicorum cohortes (cf. Suet. Tib. 46. Cal. 19.) et quasi gradus. Quod originem habuit a Graccho et Livio tribunis. Idem scriptor, de Benef. 6, 34. *Apud nos primi omniam C. Gracchus et Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios cum universis. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt et secundos, nunquam veros.* (legerim *numquid*, interrogatione sententia erecta. * Sic Lipsius in margine.) Itaque dicebantur amici primæ, secundæ, tertiæ admissionis ; ex ordine, quo admittebantur. Ille ipse ib. 33. *Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur.* Lampridius in Alex. 20. *Moderationis tantæ fuit, ut amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferioris, ægrotantes viseret.* Et Tiberius ipse amicos solitus describere in tres classes. Vide Suet. c. 46. Ab hoc more admissiones manarunt, admissionales (quos Arrianus describit Diss. 4, 7. οἱ ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος καὶ οἱ ἀποκλείοντες τοὺς εἰσιόντας.) et officium admittendi. Admissionum ejus facilitatem in Trajani laudatione Plinius admiratur c. 47. Alexandrum *quasi unum e senatoribus, patente velo, admissionalibus remotis, salutatum esse* Lampridius scribit c. 4. et Accoleius *magister admissionum* nominatur in Flavii Aureliano c. 12. Id munus fuit libertorum, ut clarum ex Suetonii Vespas. 14. *Quidam ex officio admissionis, simul expellens, abire Morboniam jusserat.* Fuit autem is libertus Phœbus. Plinius hoc idem ostendit loco non sano, 33, 12. *Fuit et alia Claudii principatu differentia, in solis his, quibus admissionem liberti ejus dedissent, imaginem principis in anulo ex auro gerendi, magna criminum occasione : quæ omnia salutaris exortus Vespasiani imp. abolevit, æqualiter publicando principem*, quem corrigo, *quibus admissionum liberti jus dedissent.* Quod ait, criminum occasionem fuisse, refer ad ea, quæ de imagine principis dicta mihi ad 3, 36. Et quæ Seneca de Benef. 3, 26. Lips. adde Excurs. 15. ad Suet. Ern.

Seu composuerat. Forsan ab auctore scriptum erat, *quod composuerat.* Ad H. 1, 18. *seu* est pro *seu quod.* Hoc loco autem durior est illa dicendi ratio. Wopk.

Annius Pollio. Est ille, qui postea in Neronem conjuravit, amicorum ejus præcipuus. 15, 56. Lips.

simul ac Sabino Calvisio, majestatis postulantur, et Vinicianus Pollioni patri adjiciebatur, clari genus, et quidam summis honoribus. Contremuerantque patres: nam quotus quisque adfinitatis aut amicitiæ tot illustrium virorum expers erat? ni Celsus, urbanæ cohortis tribunus, tum inter indices, Appium et Calvisium discrimini exemisset. Cæsar Pollionis ac Viniciani Scauriique caussam, ut ipse cum senatu nosceret, distulit, datis quibusdam in Scaurum tristibus notis.

X. Ne feminæ quidem exsortes periculi. Qua occupandæ reipubl. argui non poterant, « ob lacrimas » incusabantur: necataque est anus Vitia, Fufii Gemini mater, quod filii necem flevisset. Hæc apud senatum: nec secus apud principem Vescularius Atticus ac Julius Marinus ad mortem aguntur, e vetustissimis familiarium Rhodum secuti, et apud Capreas individui. Vescularius insidiarum in Libonem internuntius: Marino participe, Sejanus

Vicinianus. Lego, *Vinicianus*. auctore Dione 60, 15. qui hunc Annium Vinicianum conjurasse in Claudium cum Scriboniano adserit. Lips. Sic et MS. Est ergo in Beroaldi ed. error vel scriptoris, vel operarum, quem Alciatus et ceteri secuti sunt. Ern.

Nosceret. Pro cognosceret. V. ad c. 12. cf. supra ad 3, 35. Ern.

Qua occupandæ reip. Muretus corrigit *quia*. Pichena probat. Recte. Huetius corr. *quæ*. Ern. *Qua* pro *quatenus*, Heinsius. Pichena quoque τὸ *qua* non improbat.

Ob lacrimas incusabantur. Heu, misera conditio sub tyrannis: ubi nec liber, liberrimus affectuum dolor. Claudianus hoc pulchre exprimit in Ruf. 1, 259.... *tacitique sepultos Suspirant gemitus, indignarique verentur*. Lips.

Fufii Gemini. Qui ante consul 5, 1, 2. Lips.

Vescularius Atticus. Sic. MS. et edd. vett. *Flaccus*, quod est in ed. J. F. Gronovii, est ex correctione Pichenæ, quia 2, 28. bis Flaccus dicitur. Potuit duplex cognomen habere, ut videtur Ryckio. Nec id rarum illis temporibus. Ern. Groslotius in Syll. Burm. t. 1, p. 349. putat, id cognomen *Attici* ex sequentis *Curtii* cognomine huc tractum, et aut delendum aut in *Flaccus* esse mutandum.

Rhodum secuti. Forte: *e vetustissimis familiarium Rhodum secutis*. Gron.

Curtium Atticum oppresserat. Quo lætius acceptum, sua exempla in consultores recidisse. Per idem tempus L. Piso pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit; nullius servilis sententiæ sponte auctor, et, quotiens

Curtium Atticum. Equitem r. ex illustribus, qui Tiberio comes Capreas, supra 4, 58. Lips.

Sua exempla. Phædrus 1, 26. *Sua quisque exempla debet æquo animo pati.* Ern. — Sic et Livius 7, 38. 29, 27. Ovid. Am. 1, 4, 46. Seneca Herc. fur. 735. Cf. Gron. ad 13, 16. Wopk.

Per idem tempus. Quid ergo Josepho, 18, 6, 10. Zonaræque in mentem venit, vivum eum facere Tiberio jam defuncto? Nec enim alium habeo, de quo possint illa intellegi: *a Caio binas epistolas missas, unam ad senatum de Tiberii morte et suo imperio; alteram ad Pisonem præf. urbis, qua jubebat Agrippam e castris transferri in priscas suas ædes.* An imposuit Syro celebritas nominis Pisonis, et per Syrum (nam ab illo hausit) Græco? An alius aliquis Piso tunc præfectus? quod non reperi. Huic quidem Pisoni Ælius Lamia suffectus est, de quo Dio 58, 19. Τόν τε Πείσωνα τὸν πολίαρχον τελευτήσαντα δημοσίᾳ ταφῇ ἐτίμησεν.... Καὶ Λούκιον ἀντ' αὐτοῦ ταμίαν ἀνθεῖλετο, ὃν πρόπαλαι τῇ στρατιᾷ προστάξας κατεῖχεν ἐν τῇ Ῥώμῃ. Scribe Λαμίαν. Ridiculus interpres, qui vertit *Lucium ei quæstorem suffecit*, inductus puerili errato. Sed ille ipse paullo post obiit, ut habes mox in nostro: et successit Lentulus Cossus. Disco ex Seneca epist. 84. (83.) *L. Piso urbis custos, ebrius ex quo semel factus fuit, majorem partem noctis in convivio exigebat, usque in horam sextam fere dormiebat: hoc erat ejus matutinum. Officium tamen suum, quo tutela urbis continebatur, diligentissime administravit. Huic et D. Augustus dedit secreta mandata, cum illum præponeret Thraciæ, quam perdomuit: et Tiberius proficiscens in Campaniam, cum multa in urbe et suspecta relinqueret et invisa. Puto, quia illi bene cesserat Pisonis ebrietas, postea Cossum fecit urbis præfectum, virum gravem, moderatum, sed merum vino et madentem.* Lego ex libro MS. *ebrius ex quo semel factus est, fuit.* Id est, post unam illam ebrietatem (quæ tam bene cesserat, et cujus pretium præfecturam ipsam habebat, ut Plinius scribit 14, 28. et Suet. Tib. 42.) semper placuit ei esse ebrium. Jacet alioqui sententia, nec a me erigi potest. Lips. De dissensu Taciti et Josephi, et iis, quæ hic de Josepho Lipsius dicit, alio loco dicetur commodius. Neque enim Tacito illustrando profuerit ista disputatio. Ern. Zonaras perperam hic allegatus videtur.

L. Piso Pontifex. Nescio, an ex notis error, scribendumque, *Piso P. U.* id esset, præfectus urbi. Lips. Sic etiam Muretus et alii. Recte. Nam, etiam si pontifex fuisset, tamen potius præfectura urbis commemoranda erat. Vulgatam tamen lectionem defendit ill. Rezzonico Disquis. Plin. t. 1, p. 288. not. 3, ex inscriptione ap. Murator. Thes. Inscr. p. 584. ubi *L. Calpurnius Piso, Pontif. Cos.* commemoratur, quem putat esse hunc ipsum, dissentientibus Maffeo et Muratorio. Ern.

necessitas ingrueret, sapienter moderans. Patrem ei censorium fuisse memoravi: ætas ad octogesimum annum processit: decus triumphale in Thracia meruerat: sed præcipua ex eo gloria, quod præfectus urbis recens continuam potestatem, et insolentia parendi graviorem, mire temperavit.

XI. Namque antea, profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet ac subitis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, et ab Tarquinio Su-

Censorium fuisse memoravi. Non quidem in his libris, qui extant. Tamen intelligi vult L. Pisonem socerum C. Cæsaris, qui censor cum Appio Claudio a. U. 704. quo ipso anno, ut ratio ætatis Tacito constet (ait enim vixisse octoginta annos) natus fuisse debuit hic Piso. Lips.

In Thracia meruerat. Velleius 2, 98. *Atrox in Thracia bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum atque lenissimum securitatis urbanæ custodem habemus, virtus compressit.* Vide et Dionem 54, 34. Lips.

Præfectus urbi recens. Ideo *recentem* dici putant, quia ab Augusto præfectura urbis instituta, quam Piso gessit, diversa a vetere, de qua mox: ut adeo *præfectus urbis recens* sit, e recenti genere. Sed hunc loquendi modum durissimum esse, omnes vident, neque credo quemquam sic locutum. *Præfectus recens* est recens creatus, nuper factus: quod alienum est. Suspicabar Tacitum scripsisse: *creatus*: sed id languidum esse sentio. Nec tamen melius quid reperi. Ern. — *Recens* ad *continuam* referendum (quod et Bipontinis visum et mihi) *nam antea in tempus deligebatur.* Tentabam alioquin *gerens cont. potestatem.* Mallem de reliquo *præfectus urbis.* Wopkens. — Hillero contra Rac. 32. *recens præfectus* est non multo ante constitutus, ut Suet. Tib. 1. *Romam recens conditam* dicit.

Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium. Quia ap. Liv. 10, 1. *M. Livius Denter* occurrit, conjiciunt nonnulli, hic *Livium* pro *Romulium* legendum: quasi necessario ille Livianus Denter e posteris illius primi præfecti: et non genti quoque Romuliæ sive Romuleiæ usitatum cognomen esse potuerit. Ern. In nonnullis istis sunt Muretus, Ursinus.

Numam Marcium. Est pater Anci Marcii, regis Numæ Pompilii gener, quocum prænomen Sabinum Numa commune habuit. Ejus mentio ap. Liv. 1, 20. ubi pontifex a Pompilio creatus dicitur: ad q. l. v. Sigonius. Vid. de hoc Numa Marcio Spanhem. de Us. et Pr. N. Diss. 10. t. 2, p. 19, 20. ubi recte repudiat Merceri conjecturam *Numæ nepotem Marcium,*

perbo Spurium Lucretium impositos. Dein consules mandabant: duratque simulacrum, quotiens ob ferias latinas præficitur, qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Mæcenatem, equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Mox, rerum potitus, ob magnitudinem populi, ac tarda legum auxilia, sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia et quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat: primusque Messalla Corvinus eam po-

quod et placuerat Reinesio Inscr. Class. V. n. 2. Ern. Intellige: quam et improbarat Reinesius.

Sp. Lucretium. Livius 1, 59. Ern.

Ferias Lat. V. de his 4, 36.

Cilnium Mæcenatem. Non ut receptum est, *Cillinium.* Cilnius enim gentile nomen patris hujus et altoris Musarum. Cui domus prisca Arretium, ut olim ex Livio 10, 3. docui (v. Lect. Antiq. 1, 22.), et adde Silii versus hujusce rei 7, 29. *Cilnius Arreti Tyrrhenis ortus in oris Clarum nomen erat.* Etsi ibi quoque vulgo, *Cilinus.* Nam Silius, ut solet, historiam exornat flore hominum sui superiorisque ævi. Præfecit autem Romæ Italiæque Mæcenatem Augustus per bellum Siculum. Consule Dionem 49, 16. in actis anni 718. Lips. Adde de gente Cilnia Demsterum in Etruria regali 2, 54. quem cum aliis laudat Drakenb. ad Livium l. c. ubi etiam de varietate MSS. in hoc nomine. Ern.

Coerceret servitia. Circumscribit potestatem præfecturæ, quæ tamen aucta. Suadeo, legas Dionem in Orat. Mæcenatis 52, 21. Lips.

Primusque Messalla Corvinus. Tradit idem Eusebius Chronico: *Messalla Corvinus*, inquit, *primus præfectus urbis factus, sexto die magistratu se abdicavit, incivilem potestatem esse contestans.* At Dio 54, 6. in actis a. 733. ita narrat, ut M. Agrippam primum faciat præfectum urbi, cui mox a. 738. c. 19. Taurum sufficit, hujus Corvini nulla mentione. Lips. Omnino excogitavit novum, quod frustra negat Vertranius: et quidem, (licet alia obtenderet) ut frangeret jus prætorum, magistratus, quem a populo creari sinebat: tam felici successu, ut Boethius lib. 3. de Cons. Phil. scribat: *Prætura magna olim potestas, nunc inane nomen est, et senatoris census gravis sarcina.* Recte Suet. Aug. 37. etsi Torrentius quoque non tam instituisse, quam auxisse et ornasse notet. Nomine usus est vetere: sed res et potestas toto genere distabat. Itaque eopse tempore, quo hic urbano milite succinctus præfectus urbi vigebat volitabatque maxime: tamen quotannis Latinarum caussa quidam a rege urbi præficiebatur. Cæterum de his Taciti deque Eusebii vel Hieronymi verbis, eodem pertinentibus, quæ disputamus adversus Scaligerum (ad Eus. p. 167.) vide Observat. in Ecclesiast. Script. cap. 19. Gron. Heinsius in Ep. ad Perizon. t. 4. Coll.

testatem, et paucos intra dies finem, accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quamquam provecta ætate, egregie toleravit. Dein Piso, viginti per annos pariter probatus, publico funere, ex decreto senatus, celebratus est.

XII. Relatum inde ad patres a Quintiliano, tribuno plebei, « de libro Sibyllæ, quem » Caninius Gallus quindecimvirum « recipi inter ceteros ejusdem vatis, et ea de

Burm. p. 805. in Hieronymo legendum putat: *inhabilem se esse potestati contestans*. Probat Perizonius in responsione p. 809. nisi quod *τὸ se* non desiderat. Ern.

Finem. Heins. emendare studebat; *sed finiens*, vel *finitam*. Non opus.

Taurus Statilius. De hoc v. Ryckius ad 2, 1.

Viginti per annos probatus. Ligat me nodus. Quid? viginti per annos præfectus Piso? Fuerit ergo necesse est ab a. U. 765. Nam ab eo die in hoc tempus viginti ipsi anni. Atqui Augustus tunc vixit, imperavitque. Quomodo ergo verum, quod Plinius Suetoniusque consensu tradiderunt, a principe Tiberio Pisonem factum præf. urbis, propter bidui assiduam compotationem? Illius verba sunt l. 14. *Eaque commendatione* (ebrietatis scilicet) *credidere L. Pisonem urbis Romæ curæ ab eo delectum, quod biduo duabusque noctibus perpotationem continuasset apud ipsum jam principem.* Nota ea, *apud ipsum jam principem.* Suet. 42. *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione cum Pomponio Flacco et L. Pisone, noctem* (dissentit Plinius, qui ait duas noctes) *continuumque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam, alteri præfecturam urbis confestim detulit.* Ait diserte *postea princeps.* Atqui vel ab initio principatus Tiberii ad hunc diem Pisonianæ mortis anni duntaxat 17. Sed hoc amplius ex Suetonio colliges, factum Pisonem præfectum, sub idem tempus, quo Pomponius Syriæ prætor. Ille autem Syriæ non ante annum 773. præponi potuit (Mœsiam enim provinciam administrabat a. 772. uti ex Taciti 2, 66. clarum): non ergo tot annos Piso præfectus urbi. His rationibus cogor, ut in Tacito restituam, *Piso decem per annos;* quia Pomponium Syriæ præfuisse ante a. 75. non probabile. Sit ergo hic error ex notis geminatis. Lips. Sic censet etiam Norisius ad Cen. Pis. Diss. 2, 16, 12. Sed Pagius Crit. Bar. t. 1. p. 7. defendit vulgatum, non bene, ut docui ad Suet. Tib. 42. ubi pluribus de h. l. actum. Summa redit huc, ut suspicarer, hic scriptum fuisse XV, et inde factum XX. Nam X et V sæpe in libris scriptis permutantur. Altera ratio, quam ibi proposui, ut numerus certus pro incerto dictus sit, probatur Jac. Gronovio et Broterio. Ern.

Quindecimvirum. Sic Cod. MS. quod cum Jac. Gronovio recepimus. Beroaldus mutavit in *quindecimvir*,

re senatusconsultum, » postulaverat : quo per discessionem facto, misit literas Cæsar, modice tribunum increpans, « ignarum antiqui moris ob juventam. » Gallo exprobrabat, « quod scientiæ cærimoniarumque vetus, incerto auctore, ante sententiam collegii, non, ut adsolet, lecto per magistros æstimatoque carmine, apud infrequentem senatum egisset. » Simul commonefecit : « quia multa vana sub nomine celebri vulgabantur, sanxisse Augustum, quem intra diem ad prætorem urbanum deferrentur, neque habere privatim liceret. » Quod a majoribus quoque decretum erat, post exustum sociali bello Capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam ac Siciliam et italicas colonias, carminibus Sibyllæ, una seu plures fuere, datoque sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere. Igitur tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subjicitur.

XIII. Iisdem consulibus, gravitate annonæ juxta se-

offensus insolentia constructionis. Intellige : e numero quindecimvirum. Hist. 1, 31. *tribunorum Subrium et Cerium milites adorti*. Et sic alibi. V. Sanctii Minerv. 4, 3. p. 544. et ibi Perizon. Ern.

Lecto per magistros. Magistri sunt sacerdotum. Valerius 1, 1. 9. *A patre suo collegii Saliorum magistro jussus*. Plinius 28, 3. *quindecimvirum collegii magister*. In lapide (ap. Grut. p. 313, 3.) ordo. sacerdotvm. magistro. svo. Et Sueton. Calig. 22. Domit. 4. Capitolinus in Ant. Phil. 4. *Fuit in eo sacerdotio et vates et præsul et magister*. Lips.

Sanxisse Augustum. Pete e Suetonio 31. in Aug. Lips.

Neque h. pr. liceret. Arbitror, legendum *neve*, quod interdum in libris cum *neque* permutatur. Ern.

Sociali bello. Quid ais? Sociali sive Italico bello Capitolium flagravit? Non alios, sed te, in te advoco, qui scribis Hist. 3, 72. *Capitolium flagrasse L. Scipione, C. Norbano Coss.* a. U. 671. Atqui tunc jamdiu positum sociale bellum. Tullius tibi adsit, a memoriæ vitio non excuset. *Civili bello* scripsisse omnino te ex historia oportuit. Lips.

Quantum potuissent. Latinitas postulat *possent*. Ern. Enallage satis trita. Wopk. *Sic et Val. Max. 9, 3. ext. 3.

Notioni quindec. Verbum proprium in hac re, v. ad 3, 59. Ern.

Gravitate annonæ. Vid. ad 11, 4. Ern.

ditionem ventum : multaque, et plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quam solitum adversum imperatorem. Quis commotus, incusavit magistratus patresque, « quod non publica auctoritate populum coercuissent : » addiditque, « quibus e provinciis, et quanto majorem, quam Augustus, rei frumentariæ copiam advectaret. » Ita castigandæ plebi compositum senatusconsultum, prisca severitate : neque segnius consules edixere : silentium ipsius non civile, ut crediderat, sed in superbiam accipiebatur.

XIV. Fine anni Geminius, Celsus, Pompeius, equites romani, cecidere conjurationis crimine. Ex quis Geminius prodigentia opum ac mollitia vitæ amicus Sejano; nihil ad serium. Et Julius Celsus, tribunus, in vinclis laxatam catenam et circumdatam in diversum tendens, suam ipse cervicem perfregit. At Rubrio Fabato, tanquam, desperatis rebus romanis, Parthorum ad misericordiam fugeret, custodes additi. Sane is repertus apud

Majorem, quam Augustus. Aliquid hac de re scripsi in Electis 1, 8. de Annona. Sed modum tributi ægyptiaci, qui tunc me latuit, erui ex Sex. Victore, in Augusto : *Hujus*, inquit, *tempore ex Ægypto urbi annua ducenties millia frumenti inferebantur.* Velim interseri, *centena millia modium frumenti;* quæ vox, litera saltem notata, M. ut solet, periit. Lips. Frustra tentat Aurelium Victorem. Sic enim et Seneca de Brev. vitæ c. 18. *Cogita, non id egisse te ab ætate prima, omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa millia frumenti bene committerentur.* Nec aliter Polybius 5, 1. Καὶ σίτου προσθῆναι μυριάδα. Gron.

Neque segnius. Forte, *sequius.* Lips. Similiter locum Sallust B. Jug. 75. extr. *nihilo segnius bellum parare,* tentat Cortius, et vult legi *sequius* pro *secus*, *secius*, quocum in libris permutatur. Vide quos ibi laudat Cortius et Davis. et Oudendorp. ad Cæs. B. C. 2, 7. etc. Ut credam, multis locis *segnius* irrepsisse pro *secius*, propter scripturam veterem *sequius* : tamen h. l. non concedam. Respondet enim *neque segnius* præcedentibus *prisca severitate* : non ita commode *secius* vel *secus*. Ern. I. e. minus acriter, minus sedulo, ut 11, 15. Cf. Arntzenius ad Victorem in Cæsar. 40, 20. Wopk.

Sanus repertus. Quasi dicat, illuc tantum itare solitos ægros? Suspecta lectio. Mercero placebat, *sane is.*

fretum Siciliæ retractusque per centurionem, nullas probabiles caussas longinquæ peregrinationis adferebat. Mansit tamen incolumis, oblivione magis, quam clementia.

XV. Servio Galba, L. Sulla coss. diu quæsito, quos neptibus suis maritos destinaret Cæsar, postquam instabat virginum ætas, L. Cassium, M. Vinicium legit. Vi-

12. *Sanus repertus apud fretum Siciliæ.* Alii *sane iis.* Videtur latere nomen oppidi aut vici, ubi repertus, forte *Canusii.* Aurelius *Messanæ.* Sed ea urbs in ipsa Sicilia.

Lips. Et aliis pluribus. Recte receptum est a viris doctis in textum. Ern.

Ser. Galba, L. Sulla. Duobus simul prænominibus usum quemquam privatum Romæ temporibus istis, nedum gentem, putare est βιαιοσελινίζειν et nostros mores miscere antiquis. Galbam autem non simul Lucium et Servium vocatum, sed *mutato prænomine*, cum Servius a patre appellatus esset, adoptatum a noverca *pro Servio Lucium usque ad tempus imperii*, dein rursus omisso Lucio Servium *usurpasse* prænomen, testis Suetonius. Gron. Hæc opposita sunt F. Ursino, qui ad h. l. produxerat eburneæ tesseræ inscriptionem *L. Sulp. L. Sulla*, de qua v. etiam dicta ad Suet. Galb. 4. eamque cum Tacito sic conciliaverat, ut Sulpiciam gentem duobus simul prænominibus usam diceret: quod sane probari non potest. Ceterum, cum Galba prænomine *Lucii* usque ad imperium usus sit, clarum est, in fastis consularibus scriptum esse debuisse *L. Galba*, ut in tessera. Utrum hoc Tacitus posuerit, et librarii mutarint, an Tacitus usus sit data opera prænomine, quo tum vulgo appellaretur in libris, non pro certo dicam. Sed posterius mihi propius verum videtur. Ern. Cf. Murat. t. 1. p. 303.

L. Cassium. Ita recte, estque ille, qui consul cum M. Vinicio Quartino fuit a. U. 783. Nam Suetonius diserte notat, Drusillam collocatam L. Cassio Longino consulari. Pomponius de Origine juris manum adiit viris magnis (Onufrio in Fastis et Ant. Augustino de Fam. Rom.), qui scribenti credunt, C. Cassium Longinum illum, qui jurisconsultus, consulem fuisse cum Quartino Tiberii temporibus. Atque censent, hunc ipsum esse, qui progener Cassii nunc factus. Mihi cautio est, ne temere credam homini, etiam alias fallaci. Erras. Non est hic, Pomponi, juris antistes ille, quem censes. Primum, quia Tacitus inter elogia morum generisque, laudem ei nullam tribuit juris: deinde, quia prænominibus diversi. Lucius hic est; Caius ille tuus, constanti veterum scripto. Cassiodorus ecce L. Cassium, et M. Vinicium coss. nominat: Suetonius in Caio 57. *Lucium Cassium, Longinum:* et Tacitus in hoc loco. Diversi vita etiam, et morte. Jurisconsultus ille in honore sub Claudio fuit, Syriam administravit, pulsus a Nerone, per Vespasianum rediit, et omne illud tem-

nicio oppidanum genus : Calibus ortus, patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat : mitis ingenio et comptæ facundiæ. Cassius plebei Romæ generis, verum antiqui honoratique, et severa patris disciplina eductus, facilitate sæpius, quam industria commendabatur. Huic Drusillam, Vinicio Juliam Germanico genitas, conjungit : superque ea re senatui scripsit, levi cum honore juvenum : dein, redditis absentiæ caussis admodum vagis, flexit ad graviora et offensiones ob rempubl. cœptas, « utque Macro præfectus tribunorumque et centu-

13. *Caussis admodum vagis.* An *ambiguis?* Ita solebat Tiberius. *Vagi sermones* alibi apud nostrum, et *vagi rumores* apud Nasonem.

pus vixit : iste sub Caio proconsul Asiæ, et, monentibus sortibus caveret Cassium, a tyranno cæsus est. Suetoa. l. c. et Dio 59, 29. qui tamen male Caium vocat. Denique, quid respondes ad illud Taciti, *facilitate sæpius, quam industria, commendabatur?* Demit ecce illi industriam ingeniumque : et audeant dicere, hæc convenire in magnum illum sacerdotem. Plura de hoc C. Cassio, 16, 7. Lips. Pomponius defenditur a Mercero ad h. l. et Cujacio ad D. 1. t. 2. de Orig. juris, et aliis. Sed hoc nihil ad nos. V. Rupertus et Reinesius in Epistolis p. 140. 160. 199. et Ryckius ad h. l. Ern.

Calibus ortus. Hic est M. ille Vinicius (placet aliis Vinucius scribi, etsi Dio semper Οὐινίκιος), ad quem historiam suam Velleius misit, cuique indecore et serviliter blanditur. Produxit vitam ad Claudium, et a Messalina, quia pudorem servavit, interfectus. Habes in Dione 60, 27. Pater ejus Publius, consul a. U. 755. Avus Marcus a. 735. Lips. *Calibus*, Pichena sic restituit; prius legebatur *Callibus.*

Facilitate. I. e. comitate, a qua *faciles* dicuntur apud nostrum non uno loco. *Facilitatem* sic dixit etiam Suet. Claud. 29. ubi cod. Harlem. male *felicitate*, quod hic quoque placebat Pichenæ, recte reprehenso a Freinsh. Adde ad Agric. 3. Ern.

Admodum vagis. Nescio, an melius, *vanis*; ut caussas dicat futiles levesque. Tamen non male, *vagis* : quasi alienis et parum certis. Lips. *Vagis* verum puto, i. e. longe repetitis, et cum fluctuatione quadam, ut appareret, eum laborasse, nec a vera animi sententia protulisse. Sic 15, 54. *vagi sermones* tribuuntur ei, qui lætitiam simulare contendit. Ern.

Ob remp. cœptas. An magis, *captas*, ut cum Mureto, *susceptas?* Lips. Planum est, Tacitum posuisse verbum, quod significaret *susceptas.* An hoc ipsum posuerit, dubito. Quid enim induxisse dicamus librarios, ut mutarent. Magis inclino in *captas.* Sic *benevolentia capitur* dixit Cicero Offic. 2, 9., idque permutatur cum *cœptus.* V. Lips. Lect. Ant. 5, 4. Add. ad Hist. 2, 79. aut *excep-*

rionum pauci secum introirent, quotiens curiam ingrederetur, petivit; » factoque large, et sine præscriptione generis aut numeri, senatusconsulto, ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium nunquam adiit; deviis plerumque itineribus ambigens patriam et declinans.

XVI. Interea magna vis adcusatorum in eos irrupit, qui pecunias fœnore auctitabant, adversum legem dicta-

14. *Ambigens patriam et declinans.* Mirum, quod patriam pro Roma dixit. Scribebam *ambiens pariter ac declinans. Ambire* pro *circumire* dixit. Apud Nasonem Met. 5, 361., *Ambibat Siculæ cautus fundamina terræ.* Et sic passim scriptores.

tas: Suet. Cæs. 73. *simultates excepit:* in quo hæret Burmannus: defendimus nos, probante Oudendorpio. Ern. Bene *cœptas*, ut c. 30, *adfinitatem sibi cœptam.* 12, 10, *cœptam amicitiam.* H. 4, 61, *cœpta arma.* Wopk. *Captas* Faernus volebat.

Ambigens patriam. Beato placuit, *ambiens.* Vulgatam tueri videtur, quod supra scriptum: *Campaniam prælegebat, ambiguus an urbem intraret;* ni suspecta esset dictionis novitas. Lips. *Ambiens* etiam Ferretus. Sed *ambigens* verum puto, etsi nullum aliud ejus verbi sic usurpati exemplum prolatum scio. Olim quidem sic dictum, *ambages* argumento sunt. Ambagibus circumibat urbem et declinabat, quoties ad eam accessisset. Ern.

Adversum legem Cæsaris. Suggerit eam legem aperte, quod sciam, solus Dio 41, 38. Ἐπειδή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματα τε ἴσχειν καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ ἢ καὶ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. Et alludunt alii scriptores, ut Sueton. Tiber. 49. dum scribit quosdam damnatos, *quibus nihil aliud sit objectum, quam quod partem rei familiaris in pecunia haberent.* Partem, scilicet, majorem quam pro lege. In qua Suetonii vera sententia eruenda scholiastæ sunt frustra. Reliquum pecuniæ conferri Cæsar voluit in agros. Lips. Non credo locum Dionis huc pertinere. Nam, si quis sequentia legat, reperiet, Cæsarem præfinisse modum, non credendæ, sed domi habendæ pecuniæ, non modo in numis, sed etiam in supellectili aurea et argentea: voluisse ea lege efficere, ut hoc plures cogerentur credere pecunias, nec eas comprimerent, in arcaque haberent, neve copia pecuniæ paratæ esset materia rerum novarum, quo spectare etiam locum Suetonii Tib. 49. diximus ad illum locum. Lipsium tamen secutus est in notula ad Dionis locum J. A. Fabricius. Ceterum non dubito, legem hic innui Treboniam, qua fidem publicam constituit, et, ut ei in posterum caveretur, rem omnem fenebrem et pecuniariam. Nam Dio 58, 21. vocat hanc Cæsaris legem περὶ τῶν συμβολαίων. Id interpres latinus vertit: *de contractibus.* Male. Verte: *de pecuniis creditis;* quas ita vocari, multis locis planum est. Vid. Gesnerum et Reisium ad Luciani Asinum init. ubi aliquis dicitur peregre

toris Cæsaris, qua « de modo credendi possidendique intra Italiam » cavetur; omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur. Sane vetus urbi fœnebre malum, et seditionum discordiarumque creberrima caussa : eoque cohibebatur, antiquis quoque et minus corruptis moribus. Nam primo duodecim tabulis sanctum, « ne quis unciario fœnore amplius exerceret, » cum antea ex libidine locupletium agitaretur : dein rogatione tribunicia ad semuncias redacta, postremo vetita versura : multisque plebis scitis obviam itum fraudibus,

abiisse propter πατρικὸν συμβόλαιον : *ad exigendam syngrapham*, pecuniam, quam pater alicui credidisset, ut ille Tiresias ap. Callimachum H. in Cererem v. 78. τίλθος ἀπαιτήσων. Hic igitur locus Dionis huc pertinet. Ern. In Callimacho Erysichthon est, de quo sermo, Triopæ filius. — * Cf. Dioni Cæs. Bell. Civ. 3, 1.

Duodecim tabulis sanctum. At eam sanctionem Livius ad M. Duillium trib. pl. refert post 12. tabulas aliquot annis. 7, 16. *C. Marcio, Cn. Manlio COSS., de unciario fœnore a M. Duellio tribuno pl. rogatio est perlata : et plebs aliquando eam cupidius scivit, accepitque.* Lips. Crediderim, neglectam, ut alias sæpe, instauratam et severius sancitam nova lege. Ern.

Unciario fœnore. H. e. ne quis in centum asses plus menstrui fœnoris exigeret, quam unciam, h. e. unum assem pro centenis in annum. Ita recte explicant Muretus ad h. l. Sigonius ad Livium, Salmas. de Modo usurar. p. 291. J. Fr. Gronovius in Antexegesi priore de centesimis usuris et fœnore unciario. p. 63. sqq. Ern.

Dein rogatione tribunicia. Decem annis post illam Duellii. Livius 7, 27. *T. Manlio Torquato, C. Plautio COSS. semunciarium tantum ex unciario fœnus factum.* Lips. V. Salmas. l. c. Ern.

Postremo vetita versura. Id est : sublatum omne fœnus : quod ambigue Livius 7, 42. posuit in actis anni 412. quinto anno post semunciam constitutam : *præter hæc*, inquit, *invenio apud quosdam L. Genutium tribunum pl. tulisse ad populum, ne fœnerare liceret.* Magis cum Tacito adfirmat Appianus B. C. 1, 54. Τοῦ δ' αὐτοῦ χρόνου κατὰ τὸ ἄστυ οἱ χρῆσται πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν · οἱ μὲν πράττοντες τὰ χρία σὺν τόκοις · νόμου τινὸς παλαιοῦ (Genutii legem intelligit) προσαγορεύοντος, μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσόφλειν.... Ἔθους δὲ χρονίου τοὺς τόκους βεβαιοῦντος, οἱ μὲν κατὰ τὸ ἴθος ἔπραττον, οἱ δὲ οἷον ἐκ πολλῶν τε καὶ στάσεων ἀνεβάλλοντο τὰς ἀποδόσεις · εἰσὶ δ' οἱ καὶ τὴν ζημίαν τοὺς δανείσαντας ἐκτίσειν ἠπείλουν. Lips. Similiter *versuram* explicat Salmas. l. c. p. 292. late. Adde Gronovium in Antexegesi poster. p. 162. nempe esse mutuum, quod sub fœnore sumatur : unde frustra

quæ, totiens repressæ, miras per artes rursum oriebantur. Sed tum Gracchus prætor, cui ea quæstio evenerat, multitudine periclitantium subactus, retulit ad senatum: trepidique patres (neque enim quisquam tali culpa vacuus) veniam a principe petivere: et, concedente, annus in posterum sexque menses dati, quis, secundum jussa legis, rationes familiares quisque componerent.

XVII. Hinc inopia rei numariæ, commoto simul omnium ære alieno; et quia, tot damnatis bonisque eorum divenditis, signatum argentum fisco vel ærario adtinebatur: ad hoc senatus præscripserat, « duas quisque fœnoris partes in agris per Italiam collocaret. » Sed creditores in solidum adpellabant: nec decorum adpellatis, minuere fidem. Ita primo concursatio et preces: dein

tentarunt quidam (ut Acidalius) rescribere *usura*. Ceterum Salmasius non dubitat, talem legem latam, sed statim neglectam. Nempe nemo erat, qui crederet gratis: unde sua sponte lex irrita facta. Ern.

Et concedente. Ferri posse, ait Pichena, mallet tamen: *eo concedente*. Ern. Subaudi *illo*, ut 1, 5. 3, 33. 14, 53. Wopk.

Commoto ære..... alieno. Id est, dum creditor quisque pecuniam creditam repetit eodem tempore, ut mox tradit Tacitus. Ern.

Duas quisque fœnoris partes. Sueton. Tiber. cap. 48. Simile quod Plinius epist. 6, 19. de senatu sui ævi: *Patrimonii tertiam partem conferre jussit in ea, quæ solo continerentur*. Capitolinus de M. Antonino 11. *Jussit, ut senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent*. Lips. Vide dicta ad Suet. l. c. Ceterum video, hæsisse Muretum in verbo *fœnoris*, pro eoque conjecisse *patrimonii*, e loco Suetonii et similibus. *Fœnus* dicitur de numis, qui sub fœnore ponuntur a fœneratoribus, de quibus hic maxime sermo. Sic dici *fœnus* dudum docuit Salmasius de Usuris p. 24. in pr. Gronov. in Mantissa de Pecun. vet. c. 1. Ejus rei ignoratio etiam locis quibusdam Livii tenebras offudit. Ern.

Creditores in solidum appellabant. Int. debitores; qui proprie *appellari* dicuntur, cum pecunia credita ab ipsis reposcitur, cum de solutione monentur, ut mox. Notissimum illud: *optima nomina non appellando fiunt mala*. Etiam *solidum* propriam in hac re verbum. Cic. pro Rab. Post. 17. *solidum solvere*. Quintil. 5, 10. *solidum petere*. Ern.

Concursatio. More Ciceronis dicta de eo, qui anxie laborat de re aliqua, adeundo, allegando, petendo. Cicer. ad Div. 1, 1. *Libonis et Hypsæi non obscura concursatio et con-*

strepere prætoris tribunal : eaque, quæ remedio quæsita, venditio et emptio, in contrarium mutari; quia fœneratores omnem pecuniam mercandis agris condiderant. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obæratior, ægrius distrahebant; multique fortunis provolvebantur : eversio rei familiaris dignitatem ac famam præceps dabat : donec tulit opem Cæsar, disposito per mensas millies sestertio, factaque mutuandi copia sine usuris per triennium, si debitor populo in duplum prædiis cavisset. Sic refecta fides, et paullatim privati quoque creditores reperti : neque emptio agrorum exercita ad formam senatusconsulti; acribus, ut ferme talia, initiis, incurioso fine.

XVIII. Dein redeunt priores metus, postulato majestatis Considio Proculo : qui, nullo pavore diem natalem celebrans, raptus in curiam pariterque damnatus interfectusque. Et sorori ejus Sanciæ aqua atque igni inter-

tentio : quem locum in mente habuisse Tacitus videtur. Ern.

Pecuniam mercandis agris condiderant. Salmasius putat legendum *in mercandis agris*, et *condere* idem quod *ponere*, *collocare*, verba in hac re tritissima. Pichena putat abscondidisse divites pecuniam, ut obæratos redigerent ad necessitatem vilissimo pretio vendendi sibi agros. Gronovius Mantiss. de Pec. vet. c. 1. p. m. 417. Pichenam sequitur hactenus, ut pecuniam in arca compressam a divitibus putet, ut paratiores essent ad occasionem bene emendi. Verum vidisse arbitror. Ern.

Ægrius distrahebant. Quia emtores, necessitate vendendi cognita, simulabant, sibi non opus agris, et alia similia, ut fit, ut quam minimo pretio emerent. Ern.

Famam præceps dabat. Hic quoque (Muret. Acidal.) inculcatum eunt *in*. Vid. ad 4, 62. Ern. Et apud alios, Auson. Mosella 271. Ammianum 29, 1. Aur. Victor. 12 et 35. Wopk.

Millies sestertio. Sic legendum, ut est in MS. et editis, non *sestertium*, ut Muretus, Ursinus volunt : de quo genere ad 2, 86. mentio facta est. Gron.

Prædiis cavisset. Pichena vocem, *prædiis*, non spernit, tamen ambigit, num verius, *prædibus*, usus loco Livii 22, 60. ubi prædes et prædia junguntur. Cur autem *prædibus* potius quam *prædiis*, si unum sufficit? nam prædes tamen cavent prædiis suis, et qui prædiis cavent, prædes sunt. Ern. Adde Cic. Verr. 1, 54.

dictum, adcusante Q. Pomponio : is moribus inquies, « hæc et hujuscemodi a se factitari, » prætendebat, « ut, parta apud principem gratia, periculis Pomponii Secundi, fratris mederetur. » Etiam in Pompeiam Macrinam exsilium statuitur, cujus maritum Argolicum, socerum Laconem, e primoribus Achæorum, Cæsar adflixerat. Pater quoque illustris eques romanus, ac frater prætorius, cum damnatio instaret, se ipsi interfecere : datum erat crimini, « quod Theophanen Mitylenæum, proavum eorum, Cn. Magnus inter intimos habuisset : quodque defuncto Theophani cælestes honores græca adulatio tribuerat. »

XIX. Post quos Sex. Marius, Hispaniarum ditissimus, defertur « incestasse filiam » et saxo Tarpeio dejicitur : ac, ne dubium haberetur magnitudinem pecuniæ malo vertisse, aurarias ejus, quamquam publicarentur,

Pomponii Sec. Vide 5, 8.

Illustris eques. Vid. ad 11, 4.

Theophanen Mitylenæum proavum. Horum avus fuit M. Pompeius Theophanes, Asiæ procurator, Tiberio ex intimis amicis. Strabo 13. p. 617. Οὗτος δὲ (Θεοφάνης) καὶ πολιτικὸς ἀνὴρ ὑπῆρξε, καὶ Πομπηίῳ τῷ Μάγνῳ κατίστη φίλος, μάλιστα διὰ τὴν ἀρετὴν αὐτὴν, καὶ πάσας συγκατάρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις.... Καὶ ἑαυτὸν πάντων Ἑλλήνων ἐπιφανέστατον ἀνέδειξεν· υἱόν τε ἀπέλιπε Μάρκον Πομπήιον, ὃν τῆς Ἀσίας ἐπίτροπον κατέστησε ποτε Καῖσαρ ὁ Σεβαστός. Καὶ νῦν ἐν τοῖς πρώτοις ἐξετάζεται τῶν Τιβερίου φίλων. Lips. De Theophane vide e Cicerone congesta in Clave. Burm. ad Vellei. 2, 18. et Ryckium ad h. l. qui de suspicione Freinsh. ad 1, 72. *avum* legendum putat : nam Theophanis filium fuisse Pomponium illum ap. Strabonem, hujus hos duos. Si Strabo non fallit, verum est. Ern. *Theophanen*, sic ced.

Sex. Marius. Ex ea gente quoque in numis Calagurritanis occurrit duumvir apud Vaill. in NN. Col. sub Augusto.

Magnitudinem pecuniæ malo vertisse. De qua vidè Dionem 58, 22. et de hac historia tota. Nescio, an hic idem ille Marius, qui ante annos aliquot postulatus. 4, 36. *Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adiit Calpurnius Salvianus in Sex Marium.* Lips.

Aurariasque ejus. Pro *etiam aurarias* accipit Salinerius, et Heinsius ad Vellei. 1, 8, 2. neque tentandum fuisse a Faerno, qui *argentarias ejus* legebat, contendit. Neque tamen persuadet, neque J. Gronovio, neque mihi. Aut delendum

sibimet Tiberius seposuit: irritatusque suppliciis, cunctos, qui carcere adtinebantur, adcusati societatis cum Sejano, necari jubet. Jacuit immensa strages: omnis sexus, omnis ætas: illustres, ignobiles, dispersi, aut aggerati: neque propinquis aut amicis adsistere, illacrymare, ne visere quidem diutius, dabatur; sed circumjecti custodes, et in mærorem cujusque intenti, corpora putrefacta adsectabantur, dum in Tiberim traherentur: ubi fluitantia, aut ripis adpulsa, non cremare quisquam, non contingere. Intercíderat sortis humanæ commercium

rè que puto, aut legendum *quoque*. Vid. ad 4, 74. Id lenius puto, quam J. Gronovii conjecturam; *magnitudinem pecuniæ malo vertisse aurariasque eas, quamquam*. Ern. Id *que* abundare, vix dubium; delevi. Sic jam Muretus et Acidalius. De aurariis Hispaniæ v. Plin. 33, 21.

Irritatusque suppliciis. Supplicationibus reorum, ac periclitantium, interpretatur Pichena. Quis autem pro Cæsaris hostibus supplicare auderet? Potius *suppliciis* est sanguine, cæde. Significat crudelitatem ejus non exsatiatam multitudine punitorum, sed ultro incitatam, ut grassari cuperet in plures. Gron.

Jacuit immensa strages. Mirum tragœdias eas verborum Tacitum miscere, si interfecti non plures viginti. Ita enim Suet. 61. *Viginti uno die abjecti, tractique, inter eos pueri et feminæ*. Sed numerum eum, re ipsa admonente, corruptum dixero: substituoque, ∞. id est, mille: quod fatuus exscriptor interpretatus est viginti. Certe de majori numero fatebitur, qui Taciti verba vigilans leget. Menda numerorum in Suetonio plura, et quædam magnæ rei: ut Nerone 12. *Exhibuit ad ferrum etiam quadringentos senatores, sexcentosque equites romanos*. Quadringenti senatores, dimidia senatus pars: quos omnes depugnasse in arena, fuge credere. Corrigo *quadragenos*. De equitibus etiam malim *sexagenos*, firmante conjecturam Xiphil. 61, 9. qui auctor est pugnasse tantum equites triginta. Simile in Claud. 32. *Convivia et ampla et assidua agitavit, ac fere patentissimis locis, ut plerumque sexcenteni simul discumberent*. Scribo, *plerumque sexageni*. Sexcenti convivæ: epulum publicum, non convivium. Plura hujus generis alias. Statim etiam in Taciti verbis lego, *intercíderat sortis his commercium vi, metu*. Lips. Muretus in loco primo Suetonii *ducenti* corrigit, alii aliter, ut fit, in re incertissima. V. Casaub. et Burm. ad Suet. l. c. quasi non, ut aliis in rebus, diversos auctores potuerint sequi. Ern.

Aggerati. Sic Pichena e cod. prius erat *aggregati* in nonnullis editionibus.

Diutius. Displicet hoc Heinsio, qui legendum conjicit *tutis* pro *tuto*.

Sortis humanæ. Sors humana mors est et inopinati aut incerti casus. Ita 1,

vi metus : quantumque sævitia glisceret, miseratio arcebatur.

XX. Sub idem tempus C. Cæsar, discedenti Capreas avo comes, Claudiam, M. Silani filiam, conjugio accepit; immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exsilio fratrum rupta voce; qualem diem Tiberius induisset, pari habitu, haud mul-

15. *Exciderat sortis humanæ commercium vi metus.* *Vim* in usu esse nostro, ac pro potentia frequenter sumi minime ignoro. Hic malim *sui meta.* Vide ad Ann. 4, 14. — 16. *Qualem diem Tiberius induisset pari habitu.* Lege, *qualem de die. De die potare* apud Horatium et Plautum. *Apparare de die convivium* apud Terentium. Apud Ciceronem Philipp. 2, 34. *cum perditissimis latronibus non solum de die, sed etiam in diem vivere.* Sic *de nocte* apud optimos scriptores. Vulgatum tuetur Gronovius Obs. 1, 2. *in diem, illo die.* Cato Orat. pro L. Antonio apud Priscianum 1, 11. (Apud Putsch. p. 868.) *Beneficii postridie jussisti adesse in diem, ex die non ausi recusare.* Vel forte sic, *qualem die*, hoc est, quoque die. Livius 44, 5. *paullo plus septem millia die Romani processerunt.* Nisi et illic legas, *eo die*, v. Gronov. Et refer ad habitum oris : sive lætus, sive tristis. Vide nos supra ad 1, 10. Statio Silv. 2, 53: *vultumque tuo sumebat ab ore. Induere habitum* Ann. 4, 12. *affectum* Or. 6. Seneca Consol. ad Polybium c. 24. *Indue dissimilem animo tuo vultum. Vultum alicujus sequi* de Ira 3, 8. *Pendere ab alicujus vultu* de Benef. 6, 1. lib. 7. *Vultus tuus, cui regendum me tradidi, colligit rugas et attrahit frontem.* Vide simillimum Ann. 4, 12. Sen. Consolat. ad Polyb. c. 24. *animum ex tuo vultu sument.* Sic Seneca Benef. 2, 2., *Itaque lætus facit, et induit sibi animi sui vultum.* Juvenalis Sat. 3, 104. *qui semper ex omni Nocte dieque potest alienum sumere vultum*, ubi plura ad rem. *Dissimilem fortunæ suæ indutus habitum* de Julio Cæsare Velleius 2, 41. In Epigrammatis *Corduba solve comas et tristes indue vultus.* Ovid. Amor. 3, 14, 27., *Indue cum tunica metuentem crimina vultum.*

61. *Permoto ad miserationem exercitu ob casus bellorum et sortem hominum.* At sortis ejus *commercium* est miseratio et agnitio similis fortunæ : quæ omnibus potest evenire. Hanc sequitur auxilium vel solatium, et sepultura, communi quodam jure. Lips. Sive persuasio, sortem humanam, aliorum hominum adversa ad nos pertinere, communia esse, ut ille Terentianus nihil humani a se alienum putat, eaque de caussa misericordiam, auxilium, deberi. Ern.

Vi metus. Lipsius, *vi, metu.* Quod etiam Freinsh. placebat. Ern.

Immanem animum etc. Adde Sueton. Calig. 10. Ern.

Qualem diem. Corrupte. Videntur verba huc tralata ex pagina sequenti : *quem tum annum qualem diem haberet.* Vertranius conatur, *qualem die Tiberius.* Hoc sensu, Caligula talem habitum induebat, qualem Tiberius quoque die induisset. Conjectura, quam ego non emerim sestertio numo. Lips. Dixi Observ. 1, 2. non modo nihil hic esse mendi, sed et verba exquisita. *Qualem diem induisset :* id est, qualem animum vultumque quoque die

tum distantibus verbis. Unde mox scitum Passieni, oratoris, dictum percrebuit : « Neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse. » Non omiserim præsagium Tiberii, de Ser. Galba, tum consule : quem accitum, et diversis sermonibus pertentatum, postremo græcis verbis in hanc sententiam adlocutus, « et tu, Galba, quandoque degustabis imperium, » seram ac brevem potentiam significans, scientia Chaldæorum artis, cujus apiscendæ otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit, peritiam ejus hoc modo expertus.

17. *Otium apud Rhodum.* Lege *otio.* Dum apud Rhodum agit otiosus, vel *per otium.* Ut 12, 12. *militares artes per otium ignotæ.*

sumpsisset vel gessisset Tiberius, talem et ipse induens ac præ se ferens. Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν etc. Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι. Gron. Rectissime, etsi inest aliquid duri. *Habitum* de vultus atque oris specie dici, notum est, et supra jam vidimus. Huetius corrigebat *qualem in diem*; quod etiam Broterius recepit in textum, intellecto *habitum*. Ern. Aliquando suspicabar, *diem* ex voce præcedente natum. Verum haud dubie in verbo *induisset* e sequentibus intelligendum *habitum*, ut 4, 12. Bene hoc vidit Heinsius, qui *de die*, et Barthius, qui *in diem* rescribebat, quod veritati magis propinquum. Wopk. Acidal. volebat : *vultu, qualem T. induisset.* Bencius in Syll. Burm. t. 1. p. 76. *qualem idem:* quod nemo, credo, probaverit.

Passieni. De eo v. Torrent. ad Ner. c. 6. Lips. Excurs. A. ad l. 12. et Ryckium ad h. l. Ern. Cf. et Sen. Contr. exc. 3. præf. et passim.

Præsagium Tiberii. Pugnat Suetonius, qui non Tiberio sed Augusto præsagium hoc tribuit; nec de consule Galba, sed puero. Lege eum cap. 4. A Tacito stant Josephus 18, 6. et Dio 57, 19. Lips. Quid si dicamus, Tacitum duplex præsagium Augusti et Tiberii confudisse? nam verba *seram ac brevem potentiam significans*, non conveniunt satis verbis : *tu quandoque degustabis imperium.* Ern.

In hanc sententiam adlocutus. Tali casu verbum *est* haud raro omittitur. Wopk.

Et tu Galba. Hoc de consule Tiberius : at Suetonius de puero refert, *Augustum apprehensa ejus buccula dixisse, καὶ σὺ τέκνον τῆς ἀρχῆς ἡμῶν παραγεύσῃ.* Quæ sunt ipsa, quæ hic Tiberio adscribuntur : quod idem cum nostro et Dio facit. Ita censeat aliquis, Suetonium vel alios auctores secutum vel memoriola lapsum : etsi potuit uterque diverso tempore prædixisse, sed itane verbis iisdem? Lips. Apud Suetonium ex melioribus libb. jam legitur παραπρόξῃ. Gron. Ceterum *est* excidisse videtur. Ern.

Thrasyllum. Qui etiam de re medica libros composuisse videtur, lau-

XXI. Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. Is literarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) præibat eum, cujus artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incesserat, in subjectum mare præcipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus, iisdem rupibus inductus, postquam percunctantem commoverat, imperium ipsi, et futura sollerter patefaciens, interrogatur, « an suam quoque genitalem horam comperisset : quem tum annum, qualem diem haberet? » Ille, positus siderum ac spatia dimensus, hærere primo, dein pavescere, et, quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat, « ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. » Tum complexus eum Tiberius, « præscium periculorum et incolumem fore, » gratatur; quæque dixe-

18. *Præscium periculorum et incolumem fore.* Voluit Tacitus, *Tum complexus eum Tiberius, ut præscium periculorum, at incolumem fore gratatur.* Sic 11, 17, *Magno, ut inter barbaros, prælio victor rex*, ex castigatione Lipsii. c. 25. *sed ipse cohibuit consulem, ut nimium assentantem.*

dante Plinio plus uno loco. Pete fuse hæc a Dione 55, 11. Lips.

Super negotio consultaret. MS. codex *super ta negotio.* unde, *super tali negotio*, vel, *super eo negotio*, scil. præscientiæ conjecit Pichena. *Tali* probo. *Consultaret* int. aliquem, scientiam illam professum. Sic Plin. Pan. 76. *consultare aves.* Ern.

Domus imminet. Non dicit *imminebat*, nam extabat adhuc, et ostendebatur ac visebatur peregrinantibus, ut fit. Forte tamen dedit Tacitus *imminebat*, et syllaba excidit, ut sæpe in hoc MS. factum vidimus. Ern.

Pavescere. MS. *pavescente*, unde J. Gronovius conjicit *pavescens.* Non displicet. Ern.

Quantum introspiceret. Acidalius volebat *quanto*, sed non opus. Cf. H. 2, 99. Livius 32, 5. Val. Fl. 1, 741. Wopk.

Præscium periculorum et incolumem. Acidalius, *præscium periculorum, sed incolumem*, conjicit, ut supra 5, 3. Intellige ex *gratatur*, dicit, aperit. Ern. *Et* sæpe adversativam significationem habet, nec sollicitandum in locis seq. 1, 13. 5, 3. 11, 23. 13, 22. H. 2, 46. 3, 19. Wopk.



nicorum tenet.
, in incerto ju-
ssitate immu-
ıtissimos vete-
, diversos repe-
ın initia nostri;
ræ : ideo creber-
deteriores esse. »
rebus, » putant,
principia et nexus
ctionem vitæ » no-
, certum imminen-
a, quæ vulgus pu-
s videantur, beatos,
s per opes, miserri-
ınstanter tolerent, hi
terum plurimis morta-
) cujusque ortu ventura

Lego, *ideo creberrima, ut tristia in*

lis. Ern. Nil mutandum. Vide
icta ad 2, 49. Wopk.

Prospera utantur. Ἀρχαϊκῶς, ut alia. Catonem et Plautum etc. sic dixisse, lexica docent. Ern.

Plurimis mortalium non eximitur. Sic MS. Beroaldus. Rhenanus primus dedit *eximi*, incuria operarum, ut puto : non enim video, quid inducere ad corrigendum potuerit, cum *eximitur* desiderent antecedentia. Hinc venit in Aldi, aliasque edd. *Eximitur* restituit Pichena, et ita irritas fecit conjecturas interpretum. *Eximi* defendit J. F. Gronov. Obs. 2, 14. ut dictum pro *eximi non potest.*

destinentur : sed quædam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium : ita corrumpi fidem artis, cujus clara documenta et antiqua ætas et nostra tulerit. » Quippe a filio ejusdem Thrasylli prædictum Neronis imperium in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

XXIII. Iisdem consulibus Asinii Galli mors vulgatur, quem egestate cibi peremptum haud dubium: sponte, vel necessitate, incertum habebatur : consultusque Cæsar, « an sepeliri sineret, » non erubuit permittere, ultroque incusare « casus, qui reum abstulissent, antequam coram convinceretur. » Scilicet, medio triennio defuerat tempus subeundi judicium consulari seni, tot consularium parenti. Drusus deinde exstinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili tomento, nonum ad diem detinuisset. Tradidere quidam, præscriptum fuisse Macroni, si arma ab Sejano tentarentur,

20. *Ne nunc incepto longius abierim.* Scribe, *aberrem.*

Mox *et antiqua ætas et n.* MS. Beroaldus; *et* prius, post Beroaldum et Alciatum, neglectum, restituit idem. Ern. — * Heinsio placet *eximatur.*

Fidem artis. Cui ipse Tacitus parum fidit. V. H. 1, 22.

Et antiqua ætas. Illud *et* ex cod. restituit Pichena.

In tempore memorabitur. Non est in libris, qui supersunt, id vaticinium; ne in Suetonio quidem. Lips. Sed apud Xiphil. 61, 2. ubi narrat, astrologum quendam prædixisse, Neronem et imperaturum et matrem interfecturum. Ern.

Asinii Galli mors. Quem eodem die et convivam Tiberii fuisse, et eo subornante damnatum, narrat Dio 58, 3. in actis anni 783. Est ille, qui filius Pollionis Asinii librum edidit, quo patrem Ciceroni comparavit: cui rescripsit imp. Claudius. V. Suet. 41. et Plinius ep. 7, 4. A. Gellius 17, 1. Eusebius in Chron. ætat, *Asinium Gallum diris supplicis mactatum anno ante T. Livii mortem.* Lips. Stemma Asiniorum ad h. l. dedit Ryckius. Ern.

Medio triennio. Id est toto triennio, quod a tempore accusationis ad mortem ejus effluxerat. Ern.

Tot consularium parenti. Plures enim filios habuit, qui consules. Vide ea, quæ notavi ad 3, 75. Lips.

Tomento. Cf. Plin. 27, 61. Diocor. 3, 132.

Descriptum fuisse. Muretus, *pre-*

extractum custodia juvenem, (nam in palatio adtinebatur) ducem populo imponere : mox, quia rumor incedebat, « fore, ut nurui ac nepoti conciliaretur Cæsar, » sævitiam quam pœnitentiam maluit.

XXIV. Quin et invectus in defunctum, « probra corporis, exitiabilem in suos infensum reipubl. animum » objecit : « recitarique factorum dictorumque ejus descripta per dies » jussit : quo non aliud atrocius visum : adstitisse tot per annos, qui vultum, gemitus, occultum etiam murmur exciperent : et potuisse avum audire, legere, in publicum promere, vix fides ; nisi quod Actii centurionis et Didymi liberti epistolæ servorum nomina præferebant, ut quis egredientem cubiculo Drusum pulsaverat, exterruerat. Etiam sua verba centurio, sævitiæ plena, tanquam egregium, vocesque deficientis adjecerat, quis primo (alienationem mentis simulans) quasi per dementiam, funesta Tiberio, mox, ubi exspes vitæ fuit, meditatas, compositasque diras imprecabatur :

scriptum. Lips. Et sic Jucundus scripserat in apographo suo, unde laudat Ursinus. Arbitror, vulgato aliquid defensionis reliquum esse. *Describere* exquisite dicitur pro imperare, mandare etc. ubi aut pluribus ac per partes imperatur aliquid, aut ubi imperantur plura simul, rei perficiendæ aut avertendæ necessaria. V. dicta in Clave Cic. in h. l. Tiberius, in disponendo opprimendi Sejani negotio, Macroni mandarat de Druso : unde, ei hoc *descriptum* fuisse recte et eleganter, ut opinor, dicitur. Horat. Art. P. 86. *descriptas servare vices*, i. e. mandatas. Sed quoniam *præscriptum* est in MS. (et sic edidere Beroaldus et Alciatus) non dubitavi hoc præferre. Miror, quo modo Rhenano in mentem venerit *descriptus*, quod expressit etiam Aldus : Pichena *præscriptum* in MS. non vidit ; Jac. Gronovius non restituit. Ern.

Probra corporis. Int. impudicitiam, quam 11, 2. *mollitiam* vocat. Ern.

Recitarique factorum etc. Intelligendum, ut opinor, *plurima*, aut simile quid. Genitivum cum tali ellipsi, more græco, supra quoque vidimus. Add. Burm. ad Sueton. Ner. 37. Ern.

Alienationem m. simulans. Recte Bahrdtius hæc pro glossemate habet.

Imprecatur. Heins. *imprecabatur*. bene.

« ut, quemadmodum nurum filiumque fratris et nepotes domumque omnem cædibus complevisset, ita pœnas nomini generique majorum et posteris exsolveret. » Obturbabant quidem patres, specie detestandi: sed penetrabat pavor et admiratio, callidum olim, et tegendis sceleribus obscurum, huc confidentiæ venisse, ut, tanquam demotis parietibus, ostenderet nepotem sub verbere centurionis, inter servorum ictus, extrema vitæ alimenta frustra orantem.

XXV. Nondum is dolor exoleverat, cum de Agrippina auditum, quam, interfecto Sejano, spe sustentatam, provixisse reor, et, postquam nihil de sævitia remittebatur, voluntate exstinctam: nisi si, negatis alimentis, adsimulatus est finis, qui videretur sponte sumptus. Enimvero Tiberius fœdissimis criminationibus exarsit, « impudicitiam » arguens, « et Asinium Gallum adulterum, ejusque morte ad tædium vitæ compulsam. » Sed Agrippina, æqui impatiens, dominandi avida, virilibus curis

Nurum filiumque fratris et nepotes. Intellige *interfecerit*, quod latet in sequentibus: *domum cædibus complevisset.* Vid. ad c. 21. et alibi. Ita non opus cum Acidalio suspicari, vocem periisse. Ern. Incommode subaudieris *interfecisset.* Forsan in fine legendum *confecisset*, vel *in nurum.... domumque omnem cædibus omnia complesset.* Usus is præpositionis occurrit 12, 35. item 4, 52. Sic et Sallust. Jug. 31. Liv. 22, 24. Wopk.

Dimotis parietibus. Parietes non, ut aulæa aut plagulæ lecticæ dimoventur, sed *dejiciuntur.* Itaque legendum *demotis.* Sæpe hæc verba confusa docent viri docti. V. Burm. ad Quinctil. 7, 3. Sic infra c. 30. *in insulas demoti sunt*, non *dimoti.* Supra 4, 60. *labe factum demovisset*, ubi etiam est pro *dejecisset.* 11, 38. *effigies demovendas.* Ern.

Provixisse. Porro vivere voluisse, vitam retinuisse. Aliud exemplum nondum reperi, aut proditum vidi. 3, 66. *propolluebat* pro porro polluebat: ubi tamen corrigunt viri docti. Ern. Forsan legendum *spe sustentatam primo, vixisse.* i. e. in vita mansisse; vel *vitam produxisse.* Wopk.

Æqui impatiens. Heinsius ep. ad Græv. Coll. Burm. t. 4, p. 130. *obsequii impatiens*: nam illud probrosum esse. Frustra 2, 42., *Regibus æqua, nedum iniqua insolita.* Sic judicat etiam Grævius in resp. ad Heinsium, qui et ipse post agnovit errorem. Ern. Sic plane Statius Theb. 3,

feminarum vitia exuerat. « Eodem die defunctam, quo biennio ante Sejanus pœnas luisset, memoriæque id prodendum, » addidit Cæsar : jactavitque, « quod non laqueo strangulata, neque in gemonias projecta foret. » Actæ ob id grates, decretumque, « ut quintumdecimum kal. novembris, utriusque necis die, per omnis annos, donum Jovi sacraretur. »

XXVI. Haud multo post Cocceius Nerva, continuus principis, omnis divini humanique juris sciens, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, caussas requirere, addere preces, fateri postremo, « grave conscientiæ, grave famæ suæ, si proximus amicorum, nullis moriendi rationibus, vitam fugeret. » Aversatus sermonem Nerva, abstinentiam cibi conjunxit. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala reipubl. viseret, ira et metu, dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse.

603. Wopk. In loco cit. 2, 42 legitur *nedum infima*.

Grates. Diis actas Pichena putat, ut 14, 64. 15, 74. Tiberio, Freinshemius et Ryckius e Suet. 53.

Quintum decimum. Sic MS. non *quintodecimo*, ut est in editis recentioribus: nam Beroaldus, Rhenanus, Aldus, Gryph. illud habent. Similiter aliis locis loquitur Tacitus 12, 69, *tertium ante idus octobres* : ut jam docuit Jac. Gronovius : ubi similiter mutatum in *tertio*, restituit Pichena. Ern. Ursinus supplere tentabat A. D. Sed sat est subintelligi. Ad rem ipsam commode Ryckius notat, in Fastis Rom. ex ævo Constantii imp. publicatis a Lambecio, ad XV. Kal. Nov. legi *Jovi liberatori*. Extant in Thes. Græv. t. 8.

Nerva, continuus principis. Celeber juris auctor, de quo Pomponius: *Hic etiam Nerva Cæsari familiarissimus fuit*. Consul fuit cum Vibio Rufino a. 775. Lips. Cf. et 4, 58. — * Heinsius conj. *principi*.

Ferebant gnari. Dio Cassius 48, 21. tradit, caussas fuisse tum alias, tum hanc, quod Tiberius leges Cæsaris περὶ τῶν συμβολαίων, i. e. *de pecuniis creditis*, renovare voluisset, unde fidem labefieri et alios motus oriri viderit; eamque caussam fuisse, quare Tiberius postea rem moderaretur, et illud millies gratuitum daret. Dicendum esset potius, quod renovasset : nam Nerva ἀπεκαρτέρησε, post transactam caussam illam. Ern.

Dum intentatus. Ab accusatoribus, periculis nondum appetitus, nondum vexatus. Ern.

Ceterum Agrippinæ pernicies, quod vix credibile, Plancinam traxit. Nupta olim Cn. Pisoni, et palam læta morte Germanici, cum Piso caderet, precibus Augustæ, nec minus inimicitiis Agrippinæ defensa erat: ut odium et gratia desiere, jus valuit; petitaque criminibus haud ignotis, sua manu, sera magis quam immerita, supplicia persolvit.

XXVII. Tot luctibus funesta civitate, pars mœroris fuit, quod Julia, Drusi filia, quondam Neronis uxor, denupsit in domum Rubellii Blandi, cujus avum, Tiburtem, equitem romanum, plerique meminerant. Extremo anni mors Ælii Lamiæ funere censorio celebrata, qui, administrandæ Syriæ imagine tandem exsolutus, urbi præfuerat. Genus illi decorum; vivida senectus; et non permissa provincia dignationem addiderat. Exin, Flacco Pomponio Syriæ proprætore defuncto, recitantur Cæsaris literæ, quis incusabat, « egregium quemque, et regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus:

Precibus Aug. Cf. 3, 17.

Denupsit. Extra cognationem suam nupsit, interpretatur Muretus. Id esset potius *enupsit*, verbo Livjano. Si dixisset, infra nobilitatem gentis, ferrem facilius. Sed arbitror, simpliciter pro *nubere* capi posse. Vid. 15, 37. Sueton. Ner. 29., *Doryphoro liberto, sicut ipsi Sporus, ita ipse denupsit.* Sic et Ovid. M. 12, 196. Ubi B. a. l. usus est. Add. Heins. ad illum locum. Ern.

Cujus avum, Tiburtem. At pater ejus tamen consularis, de quo 3, 51., *Solus Lepido e consularibus Rubellius Blandus adsensit.* Consul suffectus fuit a. 771. Lips. Ryckius illum ipsum consularem hic intelligi putat. Ern.

Funere censorio. Vide supra ad 4, 15. Ern. Lamiam celebrat Horat. 1, 26. et 3, 17.

Imagine t. exs. Numquam enim provinciam adiit. De hoc usu Tiberii v. 1, 8.

Flacco Pomponio. De eodem Suetonius Tib. 42. *Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, eum Pomponio Flacco et L. Pisone, noctem continuamque biduum epulando potandoque consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam; alteri præfecturam urbis confestim detulit.* Ubi aliquot libri, *Pompeio Flacco*, male. Est enim ille ipse, qui ante 15 annos Moesiæ præfuerat. Cf. 2, 66. Lips.

seque ea necessitudine ad preces cogi, per quas consularium aliqui capessere provincias adigerentur : « oblitus Arruntium, ne in Hispaniam pergeret, decimum jam annum adtineri. Obiit eodem anno et M. Lepidus, de cujus moderatione atque sapientia in prioribus libris satis collocavi : neque nobilitas diutius demonstranda est : quippe Æmilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia, corruptis moribus, illustri tamen fortuna egere.

XXVIII. Paullo Fabio, L. Vitellio coss. post longum sæculorum ambitum, avis phœnix in Ægyptum venit, præbuitque materiem doctissimis indigenarum et Græcorum, multa super eo miraculo disserendi : de quibus congruunt, et plura ambigua, sed cognitu non absurda,

M. Lepidus. Iterum, *Manius.* Lips. Vide dicta ad 3, 35.

Collocavi. De mendo suspectum habet hoc verbum Muretus ; et in promptu foret corrigere *commemoravi.* Sed etiam *ponere*, sic fere dicitur. Cicero de Fin. 2, 26., *Posuisti etiam, dicere alios*, i. e. commemorasti : est enim de disputatione sermo. De Legibus 2, 3., *Magnus ille noster, me audiente, posuit in judicio* etc. i. e. dixit. Ern. Sic *ponere* pro dicere, affirmare Cicero de N. D. 1, 23. Pro Cœlio c. 7. in Verr. 2, 38. Wopk. Heins. volebat *concumulavi*, vel verbum tollendum suadebat. Hillerus Rac. 32. sq. *cumulavi.* Aptius certe vulgatum. Ceterum provocat Tacitus ad 1, 13. 4, 20.

Corruptis moribus. I. e. temporibus malis et morum pravitate corruptis, ut sæpe : ne quis ad familiam proprie referat : quod tamen ipsum quoque licebit, si quis malit, hoc sensu : qui ex illa familia mali cives fuere, tamen illustri fortuna usi sunt. Ern.

Paullo Fabio, L. Vitellio coss. Dio 58, 27. Solinus c. 33. Plinius 10, 2. biennio posterius venisse eum volunt, Q. Plautio, Sex. Papinio coss. Vereor, ut stare sententia Taciti possit, contra tot testes. Nota autem ex Dione 58, 24. hos ipsos consules post celebrata decennalia Tiberii pœna adfectos : quod tacuit noster. Ex quo non vane dixerim, narrationi huic annali deesse quædam. Non enim consulum supplicium certe omisisset. Lips. Negat Muretus, consules interfectos fuisse. Vitellius quidem, imperatoris pater, Caligula et Claudio imp. vixit. Sueton. Vitell. c. 2. Ern. Quæ hic loco alieno traduntur de phœnice, anno suo restituenda et ad c. 40. ablegauda censent Bip. ubi legendum : *Eo anno post longum sæc. amb.* etc.

promere libet. Sacrum Soli id animal, et ore ac distinctu pinnarum a ceteris avibus diversum, consentiunt, qui formam ejus definiere. De numero annorum varia traduntur: maxime vulgatum quingentorum spatium: sunt, qui adseverent, mille quadringentos sexaginta unum interjici; prioresque alites Sesostride primum, post Amaside dominantibus, dein Ptolemæo, qui ex Macedonibus tertius regnavit, in civitatem, cui Heliopolis nomen,

Et ore ac distinctu. Haud mutem. Nam os ei etiam eximium, *cristis faciem caputque* (ait Plinius) *plumeo apice cohonestantibus.* Ingeniose alioqui Pichena, *colore ac.* Lips. Vulgatum defendit Jac. Gronovius ex noto carmine de phœnice. Plinius sane 10, 2. etiam *faucium* (ubi quidam libri *faciem*) *et capitum* ornatum tradit. Item Grævius epist. ad Heins. t. 4. Coll. Burm. p. 512. Ern. Heins. dabat *decore.*

Formam ejus definiere. MS. codex *deffinere.* Sed literam, *d*, a recenti manu, et legendum *effinxere*, Pichena censet. Non credo. *Effingere* non est, ut opinor, describere. Ern. Bip. *depinxere.* Verum *definire* veteres quoque de iis dixisse, quæ in sensus cadunt, ex Cic. Top. 5. docet Hill. Racem. 33. Idem *effingere* pro *describere* apud Cic. ad Herenn. 4, 49. poni ostendit.

Quingentorum spatium. Cf. Seneca ep. 42. Mela 3, 8.

Sexaginta unum. Nimis minutum aut curiosum de *uno* anno. Itaque Muretus sententiam expedisse mihi videtur: *sexaginta: unum in terris.* Neque enim probabile, hoc omissum, de unitate. Lips. Idem placet Ursino, Pichenæ: nisi quod ille insuper conjicit, e CDLX. factum esse IↃↃCDLX. quod fortasse et ap. Plin. l. c. reponendum esse, ubi anni edmtur DCLX. Sed Salmasius ad Solinum p. 388. b. vulgatum defendit, intelligitque annum magnum caniculare m Ægyptiorum, qui anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo circumagitur, auctore Censorino c. 18. Apud Plinium quidem l. c. traditur, Manilium statuisse, vitam phœnicis finiri anni magni conversione. Id si probetur, sequentia de aliis debent accipi. Nam inter Amasin et Ptolemæum Evergeten tantum spatium temporis non intercedit. Sed in rebus fabulosis et nugatoriis nihil certi reperiri potest. Videnda etiam, quæ de hoc loco disputat Perizonius in Origin. Ægypt. c. 16. Ern. Nil hic mutandum. De tempore hic solum agitur, unde alienum videri posset de phœnicis unitate quid addi, judice Pichena. Fabulosus ille ales confictus videtur ad significandam periodum istam zodiacam. Cf. notata Bip. De phœnice vid. et Bochartus de Animal. 6, 5.

Sesostride primum. Sic ex emendatione doctorum virorum legitur. Nam Beroaldus edidit *Soside.* Jac. Gronovius autem mavult *Sesoside*, e vestigiis scripturæ, quæ est in MS. *aliter esse Soside. Sesosis* vocatur etiam a Diodoro. Sic 1, 53. et aliis. Ern.

advolavisse, multo ceterarum volucrum comitatu, novam faciem mirantium. Sed antiquitas quidem obscura: inter Ptolemæum ac Tiberium minus ducenti quinquaginta anni fuerunt: unde nonnulli falsum hunc phœnicem, neque Arabum e terris credidere, nihilque usurpavisse ex his, quæ vetus memoria firmavit. Confecto quippe annorum numero, ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere, ex qua fœtum oriri: et primam adulto curam sepeliendi patris: neque id temere, sed sublato murrhæ pondere,

21. *Sed antiquitas quidem obscura.* An *fidei obscura? Obscura fides*, Hist. 1, 22. — 22. *Confecto quippe annorum numero.* Lege *annorum M. numero.* Lactantius Elegia de Phœnice v. 59 (99)., *Quæ postquam vitæ jam mille peregerit annos.* Martialis 5, 7., *Qualiter Assyrios renovant incendia nidos, Una decem quoties secula vivit avis.* Senecca Ep. 42., *Phœnix semel anno quingentesimo nascitur.* — 23. *Suis in terris struere nidum. Terris* paullo ante præcesserat. Scribo, *surculis e turis* vel *tureis.* Sic et Plinius eadem de re 2., *senescentem casiæ turisque surculis construere nidum.* Solinus c. 33. Ed. Salmas. *Rogos suos struit cinnamis.* Volebam aliquando, *suis inferiis. Inferias* Casaub. ad Suet. Cal. 15. in loco Statii. *Inferias facere*, Hist. 2, 95. — vel *sui cineris.* De Phœnice vide locum insignem apud Melam 3, 8. sub fin. Et Zenonem Veronensem Homilia de Resurrect. Serm. 1, 16., p. 422., *Sepulcrum nidus est illi, favillæ nutrices, cinis propagandi corporis semen, mors natalitius dies.* Sermone 4, de Paschate, de Christo, p. 272., *Morte sua vivens, sepulcri nido vegetatus, innumerabiles temporum metas perenni cursu una eademque orbita lustrans dies magnus advenit.* p. 288., ad Neophytos Sermone 5, *sacri gurgitis unda sepultus, ut sepulcri nido vivificatus resurrectionis jura gustaret.* Vide varios auctores, qui de Phœnice scripserunt, in notis ad Clementis Epistolam Ed. Angl. minoris formæ. Vide ejus descriptionem apud Ezechielem, veterem tragicum, emendatum a Vossio ad Melam 3, 8. Eusebium de Præp. Ev. 9, 29. et Hexaemeron Eustathii p. 25. — 24. *Neque id temere, sed sublato myrrhæ pondere.* Cur non casiæ, cinnami, nardi, costi, aut amomi? *burræ* fuit scriptura antiqua, absorpta priore syllaba, ac præcedenti vocabulo *sublato.* Lege *saburræ pondere.* Sumptum a saburra navium, quæ stabiliores ut essent, inter navigandum, ad justam mensuram sabulo aut lapidum congerie saburrabantur. Transtulit et Maro ad aves idipsum in Georgicis 4, 194.... *et sæpe lapillos Ut cymbæ instabiles fluctu jactante saburram, Tollunt.* Plinius de gruibus 10, 23 (30)., *Certum est, pontum transvolaturas primum omnium angustias petere.... mox saburra stabiliri.* De iisdem Ælianus ubi agit, Hist. Anim. 3, 13. *sa-*

Amaside. Perizonius l. c. p. 312. aut *Anysi* vel *Anyside* legendum, aut certe Herodoti Anysin intelligendum putat, si hic locus ad aliquam veri speciem revocari debeat. Edn.

Confecto annorum numero. — *Heinsii conjecturam quam v. s. probat Grævius l. c. et Burm.

Suis in terris. Heinsii emendationem *surculis e thuris* Grævius in ep.

tentatoque per longum iter, ubi par oneri, par meatui sit, subire patrium corpus, inque Solis aram perferre

burram lapidem ἄμμα vocat, quam volaturæ grues inglutire dicuntur. Solinus cap. 15 (10)., *Grues volaturæ arenas devorant, sublatisque lapillis ad moderatam gravitatem saburrantur.* Quo verbo et de echinis usus Plinius 18, 35 (87)., *Echini adfigentes sese, aut arena saburrantes, tempestatis signa sunt:* hinc *saburrata mulier* Plauto Gist. 1, 2, 2. pro ebria: quod Suetonio est in Tiberio c. 62., *larga meri potione onerari.* Sic et Curtius 5, 7., *mens ebrietate gravata.* Vide et Casaub. ad Aug. Suetonii c. 77. Arnobii locum, quem Salmasius in editione sua perperam immutavit. Sed forte nihil hic mutari præstat. Vide Herodotum 2, 73, et Melam 3, 8. — 26. *Tentatoque per longum iter. Per longum itinere* scribendum. Sic *iter tentare via negata* apud Horatium Od. 3, 2, 32. *Excursus breves tentare* apud Maronem Georg. 4, 194. *Tum tentanda via est, qua me quoque possim tollere humo* apud eundem ib. 3, 9. Supra A. 1, 69., *odia in longum.* — 26. *Subire patrium corpus.* Male *subjicere* Salmasius. Vide Vossium ad Melam l. c. Usus est exsequiali verbo noster. Pedo de morte Drusi v. 207. *Cernat onus lecti studiosa subire juventus.* Ubi nos nonnihil. Persius 3, 105.... *at illum, Hesterni capite induto subiere Quirites.* Apud Maronem Æn. 6, 202 .... *pars subiere retro Triste ministerium. Subire humeris. Ipse subibo humeris.* Et *aquilam humeris in prælio subire.* Suet. Aug. c. 10. Sed et perperam idem Salmasius ad Solinum, *neque adolere* pro *atque adolere*, sacrificare. Infra 14, 30., *cruore captivo adolere aras.* Nonius 1, 288., *adolere verbum est proprie sacra reddentium, quod significat votis aut supplicationibus manen auctius facere.* Apud Maronem Æn. 1, 708., *flammis adolere penates*: Servius, id est *colere. Sed adolere proprie est augere. In sacris autem adolere per bonum omen dicitur. Nam in aris non adolentur aliqua, sed cremantur.* Æn. 5, 547., *Deo adolere honores.* Columella 12, 31., *si quod animal in mustum ceciderit et interierit, uti serpens aut mus sorexve, ne mali odoris vinum faciat..... id igne adoleatur;* ita optimus S. Germani membranæ, non *aduratur*, ut vulgati. A. Gellius 17, 10. de Virgilio: *Petivit oravitque a suis amicissimis impense, ut Æneida, quam nondum satis elimasset, adolerent* (al. *adolerent*). Cassius ad Tiberium apud Priscianum l. 9, p. 872. (hac pag. apud Putsch. legitur *adoluerunt.*) *At contra Ægyptios ubi integrum anserem adoleverunt. Adolere altaria donis* Lucretio 2, 679. Et *honores aris adolere* Nasoni Met. 8, 740. Adi Scioppium Suspect. Lect. 2, 6.

ad Heinsium t. 4. Coll. Burm. p. 505, pro certissima habet, nisi quod τὸ e abesse vult. Est sane peringeniosa. Melior tamen altera ejusdem *surculis tureis.* Ern.

Tentatoque per longum iter. Id est, cum prius tentaverit: sic sæpe historici loquuntur, Sallustius, Livius et Tacitus noster. Lips. Heinsius *itinere*; probat Grævius l. c. Recte. Ern. Bip. contra: *tentatoque* scil. *pondere p. l. iter.*

Subire patrium corpus. Salmasius ad Solin. l. c. legendum censet *subicere*: non enim *subire* corpus, quod verbum dicatur de onere imposito, quod dorso, capite, humeris feratur: sed pedibus ferre globum myrrheum cavatum, in locum cavatum subjecto patre: hoc esse *subicere corpus*, antique pro *subjicere.* Refellitur ab Is. Vossio ad Melam 3, 8. ed. Gron. qui variare veteres in modo portandi docet ex Artemidori Oneirocriticis, ubi dicit, eum, qui phœnicem a se pingi somniavit, eo pauper-

atque adolere. Hæc incerta et fabulosis aucta. Ceterum adspici aliquando in Ægypto eam volucrem non ambigitur.

XXIX. At Romæ, cæde continua, Pomponius Labeo, quem præfuisse Mœsiæ retuli, per abruptas venas sanguinem effudit; æmulataque est conjunx Paxæa: nam promptas ejusmodi mortes metus carnificis faciebat: et quia damnati, publicatis bonis, sepultura prohibebantur: eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora,

tatis venturum, ut parentis cadaver more phœnicis, suis humeris efferre cogatur 4, 49. Bene hæc. Neque dubium est, Tacitum in animo habuisse Virgilianum illud Æn. 4, 599. *quem subiisse humeris confectum ætate parentem.* Atque etiam non nimis proprietas verbi in talibus urgenda. Ern.

Atque adolere. Salmasius l. c. vult *neque adolere:* nam cineres jam in aram deferri, et ibi relinqui, non comburi corpus. Sed Tacitus certe putavit *corpus* patrium deferri, sicque accepit Herodotus 2, 73. cujus tota narratio hoc clamat. Idem dicit, phœnicem patrem suum in templo Heliopolitano θάπτειν, idque fieri in ara, noster et alii tradunt. Illud autem θάπτειν in ara quomodo fieri, quæso, potest, nisi cremando: sive ipse abjecerit in ignem, sive sacerdotibus comburendum reliquerit. Qualis autem modus narrandi: *in aram perferre, neque adolere?* Non potius omisisset Tacitus hoc addere? Idem judicandum de Ryckiano: *atque avolare.* Ern.

Cæde continua. Absolute capiendum est: cum Romæ cædes continuæ fierent: ideoque post ea verba interpunxi; nam alioqui plurium nomina sequi deberent. Et sic edd. vett. usque ad Lipsianas. Fortasse tamen alicui videatur legendum: *at Romæ cædes continua, vel continuæ.* ut sit summa capitis 29 et 30. Et alibi vel nominativi pro ablativis accepti, vel in ablativos mutati. V. ad 11, 2. init. Ern.

Retuli. Supra 4, 47.

Paxæa. Sic cod. teste Gron.

Sepultura prohibebantur. Sepultura luctuque adfinium prohiberi, nisi magnorum scelerum damnatos (puta parricidii, perduellionis; idemque suspendiosos) non moris apud priscos. Invalsit sub tyrannis, ideoque quasi novum, in Tiberii sævitia Sueton. notat. c. 61. *Interdictum, ne capite damnatos propinqui lugerent:* itemque: *Nemo punitorum non in gemonias abjectus, uncoque tractus.* Qui autem tracti, Tiberis sis sepultura. Idem in publicatione bonorum fuit: quæ apud antiquos in crimine perduellionis et hostilitatis tantum exercita, et fortasse parricidii. ita Sp. Mælii *bona contecta pretiis regni mercandi vendere atque in publicum redigere quæstores jussi*, ait Livius 4, 15. ita Ciceronis damnati, a Clodio: M. Lepidi, a senatu publica facta, quia secutus Antonii

manebant testamenta, pretium festinandi. Sed Cæsar, missis ad senatum literis, disseruit, « morem fuisse ma-

sectam. Primus publicationem ad omnia crimina (publica intellego) traxit Cæsar: qui, ut Suetonius ait c. 42. *pœnas facinorum auxit: et, cum locupletes eo facilius scelere se obligarent; quod integris patrimoniis exsulabant: parricidas*, (*ut Cicero scribit*) *bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.* Tenuit ea lex sub Augusto; qui tamen, cum multis divitibus vel dimidia pars nimiæ essent opes, et in ipso exsilio caussa luxus, sanxit, ut iis omnibus, quibus aqua et igni interdictum (id est jurisconsultorum verbo, deportatis) non plus possidere liceret quingentis millibus numum. Dio 56, 27. Intenditque iterum sævitiam eam Tiberius, lata lege, qua interdictis aqua et igni adempta omnis testamenti factio. Idem Dio 57, 22. Quam legem interpretans Caïus l. 8. Qui test. fac. possunt: *Si cui aqua et igni interdictum sit*, inquit, *ejus nec illud testamentum valet, quod ante fecerit, nec id quod postea. Bona quoque, quæ tunc habuit cum damnaretur, publicabuntur.* Lips.

Qui de se statuissent. Non mirum, quia ne damnati quidem, nec peracti rei. Dio hæc omnia exprimere voluit, in actis anni 784, 58, 15. Ἔς τε τὴν ἀγορὰν τὰ σώματα ἀπάντων ἐρρίπτετο, καὶ μετὰ τοῦτο ἐς τὸν ποταμὸν ἐνεβάλλετο. Ἤδη δὲ καὶ ὅπως οἱ παῖδες τῶν οὐσιῶν αὐτοὺς κληρονομῶσιν. ubi puero mendum clarum, scribendumque μὴ κληρονομῶσιν, inserta voce. Ideo enim abjecta corpora tractaque, ne liberi succedere in bona possent, quæ jam publica ut damnatorum palam punitorumque. Mirum, ex sequentibus Dionis verbis interpretem id non vidisse. Bona ergo manebant, si quis prævenisset damnationem, et testamenta. Sed quid in præmiis accusatorum? nihilo secius dari solere ostendit Taciti locus supra 4, 30. *Et, quia Cornutus sua manu ceciderat, actum de præmiis accusatorum abolendis, siquis majestatis postulatus ante perfectum judicium seipse vita privavisset, iturque in eam sententiam. ni durius contraque morem suum palam pro accusatoribus Cæsar, irritas leges, et remp. in præcipiti conquestus esset. Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, per præmia eliciebantur.* Dari non solere, Seneca in narranda Cremutii morte, quæ sub hoc Tiberii tempus, in Cons. ad M. 22. *Cognito consilio ejus*, inquit, *publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum eriperetur præda. Accusatores adeunt consulum tribunalia, queruntur Cordum mori, ut interpellarent quod coegerant. Adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quæstione, an morte rei prohiberentur.* Nec satis scio, quomodo in concordiam reducam eos locos. Sub Claudio et Nerone fortean aliud fuerit: et Senecam deceperit mos sui ævi. Lips. Adde Paull. Rec. Sent. 5, 12. et ibi interpretes. Ceterum latinitas postulat *statuerant* sive *statuissent*, quod video exhiberi in titulo notæ Lipsianæ, nuspiam in textu reperi. Edd. Perperam hic Dionis locum emendare velle Lipsium Reimarus docet.

Morem fuisse majoribus. V. supra 2, 70. et ibi Lipsium, et quæ diximus ad Suet. Calig. 3. Edd. Adde Sen. de Ira 3, 23.

joribus, quotiens dirimerent amicitias, interdicere domo, eumque finem gratiæ ponere : id se repetivisse in Labeone. Atque illum, quia male administratæ provinciæ aliorumque criminum urgebatur, culpam invidia velavisse : frustra conterrita uxore, quam, etsi nocentem, periculi tamen expertem fuisse. » Mamercus dein Scaurus rursum postulatur, insignis nobilitate et orandis caussis, vita probrosus. Nihil hunc amicitia Sejani, sed labefecit haud minus validum ad exitia Macronis odium, qui easdem artes occultius exercebat : detuleratque argumentum tragœdiæ, a Scauro scriptæ, additis versibus, qui in Tiberium flecterentur. Verum ab Servilio et Cornelio, accusatoribus, « adulterium Liviæ, Magorum sacra » objectabantur. Scaurus, ut dignum veteribus

Criminum urgebatur. In promptu foret corrigere *arguebatur*, quod facile potuisset converti in *urguebatur* : præsertim cum nullum aliud exemplum hujus generis profertur. Sed, quando omnes qui cod. MS. inspexerunt, repererunt *urgebatur*, credamus id esse a Tacito, et intelligamus græco more dictum, pro *urgeri criminibus*, ut Tacitus alibi loquitur. Hist. 4, 43. intellectu *nomine*, aut alius talis vocis. Supra 5, 11. *noxius conjurationis*, ubi vide dicta. Ern. Perizonius ad Sanctii Minervam 2, 3, 3. dictionem Cornelianam esse nunquam mihi persuadebit. Quin rescribamus potius *criminum vi urgebatur* vel *criminum arguebatur*. Wopk. Non video, cur non *urgere* hic sit instantius adcusare. Multa sunt apud Tacitum audacter dicta.

Invidia. Vid. dicta ad 4, 52. Ern.

Mamercus Scaurus. Male hic a Dione 58, 24. Μάρκος. De probrosa ejus vita lege Senecam de Benef. 4, 31. aut potius non lege impuritatem hominis et ἄῤῥητον μίξιν. Notat eum brevi stigmate Tertull. de Pallio c. 5. *Dabo catharcticum impuritati Scauri, et aleæ Curii, et vinolentiæ Antonii*. Lips. Quem vide et ad Senecam l. c. Ern.

Rursum. Cf. c. 9.

Sejani, sed labefecit. An transpositio facta est, legendumque *Sejani labefecit, sed* etc. Ern. Verbum *labefecit* a transpositione viri eruditissimi defendimus ad H. 1, 83. Wopk.

Argumentum tragœdiæ. Cui nomen Atreus fuit. Versus, qui in Tiberium flecti videbatur, ex Euripide, Τὰς τῶν κρατούντων ἁμαθίας χρεὼν φέρειν. Adi Dionem l. c. Lips.

Ab Servilio et Cornelio. Cornelio fuit cognomen Thusci. Seneca pater Suasoria 2. *Thuscus ille, qui Scaurum Mamercum, in quo Scaurorum familia exstincta est, majestatis reum fecerat; homo quam improbi animi, tam infelicis ingenii*. Lips.

Æmiliis, damnationem anteit; hortante Sextia uxore, quæ incitamentum mortis et particeps fuit.

XXX. Ac tamen adcusatores, si facultas incideret, pœnis adficiebantur: ut Servilius Corneliusque, perdito Scauro famosi, quia pecuniam a Vario Ligure, omittendæ delationis, ceperant, in insulas, interdicto igni atque aqua, demoti sunt. Et Abudius Rufo, functus ædilitate, dum Lentulo Gætulico, sub quo legioni præfuerat, periculum facessit, « quod is Sejani filium generum destinasset, » ultro damnatur atque urbe exigitur. Gætulicus ea tempestate superioris Germaniæ legiones curabat, mirumque amorem adsecutus erat; effusæ clementiæ, modicus severitate, et proximo quoque exerci-

27. *Hortante Sextia uxore.* An *Cosutia?* Certe tam obscurum nomen non convenit uxori Scauri. — 28. *Omittendæ delationis acceperant. Delationi.* — 29. *Abudius Rufo.* An *Aufidius?* — 30. *Modicus severitate. Severitatis* Muretus et Ursinus: ut 3, 72., *modicus pecuniæ. modicus voluptatum* 2, 73. *dignationis* 4, 52. *modicus originis* infra hoc libro c. 39. et 45, *modicus ædificationis*, ut videtur scribendum. Sic *formidolosus hostium* pro hostium metuente Ann. 1, 62. *vetus stipendii* Pichena sic corrigente 3, 66. *ferox scelerum* 4, 12. *Augustus potentiæ securus* 3, 28. *anxius potentiæ* 4, 12. *occultus odii* 7. *T. Livius eloquentiæ ac fidei præclarus* 34. *recens præturæ*, sic corrigo, 52. *erectus et fidens animi* 59. Male a Pichena tentatum. *frequens et fœcundus mons silvæ* 65. *noxius conjurationis* 5, 11. *penates vacui principis* 6, 51. *iræ properus* 11, 26. *trepidus admirationis et metus* 6, 21. *avidus Armeniæ* 31. *æquus absentium* pro absentibus 36. *insolens contumeliarum* 34. *animi indomiti*, ut lego 1, 33. *retinens conditoris* 6, 42. *providus futurorum* 46. *impiger militiæ* 3, 48. *atrox odii* 12, 22. *certa sceleris* 66.

Sextia. Lipsius in margine *Sextia.* Recte, ut opinor. Edd. Sic ergo posui.

Omittendæ delationis. Int. caussa. de quo genere loquendi jam supra dictum. *Capere pecuniam* autem est formula propria de iis, qui contra leges pecuniam accipiant, qui corrumpi se pecunia patiuntur. V. Clav. Cic. in h. v. Edd. — *Sic et Wopk.

Lentulo Gæt. Is consul a. 779. Vide 4, 46.

Effusæ clementiæ, modicus severitate. Primum, ne quis tentet *effusæ*, quia mox *modicus*, constans est observatione sæpe inculcata, de consuetudine Taciti variandæ constructionis contra consuetudinem elegantiorum scriptorum: infra c. 47. *vetustis honoribus et illustris studiis*: deinde conjectura Mureti, Pichenæ, etc. *severitatis* refellitur frequentia exemplorum contrariorum in ipso Tacito, de qua jam alibi actum. Sed, quomodo differunt *effusæ clementiæ* et *modicus severitate?* nam *clementia* est moderatio severi-

tui, per L. Apronium socerum, non ingratus. Unde fama constans, ausum mittere ad Cæsarem literas, « Adfinitatem sibi cum Sejano haud sponte, sed consilio Tiberii, cœptam : perinde se, quam Tiberium, falli potuisse : neque errorem eundem illi sine fraude, aliis exitio habendum. Sibi fidem integram, et, si nullis insidiis peteretur, mansuram : successorem non aliter, quam indicium mortis, accepturum : firmarent velut fœdus, quo princeps ceterarum rerum potiretur, ipse provinciam retineret. » Hæc, mira quamquam, fidem ex eo trahebant, quod unus omnium Sejani adfinium incolumis multaque gratia mansit : reputante Tiberio publicum sibi odium, extremam ætatem, magisque fama, quam vi, stare res suas.

XXXI. C. Cestio, M. Servilio coss. nobiles Parthi in urbem venere, ignaro rege Artabano. Is, metu Germanici fidus Romanis, æquabilis in suos, mox superbiam in nos, sævitiam in populares sumpsit; fretus bellis, quæ secunda adversum circumjectas nationes exercuerat, et senectutem Tiberii, ut inermem, despiciens, avidusque

31. *Senectutem Tiberii ut inermem despiciens. Ut inertem* malo.

tatis. *Effusam clementiam* arbitror esse in condonatione aut levitate pœnarum; severitatis moderationem in disciplinæ militaris parum accurata et acri exactione. Ern. Sic H. 1, 69. *immodicus sævitia*. Wopk. Sed et Agr. 40. *cultu modicus*.

Per L. Apron. Cf. 4, 73.

Indicium mortis. Videtur *indicium mortis* pro iodicta morte vel indictione mortis dixisse. Gron. Nihil arbitror impedire quo minus *indicium* pro signo accipiamus mortis sibi imminentis. *Judicium* quidem, quæ est Freinshemii conjectura, vix commodum sensum parit. Ern.

C. Cestio. Is ap. Dionem in Serie coss. Gallus cognominatur. Differt a C. Cestio, cujus pyramis Romæ. V. Ryckius.

Æquabilis in suos. I. e. lenis, mitis, æquus, justus. Nam *æquabilis* interdum dicitur pro *æqualis*, ut ap. Cicer. Off. 2, 11. *æquabilis prædæ partitio*. Sed *æqualitatis* verbo notio justitiæ adhæsit : nam *æqualis* v. c. *partitio* est eadem justa ; et hinc etiam civilitatis, lenitatis. Vid. Clav. Cic. Ern.

Senectutem Tiberii ut inermem.

Armeniæ, cui, defuncto rege Artaxia, Arsacen, liberorum suorum veterrimum, imposuit, addita contumelia, et missis, qui « gazam, a Vonone relictam in Syria Ciliciaque, » reposcerent, simul « veteres Persarum ac Macedonum terminos, » seque « invasurum possessa Cyro, et post Alexandro, » per vaniloquentiam ac minas jaciebat. Sed Parthis mittendi secretos nuntios validissimus auctor fuit Sinnaces, insigni familia, ac perinde opibus, et proximus huic Abdus, ademptæ virilitatis : non despectum id apud barbaros, ultroque potentiam habet. Ii, adscitis et aliis primoribus, quia neminem gentis Arsacidarum summæ rei imponere poterant; interfectis ab Artabano plerisque, aut nondum adultis, Phrahaten,

3a. *Ultroque potentiam habet.* An *adauget?* ut 4, 41., *sublatisque inanibus, veram potentiam augeri.* Sed *addit* malim. 13, 46., *id quoque vinculum potentiam adjiciebat.*

Hoc est, liberis carentem. Vide dicta ad 1, 3. Sic etiam Freinshemius; a quo sine caussa idonea dissentit Jac. Gronovius. Ern.

Artaxia. Cui Germanicus diadema imposuerat. 2, 56.

Imposuit. Temporum ratio desiderat *imposuerat*, sicut etiam ante est *exercuerat:* et sic Tacitum scripsisse puto. Frustra obloquitur Broterius; nam exempla similia non docent, tam parum latine scripsisse auctores, sed sæpe imperitos librarios male descripsisse. Ern.

A Vonone. De hoc 2, 1. 4, 58. 68.

Non despectum. Ex institute Cyri apud Xenoph. 7, 5. qui custodiam curamque sui corporis solis commisit eunuchis : et intimam aulam ex hoc semiviro genere constituit, quasi fidissimo. Itaque deinceps in honore. Sed et Persæ primi privasse viro creduntur. Stephanus de Urb. Σπάδα, οὐδετέρως, κῶμα Περσικὴ, ἐν ᾗ πρῶτοι εὐνουχισμὸς γέγονεν. Petronius c. 119. *Persarum ritu, male pubescentibus annis Surripuere viros, exsectaque viscera ferro In Venerem fregere.* Alii ad Semiramim referunt, ut Ammianus 14, 6. Utramque famam posuit Claudianus in Eutrop. 1, 339. ..... *seu prima Semiramis astu Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ Mollities, lævesque genæ se prodere possent, Hos sibi conjunxit similes: seu Persica ferro Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.* Ubi scriptum etiam, *Parthica.* Nullo vitio, quia populi ii tunc confusi. Lips. Unde factum, ut *eunuchi* pro primoribus, magnatibus dicerentur, ut docent viri docti ad Actor. 8, 27. Ern.

regis Phrahatis filium, Roma poscebant : « Nomine tantum et auctore opus, ut sponte Cæsaris, ut genus Arsacis, ripam apud Euphratis cerneretur. »

XXXII. Cupitum id Tiberio. Ornat Phrahaten, accingitque paternum ad fastigium : destinata retinens, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere. Interea, cognitis insidiis, Artabanus tardari metu, modo cupidine vindictæ inardescere : et barbaris cunctatio, servilis : statim exsequi, regium videtur. Valuit tamen utilitas, ut Abdum, specie amicitiæ vocatum ad epulas, lento veneno illigaret; Sinnacen dissimulatione ac donis, simul per negotia, moraretur. Et Phrahates apud Syriam, dum, omisso cultu romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum insumit, patriis mori-

33. *Et barbaris cunctatio servilis. Servile* opinor, sc. videtur, res servilis. Sic *triste lupus stabulis* Maroni Ecl. 3, 80. *Triste rigor nimius* Claudiano de 4 Cons. Hon. 403. *turpe senex miles* Nasoni Am. 1, 9, 4 et similia. — 34. *Instituta Parthorum resumit.* Vulgo *sumit.* MS. Florent. *insumit.* Optime. Vide, quæ ad Papinium notamus. Redde et Livio 2, 9, *quia impenso pretio venibat in publicum omne insumpto ademptum privatis.* Sic scribo. Aliter Gronovius. Idem 10, 17, *malle frustra insumptam operam, quam quicquam incidisse, cur non satis esset Etruriæ consularis exercitus.* Justinus 6, 5, *Prædarum sumptu.* Forte *præda insumpta.* Argumenta Trogi lib. 40, *cum*

Phrahaten. Cf. 2, 1, 2.

Nomine et auctore. Nomine refer ad *genus Arsacis : auctore* autem ad *sponte Cæsaris* i. e. jussu, ut supra. Ern.

Ut sponte C. In edit. c. n. v. 1608. non nemo emendandum in margine notavit *et sponte.*

Modo cupidine vindictæ inardescere. Desiderari alterum *modo*, concedo : sed inserendum esse, ut cum Mureto vult Acidalius, nego cum Jac. Gronovio. Tacitus sic et alibi : neque modo in hac particula, sed etiam in aliis. Ern. Facile elabi potuit alterum *modo*, si credatur Tacitus ita scripsisse, *tardari metu modo, modo cupidine.* Sic et supra prius emissum 4, 50. et apud Liv. 26, 15. Victor. Cæs. 42, 20. item *primo* ante *mox* 1, 67. et ante *dein* 12, 64. 13, 44. Wopk.

Lento veneno illigaret. Sic Hercules ap. Sophoclem in versione latina Cic. Tusc. 2, 8. *Ipse illigatus peste interimor textili*, de veste venenata : ubi in græco Sophoclis est χειρωδὴς. Sed Cicero ad vestem respexit, de qua ante dixerat *irretire.* Hic *illigari* videtur vim impediendi habere, ut in illo Virgilii Æn. 10, 794. *inutilis inque ligatus.* Ern.

Insumit. Sic MS. Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus etc. Lipsius

bus impar, morbo absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta. Tiridaten, sanguinis ejusdem, æmulum Artabano, reciperandæque Armeniæ Iberum Mithridaten deligit, conciliatque fratri Pharasmani, qui gentile imperium obtinebat: et cunctis, quæ apud Orientem parabantur, L. Vitellium præfecit. Eo de homine, haud sum ignarus, sinistram in urbe famam, pleraque fœda memorari: ceterum, regendis provinciis prisca virtute egit. Unde regressus, et formidine C. Cæsaris, familiaritate Claudii, turpe in servitium mutatus, exemplar apud posteros adulatorii dedecoris habetur: cesseruntque prima postremis, et bona juventæ senectus flagitiosa obliteravit.

XXXIII. At ex regulis, prior Mithridates Pharasmanen perpulit, dolo et vi conatus suos juvare: repertique corruptores ministros Arsacis multo auro ad scelus cogunt: simul Iberi magnis copiis Armeniam irrumpunt,

sorore Cleopatra certamine insumpto. Sic libri scripti constanter: male reponunt *sumpto.* Statius Theb. 12, 643, *dignas insumite mentes captibus.* 11, 627, *Talia dequestus paullatim insumpserat iras Mortis.* Sic lego, non *sumpserat.* 2, 38,.... *medium cava nubila montis Insumere latus.* 5, 110,.... *modo par insumite robur Luctibus.*

tacite edidit *sumit.* Pichena correxit *resumit*, quod inde in alias edd. fluxit. Jac. Gronovius restituit *insumit*, quod imitati sumus. Tacitum sic scripsisse non affirmem. *Sumit* verum puto. *In* natum est e finali præcedentis verbi, ut sæpe alibi. Ern. — Lege *sumit*, ut apud Senecam de Ira 3, 8. Livium 3, 68. Vide et ad 14. 44. Wopk. Recte sic omnino. Boxhornius, item Hillerus malebant *induit.* Cui bono?

Pleraque. In marg. edit. cit. non nemo *pluraque.* Non male.

Exemplar apud posteros. Corrigamus ergo Senecam, ubi vulgo Natur. Quæst. 4. præf. *Alius adulatione clam utetur; alius ex aperto palam, rusticitate simulata, quasi simplicitas illa, non ars sit. Plancus artifex ante Villeum maximus, aiebat, non esse occulte, nec ex dissimulato blandiendum.* Et legamus, *ante Vitellium.* Villeus enim ignotus: at Vitellii hujus mirum in adulando ingenium, etiam Suetonius celebrat c. 2. in Vitellio, et Dio 59, 27. Plancus autem in Seneca est is, qui apud Fulviam Antonii magnus: de cujus adulatoriis moribus Appianus B. Civ. 5, 50. Lips.

Ad scelus cogunt. Ad interficiendum veneno Arsacen, ut recte Muretus. Ern.

et urbe Artaxata potiuntur. Quæ postquam Artabano cognita, filium Oroden ultorem parat, datque Parthorum copias, mittit, qui auxilia mercede facerent. Contra Pharasmanes adjungere Albanos, accire Sarmatas; quorum sceptuchi, utrimque donis acceptis, more gentico, diversa induere. Sed Iberi, locorum potentes, Caspia via Sarmatam in Armenios raptim effundunt. At qui Parthis ad-

35. *Mittitque qui auxilia mercede facerent.* Parum latine: *mercede pacta accirent* puto. *Mercede pacta* restitui Juvenali et Phaedro. Deinde mox rursus *accire Sarmatas* non *accipere*, uti Gronovius jam monuit. Nam *donis acceptis* mox sequitur. *Pacto die* non semel apud nostrum, ut 13, 38. 15, 28. Possis et, *auxilia mercede pactoserentur.* Sic Livius quoque 24, 49. et Ciceroni Paradoxo 6., *pactiones mercedum.* Hist. 3, 48., *pactus Aniceti exitium.* Possis etiam, *qui auxilia mercede arcesserent.* Cæsar B. G. 1, 31., *accersere mercede*, et 7, 33., *atque ea pars, quæ minus sibi confideret, auxilia a Vercingetorige accerseret.* Atque ita malo, quam *auxilia accire;* quamquam æque est in usu, quod id mox denuo subsequitur. *Accita Vitellii auxilia.* Noster H. 4, 73., *auxilio acciti sociis pariter atque hostibus servitium imponunt.* Ann. 6, 44., *Nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret.*

Urbe Artaxata. Malim, *urbem.* Tamen et Artaxatam et Tigranocertam priore numero noster aliique scripserunt. Lips.

Filium Oroden. Omnis hæc historia apud Josephum 18, 2. Lips.

Datque Parthorum copias. MS. *dat Parthorumque:* quod Jac. Gronovio placet, non mihi. Sed in copulis aliquid hic turbatum amplius credo. An scripsit Tacitus: *dat Parthorumque copias, et qui auxilia mercede facerent.* Certe illud *mittit* cum per se friget, tum quia est sine copula. Ern. Acuta est Ernestia conjectura. Forsan legi posset *ad Parthorumque copias mittit, qui.....* vel *dat P. copias mittitque qui.* Wopk. Recte. Copula ob sequens pronomen potest excidisse.

Accipere Sarmatas. Profecto fuit, *acciere Sarmatas:* id est arcessere et advocare. Lips. Puto *accire.* Gron. Recte. Sæpe in libris huic verbo substituitur *accipere.* V. Drak. ad Liv. 10, 9. 23, 17. Itaque non dubitavi recipere, ut alibi viri docti fecere. Ern. Legendum esse *accire*, dubito. *Accipere* in auxilium sic etiam occurrit 2, 40. adde quæ ad 12, 6. Wopk.

Sceptuchi. Sic Hom. Il. β. 86. Strabo 11. p. 496.

Caspia via Sarmatam. Seneca Thyeste 374. *Aut qui Caspia fortibus Recludunt juga Sarmatis.* Gron. Sunt *portæ Caspiæ* Suetonii Ner. 19. V. Ryckius. Ern. *Caspia via, Caucasia* potius. Pylæ scil. Caucasiæ Sarmatis per Iberos in Armeniam transitum dabant. V. Ryck. ad h. l. et S. Croix, Mém. sur les pays situés entre la mer Noire et la mer Caspienne, p. 139. *Portas Caucasias multis Caspias dictas* jam observavit Plin. 6, 12.

At qui Parthis adventabant. Nempe Sarmatæ, qui diversa, ut dixit, more gentis induerant: et hodie faciunt Tartari, qui ea loca tenent. Lips.

ventabant, facile arcebantur : cum alios incessus hostis clausisset; unum reliquum, mare inter et extremos Albanorum montes, æstas impediret : quia flatibus Etesiarum implentur vada; hibernus Auster revolvit fluctus, pulsoque introrsus freto, brevia litorum nudantur.

XXXIV. Interim Oroden, sociorum inopem, auctus auxilio Pharasmanes vocare ad pugnam, et detrectantem incessere, adequitare castris, infensare pabula : ac sæpe, in modum obsidii, stationibus cingebat : donec Parthi, contumeliarum insolentes, circumsisterent regem, poscerent prœlium. Atque illis sola in equite vis : Pharasmanes et pedite valebat. Nam Iberi Albanique, saltuosos locos incolentes, duritiæ patientiæque magis insuevere. Feruntque « se Thessalis ortos, qua tempestate Jason,

Mare inter et. Mare, nempe Caspium : et res ita habet. Extremi fines Albanorum, versus Sarmatiam, Caspium mare tangunt. Ad illud usque, perpetuis fere montibus a Sarmatis separantur : ergo aditus in Albaniam, per litoris ejus oram et plana vicina. Sed hæc quoque, inquit, clausa tunc Sarmatis : quia ab Oriente Etesiæ flabant, et undas fluctusque in plana impellebant, atque ita restagnabant. Transitus autem Sarmatis non alius in Armeniam, quam per Albanos per illud litus. Lips. V. Ryck. ad h. l.

Æstas imp. Defendi potest; nam Etesiæ ventus æstivus. Sed forte *æstus* scripsit Tacitus. Ern. De Etesiis v. Plin. 2, 47. Colum. 11, 2.

Infensare pabula. Usitatius est *infestare* : sed *infensare* eadem analogia dicitur. Sic 13, 37. *infensare bello Armeniam.* Item ut *infestum agmen* sæpe Livius : sic noster *infensum* 15, 10 etc. Ern.

Sæpe modum obsidii. Addi præpositionem : *sæpe in modum*, voluit Muretus, Groslotius et Acidalius (item Pichena). Recte. Prima verbi sequentis absorbuit præpositionem, ut sæpe alibi. Ern. Restitui.

Sola in equite vis. Miror nemini in mentem venisse, aut *solo* aut *tota*, cum supra in *veteres* 4, 32. hæserint. *Sola* est *una*, quod etiam sic dicitur 4, 39. *Sola necessitudinis gloria usurum.* Ern. Peditem, ut in fuga, sic in acie, fluxa vestis impediebat. V. Herodian. 4, 30.

Thessalis ortos. Strabo lib. 11. p. 498. qui de Oraculo item Phrixi, et vetita arietis cæde, his verbis : Ἐν τῇ Μοσχικῇ τὸ τῆς Ἀσυλοθέας ἱερὸν, Φρίξου ἵδρυμα, καὶ μαντεῖον ἐπίνειον, ὅπου κριὸς οὐ θύεται. At aliter Justinus, qui hos ad Orientem Albanos deducit ex Italia ab Albano monte. Ejus verba 42, 3. *Cum Albanis fœdus percussit* Jason, *qui Herculem ex Italia ab Albano monte, cum, Ge-*

post avectam Medeam, genitosque ex ea liberos, inanem mox regiam Æetæ vacuosque Colchos repetivit. » Multaque de nomine ejus, et oraculum Phryxi celebrant : nec quisquam ariete sacrificaverit, credito, vexisse Phryxum : sive id animal, seu navis insigne fuit. Cæterum, directa utrimque acie, Parthus « imperium Orientis, claritudinem Arsacidarum; contraque ignobilem Iberum mercenario milite, » disserebat : Pharasmanes, « integros semet a Parthico dominatu : quanto majora peterent, plus dedecoris victores, aut, si terga darent, flagitii atque periculi laturos : » simul horridam suorum aciem, picta auro Medorum agmina; hinc viros, inde prædam ostendere.

XXXV. Enimvero apud Sarmatas non una vox ducis : se quisque stimulant, « ne pugnam per sagittas inirent; impetu et cominus præveniendum. » Variæ hinc bellan-

ryone exstincto, armenta ejus per Italiam duceret, secuti dicuntur : quique memores italicæ originis, exercitum Cn. Pompeii, bello Mithridatico fratres salutavere. Lips.

Inanem regiam vacuosque Colchos. Inanem int. liberis, qui succedere parenti possint. Sic *vacua domus* ap. Sallust. Catil. 15. facta est sublato filio : ubi plura Cortius. infra c. 51. *vacui Penates. Vacui Colchi*, qui regem non habent. Sic *vacua Armenia* 12, 50. *provincia*, quæ præsidem non habet 2, 76. *legiones* 2, 46. quæ sine duce. *Mulier vacua* 13, 44. quæ sine marito. Ern.

Multaque de nomine ejus. Id capio, loca sive templa de nomine ejus dici. Ita Strabo l. c. p. 503. *Jasonem, cum Armenio Thessalo, profectum usque ad mare Caspium :* Ὡς, inquit, μαρτυρεῖ τὰ τὴ Ἰασόνεια, καὶ ἄλλα ὑπομνήματα. Jasonea, acceperim sacella aut templa Jasonis honori. Justinus l. c. *Jasoni totus fere Oriens, ut conditori, divinos honores templaque constituit.* Quem etiam vide super hoc reditu in Colchos, Medea rursum adsumpta : ut hic noster tetigit. Lips. Cf. Strabo 1. p. 45.

Disserebat. Magis pro sententia esset, *differebat.* Lips. *Disserebat* verum est. Etiam alibi disserendi verbo tali loco utitur. Hist. 4, 69., *At Julius auspex vim romanam pacisque bona dissertabat.* Adde infra 44, 12, 2. 20, 35, 38. V. Obs. Misc. Nov. t. 2, 3. Sed Acidalii conjecturam, paullo ante *mercenarium militem* legendum, probo. Ern. — *Disserebat.* Bene. Significat dictitabat, commemorabat, ut 1, 4. Consule etiam mox ad c. 49. Wopk.

tium species; cum Parthus, sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret: Sarmatæ, omisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent; modo equestris prœlii more, frontis et tergi vices: aliquando, ut conferta acies, corporibus et pulsu armorum pellerent, pellerentur. Jamque et Albani Iberique prensare, detrudere, ancipitem pugnam hostibus facere. Quos super eques, et a propioribus vulneribus pedites adflictabant. Inter quæ Pharasmanes Orodesque, dum strenuis adsunt, aut dubitantibus subveniunt,

36. *Contis gladiisque ruerent. Irruerent*, et deinde *conserta acie*. Nam *frontis et tergi vice* jam occupavit Lipsius. — 37. *Et a propioribus vulneribus pedites adflictabant*. Puto *et e propiori* sc. loco. Vide nos supra Ann. 3, 62.

Quo brevius valent. Puta, quam Parthi. Hi enim ex propinquo invalidi, quæ res P. Ventidio de illis victoriam dedit. Frontinus Strateg. 2, 2, 5. *adeo se admovit, ut sagittas, quibus ex longinquo usus est, cominus applicitas eluderet.* Florus 4, 9. *Passus est hostem castris succedere, donec, absumpto jactus spatio, adimeret usum sagittarum.* Val. Flaccus Argon. 2, 524., *Jam brevis et telo volucri non utilis aer.* Gron. Nihil impedire arbitror, quo minus *brevius* pro *breviter* dictum accipiamus, non diu. Ern.

Equestris. Sic Rhen. emendavit; legebatur prius *equites tres.*

Frontis et tergi vices. Scribo *vice*, et sententiam expedio. A Sallustio est, qui in Histor. fragm. *More equestris prœlii, sumptis tergis atque redditis.* Et in Jug. 59. *Quibus illi freti, non uti equestri prœlio solet, sequi, dein cedere: sed adversis equis concurrere, implicare, ac perturbare aciem. Frontis et tergi vice* id est, alterna mutatione, modo frontis, modo tergi. Lips. Muretus et Acidalius malunt intelligi *erant*, vel *essent*, vel *facerent*: quod durum est, quia commune tribus membris subjectum *Sarmatæ*. Ern. Legendum videri posset *per fr. et t. vices*, ni potius cum Acidalio subaudiendum esset *ipsis essent*. Talis ellipsis exempla asperioris extant apud Tacitum. Vide ad 1, 64. 2, 15. H. 1, 88. 2, 19. et mox ad c. 43. Wopk. *Brant* subaudit quoque Broterius. Gruterus accusativum absolute poni putat, ut H. 1, 44. 2, 78. (ubi v. Ern.) 3, 61. 4, 18, 19. Bipont. intelligunt *secundum vices*, uti apud Liv. 1, 9. extr.

Conferta acies. Sic correximus, quod omnes edd. obtinent *conserta*, quod esse vitiosum dubitari non potest, et non uno loco pro *conferta* a librariis obtruditur. Liv. 3, 70. *quibus conferta peditum acies cessisset*: ubi cod. Harlei. *conserta*. 22, 28. *conferto agmine mittit equites*: multi scr. et editi *conserto*: illud recte tuetur Drakenb. quem vide, et quos ibi laudat. Adde infra 12, 35. 14, 36. Ern. Bipont. præferunt *conserta*. Mihi secus videtur.

conspicui, eoque gnari, clamore, telis, equis concurrunt: instantius Pharasmanes: nam vulnus per galeam adegit; nec iterare valuit, prælatus equo, et fortissimis satellitum protegentibus saucium. Fama tamen occisi, falso credita, exterruit Parthos, victoriamque concessere.

XXXVI. Mox Artabanus tota mole regni ultum iit. Peritia locorum ab Iberis melius pugnatum. Nec ideo abscedebat, ni, contractis legionibus, Vitellius, et subdito rumore, tanquam Mesopotamiam invasurus, metum romani belli fecisset. Tum omissa Armenia, versæque Artabani res; illiciente Vitellio, « desererent regem, sævum in pace, et adversis prœliorum exitiosum. » Igitur Sinnaces, quem antea infensum memoravi, patrem Abdagesen aliosque occultos consilii, et tunc continuis cladibus promptiores, ad defectionem trahit: adfluentibus paullatim, qui, metu magis, quam benevolentia, sub-

38. *Aliosque occultos consulit. Occultus* vel *occulto.*

Falso credita. Lego *dedita* vel *dicdita.* At Josephus revera occisum eum tradit 18, 2. Lips. *Didita fama* est 11, 1. Sed etiam Hist. 4, 34. est in libris *credita fama*, idque contra Lipsium et Rhenanum recte defendit Gronov. Obs. 3, 10. p. 520. Vulgatum igitur et hic servandum. In Gesneri tamen Thes. L. L. ex his locis omnibus laudatur *didita fama.* Ern.—* Wopk. addit 3, 44. H. 1, 34. 4, 34.

Tota mole regni. Ita Florus 3, 5, 14. Wopk.

Ultimi * *id peritia.* Nisi quid desit (nec puto hercle, quoniam tota hac narratione belli externi concisus Tacitus) commodo restituemus: *regni ultum iit. peritia l. a. I. m. pugnatum.* Amat ita loqui noster, et Sallustius Jug. 68. *Quam maxima cura ultum ire injurias festinat.* Lips. Recepit Pichena et secuti editores. Ern.

Antea. Sic cod. Provocatur autem ad c. 31, 32.

Occultos consulit. Scribo, *conligit.* Lips. Quomodo jam conligit, si demum ad defectionem trahit. Melius Faernus et Freinsh. *consilii*: idque non dubitavi recipere, quia in MS. non est *consulit*, ut id propterea ferendum sit, sed *consilit*; ut edidere etiam Beroaldus, Alciatus, Rhenanus, Aldus, Gryphius: quod dubitari non potest e *consilii* factum: nam non raro in hac litera lapsi scribæ. V. Sciopp. Art. Crit. p. 56. *Occultus consilii* dicitur, ut alibi *manifestus consilii.* Ern. Immo 4, 7. *occultus odii: ambiguus consilii.* H. 2, 83. 4, 21.

jecti, repertis auctoribus sustulerant animum. Nec jam aliud Artabano reliquum, quam, si qui externorum corpori custodes aderant, suis quisque sedibus extorres, quis neque boni intellectus, neque mali cura, sed mercede aluntur, ministri sceleribus. His adsumptis, in longinqua et contermina Scythiæ fugam maturavit, spe auxilii; (quia Hyrcanis Carmaniisque per adfinitatem innexus erat) atque interim posse Parthos, absentium æquos, præsentibus mobiles, ad pœnitentiam mutari.

XXXVII. At Vitellius, profugo Artabano, et flexis ad novum regem popularium animis, hortatus Tiridaten, « parata capessere, » robur legionum sociorumque ripam ad Euphratis ducit. Sacrificantibus, cum hic more romano suovetaurilia daret, ille equum placando amni adornasset, nuntiavere accolæ, « Euphraten nulla imbrium vi, sponte et immensum adtolli; simul albentibus

39. *Parata capessere. Capesseret.*

Parthos absentium æquos. Prorsus idem consilii datum, et successu simili, regi Chilperico, ratione item pari, in Francia. Vide Aimoinum 1, 7. Lips.

Suovetaurilia daret, ille equum. De Suovetaurilibus dico ad H. 4, 53. De equo res sic habet. Solennis Persarum victima Soli, equus. Justinus 4, 10., *Solem unum esse deum Persæ credunt, et equos eidem deo sacratos ferunt.* Xenophon. 4, 5. περὶ Κύρου ἀναβάς. Καὶ ἵππον, ὃν εἰλήφει παλαιότερον, δίδωσι (Ξενοφῶν) τῷ καμάρχῃ ἀναθρέψαντι καταθῦσαι, ὅτι ἤκουσεν αὐτὸν ἱερὸν εἶναι τοῦ Ἡλίου, δεδιὼς μὴ ἀποθάνῃ. Et 8, 3., Κύρου παιδείας. Πρῶτον μὲν ἤγοντο τῷ Διὶ ταῦροι πάγκαλοι εἰς τέσσαρας.... μετὰ δὲ τούτους ἵπποι ἤγοντο θῦμα τῷ Ἡλίῳ. Idemque Pausaniæ in Lacon. 20. notatum. At de amne nihil nobis lectum. Sed et aliis gentibus victima, equus. Apud Romanos, Marti. Festus in *Equus*. Et apud Mysios: Florus 4, 12. *Illi statim ante aciem, immolato equo, concepere votum, etc.* Apud Massagetas item Soli. Strabo 11, p. 513. Θεὸν δὲ Ἥλιον μόνον ἡγοῦνται, τούτῳ δὲ ἱππο θυτοῦσι. Pugnat cum superioribus, quod idem Strabo 15, p. 727. de Carmanis scribit: Ὅσον τε θύουσι τῷ Ἄρει, ὃν Πέρσαι σέβονται Θεῶν μόνον. Alii enim Persis Solem, quem Mithram dicunt, deum unicum tribuunt, non Martem, ut hic (per oblivionem forte) Strabo. Lips. Adde ad Hist. 4, 53. Edit. De Suovetaurilibus v. Dionys. 4, 22.

spumis, in modum diadematis, sinuare orbes; auspicium prosperi transgressus. » Quidam callidius interpretabantur, « initia conatus secunda, neque diuturna : quia eorum, quæ terra cœlove portenderentur, certior fides; fluminum instabilis natura simul ostenderet omina, raperetque. » Sed ponte navibus effecto, tramissoque exercitu, primus Ornospades multis equitum millibus in castra venit : exsul quondam, et Tiberio, cum Dalmaticum bellum conficeret, haud inglorius auxiliator, eoque civitate romana donatus : mox, repetita amicitia regis, multo apud eum honore, præfectus campis, qui Euphrate

In modum diadematis. Ad diadematis formam adspicit : quam, si vacat, a me cape. Diadema commune olim insigne regum, non aliud quam fascia tenuis cingens caput. Seneca ep. 80. *Vides illum Scythiæ Sarmatiæve regem insigni capitis decorum? si vis illum æstimare, totumque scire qualis sit, fasciam solve : multum mali sub illa latet.* Florus 3, 19., *Ipse veste purpurea argenteoque baculo, et regium in morem fronte redimita.* Atque ea fascia alba. Tacitus hic : *albentibus spumis, in modum diadematis.* Silius 16, 241. de Juba rege : ....*regnique insigne vetusti Gestat læva decus, cinguntur tempora vitta Albenti.* Plinius 11, 16., *Regibus apum in fronte macula, quodam diademate candicans.* Ab hac caussa, *quidam e turba* (apud Suet. Jul. 79) *statuæ Cæsaris coronam lauream candida fascia præligatam imposuit :* quasi diadema illi attribuens. Et apud Valerium 6, 2, 7. Pompeio, *candida fascia crus alligatum habenti, Favonius : non refert, inquit, qua in parte corporis sit diadema.* Corrige Egesippum B. Jud. 2, 1., *Quid enim sella aurea, allatumque diadema, nisi regni forent insignia?* et scribe *albatumque.* Apud Persas paullo aliter, quibus nec omnino candidum diadema, nec capiti nudo circumplexum, sed cidari sive tiaræ. Xenophon 8, 3, 7., *Habebat Cyrus diadema circum tiaram, uti et cognati ejus idem insigne ferebant.* Curtius 3, 3., *Cidarim Persæ vocabant regium capitis insigne, hoc cærulea fasciu albo distincta circuibat.* Quæ verba ἐξ ὑποπτίας pronuncio parum sana. Damnat ipse Curtius 6, 6. de Alex. *Itaque purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque persicam sumpsit.* Si purpureum, quomodo cæruleum? nec sane cæruleum colorem inter regios aut principales legi. An illic scribendum, *coccinea fascia?* an, *hoc cæruleum?* ut insigne capitis tali colore fuerit, non fascia ipsa. De medicina enim certa alius viderit, non hic mihi cognomen Sullæ. Lips.

Prosperi transgressus. Rhen. sic correxit. Ante erat *prospere :* secutus est Aldus cum ceteris. Ern.

et Tigre, inclutis amnibus, circumflui, Mesopotamiæ nomen acceperunt. Neque multo post Sinnaces auget copias : et columen patrium Abdageses gazam et paratus regios adjicit. Vitellius, ostentasse romana arma satis ratus, monet Tiridaten primoresque : hunc, « Phrahatis avi et altoris Cæsaris, quæ utrobique pulchra, meminerit : » illos, « obsequium in regem, reverentiam in nos, decus quisque suum et fidem retinerent. » Exin cum legionibus in Syriam remeavit.

XXXVIII. Quæ duabus æstatibus gesta, conjunxi, quo requiesceret animus a domesticis malis. Non enim Tiberium, quamquam trienuio post cædem Sejani, quæ ceteros mollire solent, tempus, preces, satias, mitigabant, quin incerta, vel abolita, pro gravissimis et recentibus puniret. Eo metu Fulcinius Trio, ingruentis accusatores haud perpessus, supremis tabulis multa et atrocia in Macronem, ac præcipuos libertorum Cæsaris, composuit, ipsi

Adjicit. MS. et edd. *adicit* Ryckius *adjicit* edidit : bene. Nam sic alias scribitur in his libris : quo argumento Burmannus repudiat scripturam cod. Memmiani optimi *Delmaticum* ad Sueton. Aug. 20. *Adici* etiam ed. pr. 12, 1. et tamen ibi *adjici* editur. V. de hac scriptura in libris Drak. ad Liv. 2, 10. Ern.

Retinerent. Ita e manuscripto Pichena. vulgo, *retineret.* Ern.

Fulc. Trio. De hoc v. 2, 28. 5, 11. 6, 4.

Supremis tabulis. Quæ testamentorum licentia adeo recepta, ut plerique ingeniorum petulantiam non alio velo exercerent. Ita Fabricius Veiento *multa et probrosa in patres et sacerdotes composuit, iis libris, quibus nomen Codicillorum dederat,* ait Tacitus 14, 50. Et ab hac mente in Augusto Suetonius 56. *Jocis quoque quorumdam invidiosis aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne senatus quidquam constitueret, intercessit.* Ab hac, inquam, mente; nec virum doctum, C. Sigonium, quisquam audiat corrigentem, *de inhibenda scommatorum licentia.* Enimvero exempla hujus libertatis in extrema tabula habebis in Tacito plura. Et hæc autem et quæ sequuntur, tantum non ad verbum convertit Dio 58, 25. addito, Trionem vita interfecisse seipsum, quod nescio an intellegi satis habuerit Tacitus; an exprrssum ab eo per ignaviam describentium exciderit. Lips.

« fluxam senio mentem et continuo abscessu velut exsilium » objectando. Quæ, ab heredibus occultata, recitari Tiberius jussit : patientiam libertatis alienæ ostentans, et contemptor suæ infamiæ, an scelerum Sejani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. Iisdem diebus Granius Martianus, senator, a C. Graccho majestatis postulatus, vim vitæ suæ adtulit: Tatiusque Gratianus, prætura functus, lege eadem extremum ad supplicium damnatus.

XXXIX. Nec dispares Trebellieni Rufi et Sextii Paconiani exitus. Nam Trebellienus sua manu cecidit; Paconianus in carcere, ob carmina illic in principem factitata, strangulatus est. Hæc Tiberius non mari, ut olim, divisus, neque per longinquos nuntios accipiebat, sed urbem juxta; eodem ut die, vel noctis interjectu, literis consulum rescriberet : quasi adspiciens undantem per domos sanguinem, aut manus carnificum. Fine anni Poppæus Sabinus concessit vita, modicus originis, prin-

40. *Aut manus carnificum. Manu.* Aut sanguinem manu carnificum undantem, videlicet in carcere. Nam *per domos* sua manu cadebant.

Et continuo abscessu. Faernus legebat *et continuum abscessum*, Ern. Sensus : *ob continuum abscessum.* Huet. volebat *continuos abscessus.* — * Item Heinsius.

Trebellieni Rufi. Illius, qui, prætura functus, tutor a senatu liberis Cotyis Thraciæ regis datus fuit. 2, 67. 3, 38. Lips.

S. Paconiani. De hoc c. 3, 4.

Ob carmina illic in principem factitata. Video esse, qui transponant, *ob carmina in principem factitata, illic strangulatus est.* Quasi carmina extra carcerem facta. Fallunt, fallunturque. Ante triennium enim hic Paconianus in carcere fuit, et, quia judicium professus erat, retentus : donec carmina evitium illi maturavere. Lege initium libri hujus. Lips.

Urbem juxta. Tusculi, aut in Albano. Dio 58, 24. Lips.

Manus carnif. Sic e cod. Pichena.

Poppæus Sabinus concessit vita. Sua sponte, non fato. Vide Dionem 58, 25. Lips. Male e versione latina. In græco est ἀδίστα mortuum esse ante, quam in accusatores incideret. Ern. De eo v. 1, 80. 4, 46. 5, 10.

cipum amicitia consulatum ac triumphale decus adeptus : maximisque provinciis per quatuor et viginti annos impositus; nullam ob eximiam artem, « sed quod par negotiis, neque supra erat. »

XL. Q. Plautius, Sex. Papinius coss. sequuntur. Eo anno, * neque quod L. Aruseius morte adfecti forent, adsuetudine malorum, ut atrox, advertebatur; sed exterruit, quod Vibulenus Agrippa, eques romanus, cum

Per quatuor et viginti annos. Muretus dubium movit ex eo, quod Tiberius tantum 23 annos imperavit, et Pomponius Labeo sub Tiberio octo annos præfuerit Mœsiæ. Sabinus Mœsiæ præpositus vivo Augusto a. U. 763. Addita est Macedonia et Achaia a. 768. Adhuc præerat a. 779. Macedoniæ et Achaiæ 4, 46. sed Mœsiæ Pomponius Labeo, fortasse sub Sabino; nam ejus jussu legionem ducit in Thraciam : item a. 782, ut patet e 5, 10. Unde jam anni 19. efficiuntur. Quando ex istis provinciis Romam redierit, non traditur. Tacito autem credo, hoc ipso anno in provincia mortuum esse; quod probabile fit ex 1, 80. et clarum est e Dione, qui l. c. in actis hujus anni mortem ejus refert, et in provinciis fuisse ἐς ἐκεῖνο τοῦ χρόνου, successoremque habuisse Regulum. Ern.

Eo anno neque quod L. Aruseius. Desunt non dubie propria aliquot nomina eorum, qui damnati occisique. Vertranius labentem locum immissa voce fulcit. *Eo anno, neque quod alii, neque quod L. Aruseius*; sed tibicine non bono. Lips. Suspicabar : *quod L. Aruseii morte adfecti forent, ads. m. ut atrox advertebat.* Particulam *neque* tolero. Videtur enim compendium in sermone, significans : *non dico alia, sed neque. Lucios* autem *Aruseios* intelligo patrem una cum filio. Idque erat exemplum non inter vulgaria ponendum, et quod invidiam conflare posset : quemadmodum quod Octavianus statuit in Aquilios Floros. Sueton. 13. et Dio 51, 2. *Advertebat* est convertebat in se ac movebat hominum oculos et linguas : aut saltem arcanas iracundias. Ut 2, 17. *octo aquilæ silvas petere et intrare visæ advertere imperatorem.* Et sic belle eadem vox eadem inclinatione ad utrumque verbum subauditur. *Advertebat* homines, ut *exterruit* homines. Gron. De nomine *Aruseii* vid. supra ad c. 7. Ern. Istud de Aruseiis licentius a Gronovio fictum, quam dignum aut probabile, judicat Crollius, cujus conjecturam de transpositione supra ad 5, 6. adtuli. Pro Gronovio pugnat Hillerus Racem. 33 et 34. Vel, si minus placeat ejus commentum, legi suadet, ... *adfectus foret.* Equidem, si de duobus Aruseiis constaret aliunde, cum Gronovio facerem; nunc potius cum Lipsio alia quædam nomina excidisse arbitror. *Advertebatur* bene habet, noli mutare.

Vibulenus Agrippa. Vibilius dicitur Dioni 58, 21. Lips.

perorassent accusatores, in ipsa curia depromptum sinu venenum hausit; prolapsusque ac moribundus, festinatis lictorum manibus in carcerem raptus est, faucesque jam exanimis laqueo vexatæ. Ne Tigranes quidem, Armenia quondam potitus, ac tunc reus, nomine regio supplicia civium effugit. At C. Galba, consularis, et duo Blæsi voluntario exitu cecidere: Galba, tristibus Cæsaris literis provinciam sortiri, prohibitus; Blæsis sacerdotia, integra eorum domo destinata, convulsa distulerat; tunc, ut vacua, contulit in alios. Quod signum mortis intellexere; et exsecuti sunt. Et Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam retuli, crebris criminibus maritum insecuta, quamquam, intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus; post a delatoribus corripitur ob servum adulterum: nec dubitatur de flagitio. Ergo, omissa defensione, finem vitæ sibi posuit.

XLI. Per idem tempus Clitarum natio, Cappadoci

Laqueo vexatæ. Ut publicatis bonis sepultura prohiberetur. Cf. c. 29.

Duo Blæsi. Sic bene edidere Ryckius et Jac. Gron. Ante edebatur *Blæsii* et *Blæsiis*. Nam in MS. mox *Blæsis*. Ern.

Galba tristibus Cæsaris literis. Frater est illius, qui postea princeps. Suet. Galb. 3. *Caius attritis facultatibus urbe cessit, prohibitusque a Tiberio sortiri anno suo proconsulatum, voluntaria morte obiit*. Lips.

Æmilia Lepida, quam juveni Druso nuptam retuli. Nusquam id in his libris scriptum. Lips.

Juveni Druso. Germanici filio, qui periit a. 786. Vid. c. 23. Ern.

Intestabilis. Vid. c. 51. extr. Ern.

Pater Lepidus. Mortuus paucis annis ante. Vid. c. 27. Ern.

Clitarum natio Cappadociæ, Archelao subjecta. Male vulgo, *Citarum*. Iidem Clitæ, Cilices, non Cappadoces dicuntur ab eodem Tacito 12, 55. *Nec multo post agrestium Cilicum nationes, quibus Clitarum cognomentum est*. Ideo hic legerim, *Clitarum natio, Cappadoci Archelao subjecta*. Nam Cilicia cognomento Trachea proprios reges habuit ad tempora Vespasiani. Cave enim, de Archelao acceperis Cappadocum rege, qui pridem mortuus, et regnum ejus in provinciam redactum. Nescio tamen, an hic Archelaus ejus filius fuerit: ideo Cappadox dictus. Postea a Pichena monitum,

Archelao subjecta, quia nostrum in modum deferre census, pati tributa adigebatur, in juga Tauri montis abscessit: locorumque ingenio sese contra imbelles regis copias tutabatur; donec M. Trebellius, legatus, a Vitellio, præside Syriæ, cum quatuor millibus legionariorum et delectis auxiliis missus, duos collis, quos barbari insederant (minori *Cadra*, alteri *Davara* nomen est) operibus circumdedit: et erumpere ausos ferro, ceteros siti, ad deditionem coegit. At Tiridates, volentibus Parthis, Nicephorium et Anthemusiada, ceterasque urbes, quæ Macedonibus sitæ græca vocabula usurpant, Halumque et Artemitam, parthica oppida, recepit, certantibus gaudio, qui Artabanum, Scythas inter eductum, ob sævitiam exsecrati, come Tiridatis ingenium, romanas per artes, sperabant.

XLII. Plurimum adulationis Seleucenses induere, civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti, opibus aut sapientia delecti, ut senatus: sua populo vis: et, quoties concordes agunt, spernitur Parthus; ubi dissensere, dum sibi quisque contra æmulos subsidium vocant, accitus in partem, adversum omnes valescit. Id nuper acciderat Artabano regnante, qui plebem primoribus tradidit ex suo usu. Nam populi imperium

in scripto sic etiam esse. Lips. In cod. est *Cietarum*, teste Pichena, Noris. ad Cenot. Pis. 2, 16, 10. ubi h. l. citat. habet *Calitarum*. Porro cod. habet *Cappadoci*, recentior manus addiderat *e*, unde error in vulgatos libros transiit. Archelaus iste filius est ejus, de quo 2, 42, 56.

Macedonibus sitæ. Frustra Faernus jubet reponi *a Maced.* ut 3, 38. Verum et 2, 7. legitur *Druso sitam*. Sic Dukerus apud Florum 2, 8, 7. legi vult *positam majoribus*, et in nostro 3, 38. *Macedoni Philippo sitam*. V. ejus ind. in *ponere*.

In barbarum corrupta. Int. *nomen*, ut e sequentibus intelligitur, sive *morem*: quod malim. Isocrates in Evag. ἐξβαρβαροῦν vocat. Ern.

Populi imperium juxta libertatem.

juxta libertatem; paucorum dominatio regiæ libidini prior est. Tum adventantem Tiridaten extollunt veterum regum honoribus, et quos recens ætas largius invenit : simul probra in Artabanum fundebant, « materna origine Arsacidem, cetera degenerem. » Tiridates rem Seleucensem populo permittit. Mox, consultans, « quonam die solennia regni capesseret? » literas Phrahatis et Hieronis, qui validissimas præfecturas obtinebant, accipit, « brevem moram » precantium. Placitumque, « opperiri viros præpollentis : » atque interim Ctesiphon, sedes imperii, petita. Sed, ubi diem ex die prolatabant, multis coram et

I. e. parum abest a libertate, quæ contraria regum dominationi. Imitatus est Thucydidem 3. 62. ubi oligarchia dicitur esse ἐγγυτάτω τυράννου: quem locum laudavit illustrandæ Cornelianæ sententiæ caussa Muretus. Id 1, 13. ἐγγύτατα τοῦ νῦν τρόπου. Ern.

Materna origine Arsacidem. Verissimam esse, putat Ryckius, conjecturam Freinshemii corrigentis *paterna origine*. Nam Artabanus diserte *Arsacidarum e sanguine* dicitur 2, 3. nec alium Parthi nisi Arsacidem ferebant (cf. c. 31.), nec oppositio aliter constat. v. Freinsh. et Ryckium. Melius totum epitheton abesset. Sufficiebat enim *origine Arsacidem*. Sed scriptores in talibus non semper accuratissimi sunt. Ceterum argumenta illa non sunt omni exceptione majora. Etiam e filiabus posteri sanguinis nostri sunt, et e sanguine nostro; neque de eo dubitavere Lipsius ad A. 3, 4. extr. Gronov. ad 4, 52. aut quisquam alius, quod sciam. Ergo et materna origine natus ex Arsacidis est e stirpe et genere Arsacidarum, et genus Arsacis. Tamen non abhorreo a conjectura Freinshemii, præsertim quod *Arsacides* dicitur. Ern. Ex mente Broterii *materna origine* Arsacidem dixere, ut spurium indigitarent.

Ctesiphon sedes imperii. Ut Herodianus ait 3, 9. ἔνθα ἦν τὰ βασίλεια τοῦ Παρθυαίου. Ea urbs, sive pagus potius vicinus Seleuciæ. Strabo 16, p. 743. Πλησίον δ' ἐστὶ κώμη Κτησιφῶν λεγομένη, μεγάλη· ταύτην δ' ἐποιοῦντο χειμάδιον οἱ τῶν Παρθυαίων βασιλεῖς. Plinius 6, 30. *Ctesiphontem juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi.* Et conditorem ejus Vardanem regem facit Ammianus 23, 6. Pugnat tamen iis Procopius de Bello persico 2, 28. *Apud Assyrios civitates duæ maximæ sunt Seleucia et Ctesiphon, Macedonum ædificia.* De urbis hujus situ et duplici munitissima arce lege Gregorium Naz. Orat. 4. in Julianum. Lips.

adprobantibus, Surena, patrio more, Tiridaten insigni regio evinxit.

XLIII. Ac, si statim interiora ceterasque nationes petivisset, oppressa cunctantium dubitatio, et omnes in unum cedebant: adsidendo castellum, in quod pecuniam et pellices Artabanus contulerat, dedit spatium exeundi pacta. Nam Phrahates et Hiero, et, si qui alii delectum capiendo diademati diem haud concelebraverant, pars metu, quidam invidia in Abdagesen, qui tum aula et novo rege potiebatur, ad Artabanum vertere. Isque in Hyrcanis repertus est, illuvie obsitus, et alimenta arcu expediens. Ac primo, tanquam dolus pararetur, territus; ubi data fides, « reddendæ dominationi venisse, » adlevatur animum, et, « quæ repentina mutatio? » exquirit. Tum Hiero « pueritiam Tiridatis » increpat; « neque penes Arsacidem imperium, sed inane nomen apud imbellem externa mollitia, vim in Abdagesis domo. »

XLIV. Sensit vetus regnandi, falsos in amore, odia

41. *Haud concelebrant.* Sic Pichena e vestigiis libri scripti, cujus lectionem accuratius perpende.

Surena patrio more. Nomen dignitatis et quidem proximæ a rege apud Parthos: cujus mentio apud Strab. 16, p. 747. Plutarchum in Crasso, c. 56, 59, p. 561, 62. Zosim. c. 3, 15. Ammian. 24. 2. 30. 2.

Dubitatio et omnes. Freinsh. mavult *oppressa cunctantium dubitatione, omnes*, etc. nec enim facile subaudiri in tali oratione subjunctivum vel imperfectum. Sic elegantius fore, video. Ac fortasse etiam sic scripsit Tacitus. Sed τὸ *erat* aut *fuisset* non solere omitti, falsum est. Itaque nihil definio. Ern. Subaudi *erat.* Id Taciti stylo consuetum. Vide c. 35. et H. 2, 17. Wopk.

Adsidendo castellum. Pro obsidendo, ut supra 2, 81. 4, 48. *adpugnare* pro oppugnare. Accusativus a præpositione, quæ in verbo est, pendet. Ern.

Haud concelebraverant. Turbas dedit hic scriptura corrupta codicis *haci*: quam Beroaldus fideliter expressit; item Alciatus. Pro eo Rhenanus et Aldus dedere *non*; quod secuti sunt omnes ad Pichenam, qui recte *haud* restituit. Faernus in *navi* mutabat, addito *non*. Ern.

Falsos in amore, odia non fingere. Aur. Victor Schotti in Constantino M. *Quippe humanæ mentes frustratæ boni spe, asperius offenduntur, cum*

non fingere : nec ultra moratus, quam dum Scytharum auxilia conciret, pergit properus, et præveniens inimicorum astus, amicorum pœnitentiam : neque exuerat pædorem, ut vulgum miseratione adverteret. Non fraus, non preces, nihil omissum, quo ambiguos illiceret, prompti firmarentur. Jamque multa manu propinqua Seleuciæ adventabat ; cum Tiridates, simul fama, atque ipso Artabano perculsus, distrahi consiliis, iret contra, an bellum cunctatione tractaret. Quibus prœlium et festinati casus placebant, « disjectos et longinquitate itineris fessos, ne animo quidem satis ad obsequium coaluisse, » disserunt, « proditores nuper hostesque ejus, quem rursum foveant. » Verum Abdageses, « regrediendum in Mesopotamiam, » censebat, « ut amne objecto, Armeniis interim Elymæisque et ceteris a tergo excitis, aucti copiis socialibus, et quas dux romanus misisset, fortunam tentaret. » Ea sententia valuit, quia plurima auctoritas penes Abdagesen, et Tiridates ignavus ad pericula erat. Sed fugæ specie discessum : ac, principio a gente Arabum facto, ceteri domos abeunt, vel in castra Artabani : donec Tiridates, cum paucis, in Syriam revectus, pudore proditionis omnes exsolvit.

XLV. Idem annus gravi igne urbem adficit, deusta

42. *Fama atque ipso Artabano perculsus.* Sic Rhenanus. MS. ejus *percussus*. Quod ne temere damnes. Vide quæ nos ad Maronem eo de verbo annotamus.

mutato rectore flagitioso, ærumnarum vis manet. Gron.

Quam dum. Sic Muretus emendavit ; legebatur prius *quantum*.

Quo amb. ill. pr. firmarentur. V. Just. 31, 6. Wopk.

Artabano perculsus. Sic recte reposuit Rhenanus, cum edd. Beroaldi et Alciati, et MS. haberent *percussus* : de quorum verborum solita permutatione sæpe monitum est a viris doctis. Rhenanum statim Aldus secutus est. Ern.

Ignavus. Sic e cod. Pichena ; prius erat *ignarus*.

Gravi igne. Idem et eodem modo tradit Dio 58, 26. Sed Suet. Tib. 48. existimatur dissentire, montem Co-

parte Circi, quæ Aventino contigua, ipsoque Aventino. Quod damnum Cæsar ad gloriam vertit, exsolutis domuum et insularum pretiis. Millies sestertium ea munificentia collocatum; tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis ædificationibus. Ne publice quidem, nisi duo opera, struxit, templum Augusto, et scenam Pompeiani theatri: eaque perfecta, contemptu ambitionis, an per senectutem, haud dedicavit. Sed æstimando cujusque detrimento quatuor progeneri Cæsaris, Cn. Domitius, Cassius Longinus, M. Vinicius, Rubellius Blandus delecti, additusque nominatione consulum P. Petronius. Et pro ingenio cujusque quæsiti decretique in principem honores. Quos omiserit receperitve, in incerto fuit, ob propinquum vitæ finem. Neque enim multo post supremi Tiberio consules, Cn. Acerronius, C. Pontius, magistratum occepere; nimia jam potentia Macronis, qui gratiam C. Cæsaris, nunquam sibi neglectam, acrius in dies fovebat, impuleratque, post mortem Claudiæ, quam nuptam ei retuli, uxorem suam Enniam,

43. *Quanto modicus privatis ædificationibus.* An et hic *privatæ ædificationis?* dictum supra c. 30.

lium nominando pro Aventino. Vid. Muretus ad h. l. Frustra. Tum quoque pecunias tribuit, cum Cœlius deustus est. Vid. 4, 64. Hanc munificentiam Suetonius prætermisit, ut monuit Lipsius. Ern.

Millies sestertium. Sunt viciesquinquies centena millia Philippicum. Egregia munificentia, et quam mirum est Suetonio non dictam, aut neglectam. Nam, ubi ex proposito de hac re, Tiberii cap. 48. *Publice munificentiam bis omnino exhibuit, proposito millies HS. gratuito in triennii tempus; et rursus dominis insularum, quæ in monte Cœlio deflagraverant, pretio restituto.* Sed utraque hæc munificentia præivit, et in Tacito narrata est: hæc posterior et insignis Suetonium effugit. Lips. Summa ista vicies centenis millibus librarum francicarum respondet.

Ædificationibus. Ne publice. Freinsh. sic volebat interpungi: *ædificationibus, ne publice.* Ern.

Templum Augusto. Vide Suetou. 47. in Tib. et 21. Calig. qui leviter dissentit. Ille enim semiperfecta opera fuisse ait, quæ noster perfecta. Lips.

immitendo amore juvenem illicere, pactoque matrimonii vincire, nihil abnuentem, dum dominationis apisceretur. Nam, etsi commotus ingenio, simulationum tamen falsa in sinu avi perdidicerat.

XLVI. Gnarum hoc principi, eoque dubitavit de tradenda rep. primum inter nepotes : quorum Druso genitus, sanguine et caritate propior, sed nondum pubertatem ingressus : Germanici filio robur juventæ, vulgi studia, eaque apud avum odii caussa. Etiam de Claudio agitanti, quod is, composita ætate, bonarum artium cupiens erat, imminuta mens ejus obstitit. Sin extra domum successor quæreretur, ne memoria Augusti, ne nomen Cæsarum in ludibria et contumelias verterent, metuebat. Quippe illi non perinde curæ gratia præsentium, quam in posteros ambitio. Mox incertus animi, fesso corpore, consilium, cui impar erat, fato permisit;

44. *Ne nomen Cæsarum in ludibria et contumelias verterent.* Male sic Pichena e MS. *Verteret* pro *verteretur* probum est : nomen scilicet. Vide nos ad Ann. 1, 33.

Immittendo. Hoc verbum quo referatur, non video. Nam ordo verborum est : *Macro impulerat uxorem suam Enniam, illicere juvenem amore* etc. An vitium est in *impulerat*, legendumque *instituerat*? quod verbum in consiliis talibus frequens est. *Amore illicere* quid sit, dictum ad 4, 3. *Vincire* pro devincire. V. ad 4, 10. Broterius omnia sana putat; *Macro*, inquit, *uxorem s. Enniam immittendo, eam impulerat.* Sed quæ est ista latinitas? quid differunt *immittere* et *impellere?* Ern. *Immittendo amore* bene juncta. Vide Senecam in Herc. Œtæo 554. Wopk. Item Crollius, recte. Sic *impulerat* consuetum sensum servat, ut 14, 60. H. 3, 4.

Dominationis apisceretur. V. Lips. ad 3, 55. Frustra Pichena *dominationem.* Ern.

Commotus ingenio. I. e. Vehemens, iracundus, ferox etc. unde ap. Cicer. in Brut. c. 34. junguntur *fervidior et commotior.* Ern. Nonnemo *commodus*, teste Acidalio. Vulgatum rectius.

In sinu avi. Casaubonus ad Suet. Cal. 10. legi vult *aviæ*, et intelligit Liviam, apud quam primo educatus est : quod recte rejicit Ryckius. Ern.

Gnarum hoc. Int. ferocis et fervidioris ingenii esse Caium, et vitia ejus premi dissimulando. Ern.

Composita ætate. H. e. placida et a vehementioribus animi motibus aliena, quibus obnoxii juvenum animi esse solent. Ern.

jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Namque Macroni, non abdita ambage, « Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari » exprobravit. Et C. Cæsari, forte orto sermone, L. Sullam irridenti, « omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum, » prædixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu: « Occides hunc tu, » inquit, « et te alius. » Sed gravescente valetudine, nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans; solitusque eludere medi-

45. *Nihil e libidinibus omittebat.* Puto *nihil e libidinibus omittebat impatientia, firmitudinem simulans.* Sic *impatientia silentii* Ann. 4, 52. *caritatis* Ann. 13, 21. *flagitiorum impatiens* infra c. 48. *Firmitudo* pro *vegeta* salute. Contra *defectio* apud nostrum infra c. 50. Sic apud Nasonem 3 Pont. 4. 7. *Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt.*

Occidentem ab eo deseri. Gloria acuti dicti penes Pompeium, qui Sullæ abneganti triumphum confidenter dixit ap. Plut. in Pomp. c. 22. p. 625. Ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες, ἢ δυόμενον, προσκυνοῦσιν· ὡς αὐτῶ μὲν αὐξανομένης, μειουμένης δὲ καὶ μαραινομένης ἐκείνῳ τῆς δυνάμεως. Fons dicti ab eo, quod plerisque populis religione receptum, salutare solem orientem: ut alibi dicam. Lips. Sic ap. Stat. Theb. 1, 170. *venturus amatur.*

In patientia. Legendum, *impatientia*, Muretus putabat: quod ego non intelligo. Ceterum vulgatum sanum non puto. Videtur legendum: *intemperantia f. s.* Sueton. c. 72. *nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione.* Melius certe nihil succurrit. Ern. Crollius sic: *et patientia.* ... ut illud *et* respondeat τῷ *que* sequenti. Hillerus vel *impatientia* cum Mureto, vel *impotentia*, præardore libidinis scil. legendum putat, vel servandum *in patientia*, animo contra dolores obdurato. — * Hoc postremum placet Wopkens. qui citat Cic. in Verr. 5, 13. et pro Balbo c. 27.

Solitus, eludere. Tiberianum hoc apophthegma etiam Plutarchus inseruit præceptis de valetudine tuenda c. 49, p. 136. sed corruptus, vereor in numero: Ἔλεγεν Τιβέριον ποτὲ Καίσαρα εἰπεῖν, ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγονὼς ἔτη, καὶ στρατίαν ἰατρῷ χεῖρα, καταγίλαστός ἐστιν. Nam post sexagesimum annum ait, quod noster trigesimum, non dubie verius. Rescripserim, ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη. Juvante etiam Suetonio c. 68. *Valetudine prosperrima usus est.... quamvis a trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consiliosque medicorum.* Lips. ubi v. dicta a nobis. Ern.

corum artes, atque eos, qui post tricesimum ætatis annum ad internoscenda corpori suo utilia vel noxia alieni consilii indigerent.

XLVII. Interim Romæ futuris etiam post Tiberium cædibus semina jaciebantur. Lælius Balbus Acutiam, P. Vitellii quondam uxorem, majestatis postulaverat: qua damnata, cum præmium adcusatori decerneretur, Junius Otho, tribunus plebei, intercessit: unde illis odia, mox Othoni exsilium. Dein multorum amoribus famosa Albucilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo, conjurationis indice, fuerat, defertur impietatis in principem. Connectebantur, ut conscii et adulteri ejus, Cn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius. De claritudine Domitii supra memoravi. Marsus quoque vetustis honoribus et illustris studiis erat. Sed « testium interrogationi, tormentis servorum, Macronem præsedisse, » commentarii ad senatum missi ferebant: nullæque in eos imperatoris literæ suspicionem dabant, invalido ac fortasse ignaro, ficta pleraque, ob inimicitias Macronis notas in Arruntium.

XLVIII. Igitur Domitius, defensionem meditans, Marsus, tanquam inediam destinavisset, produxere vitam: Arruntius, cunctationem et moras suadentibus

46. *Acutiam.* Corruptum nomen, ut puto. f. *Aquiliam.*

Unde illis odia. Id est, ipsis inter sese: quæ Balbus exsecutus est accusando et damnando Othonem. Gron.

Satrio Secundo. Ille idem est, qui supra 4, 34. cliens Sejani, et nunc, ut apparet, ejus eversor. Lips. Ryckius ad c. 8. suspicatur, ab eo conjurationem Antoniæ patefactam, quod ipse aut nollet, aut non posset principem adire. Ern. Sic bene se habet, quod Jos. 18, 6. scribit, per Antoniam indicium factum.

Supra. 4, 75.

Vetustis hon. et illustris st. Vide supra ad c. 30 Ern..

Testium interrogationi. Ea qualis olim fuerit, tirones cognoscent e dictis in Clav. Cic. in h. v. Mox *commentarii* intell. in quos, quæ testes,

jactis tamen vocibus, per quas intelligeretur providus futurorum. Namque Macroni, non abdita ambage, « Occidentem ab eo deseri, Orientem spectari » exprobravit. Et C. Cæsari, forte orto sermone, L. Sullam irridenti, « omnia Sullæ vitia, et nullam ejusdem virtutem habiturum, » prædixit. Simul crebris cum lacrimis minorem ex nepotibus complexus, truci alterius vultu: « Occides hunc tu, » inquit, « et te alius. » Sed gravescente valetudine, nihil e libidinibus omittebat, in patientia firmitudinem simulans; solitusque eludere medi-

45. *Nihil e libidinibus omittebat.* Puto *nihil e libidinibus omittebat impatientia, firmitudinem simulans.* Sic *impatientia silentii* Ann. 4, 52. *caritatis* Ann. 13, 21, *flagitiorum impatiens* infra c. 48. *Firmitudo* pro *vegeta* salute. Contra *defectio* apud nostrum infra c. 50. Sic apud Nasonem 3 Pont. 4. 7. *Firma valent per se, nullumque Machaona quærunt.*

Occidentem ab eo deseri. Gloria acuti dicti penes Pompeium, qui Sullæ abneganti triumphum confidenter dixit ap. Plut. in Pomp. c. 22. p. 625. Ὅτι τὸν ἥλιον ἀνατέλλοντα πλείονες, ἢ δυόμενον, προσκυνοῦσιν· ὡς αὐτῷ μὲν αὐξανομένης, μειουμένης δὲ καὶ μαραινομένης ἐκείνῳ τῆς δυνάμεως. Fons dicti ab eo, quod plerisque populis religione receptum, salutare solem orientem: ut alibi dicam. Lips. Sic ap. Stat. Theb. 1, 170. *venturus amatur.*

In patientia. Legendum, *impatientia*, Muretus putabat: quod ego non intelligo. Ceterum vulgatum sanum non puto. Videtur legendum: *intemperantia f. s.* Sueton. c. 72. *nihil ex ordine quotidiano prætermitteret, ne convivia quidem ac ceteras voluptates, partim intemperantia, partim dissimulatione.* Melius certe nihil succurrit. Ern. Crollius sic: *et patientia.*... ut illud *et* respondeat τῷ *quæ* sequenti. Hillerus vel *impatientia* cum Mureto, vel *impotentia*, præardore libidinis scil. legendum putat, vel servandum *in patientia*, animo contra dolores obdurato. — * Hoc postremum placet Wopkens. qui citat Cic. in Verr. 5, 13. et pro Balbo c. 27.

Solitus eludere. Tiberianum hoc apophthegma etiam Plutarchus inseruit præceptis de valetudine tuenda c. 49, p. 136. sed corruptus, vereor in numero: ἔλεγεν Τιβέριον ποτὲ Καίσαρα εἰπεῖν, ὡς ἀνὴρ ὑπὲρ ἑξήκοντα γεγενὼς ἔτη, καὶ ἰατρῷ χεῖρα, καταγίλαστός ἐστιν. Nam post sexagesimum annum ait, quod noster trigesimum, non dubie verius. Rescripserim, ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη. Juvante etiam Suetonio c. 68. *Valetudine proprima usus est.... quamvis a trigesimo ætatis anno arbitratu eam suo rexerit, sine adjumento consilioque medicorum.* Lips. ubi v. dicta a nobis. Ern.

bus truci eloquentia habebatur, promptus adversum insontes.

XLIX. Iisdem diebus Sex. Papinius, consulari familia, repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore. Caussa ad matrem referebatur; quæ, pridem repudiata, adsentationibus atque luxu perpulisset juvenem ad ea, quorum effugium non nisi morte inveniret. Igitur adcusata in senatu, quamquam genua patrum advolveretur, « luctumque communem, et magis imbecillum, tali super casu, feminarum animum, » aliaque in eundem dolorem mœsta et miseranda diu ferret, urbe tamen in decem annos prohibita est, donec minor filius lubricum juventæ exiret.

quo minus et senatores lætati sint, sibi occasionem datam ulciscendæ improbitatis? Ern. Si deleas *a*, dicendum erat *omnibus lætantibus*. Forsan legendum *et quidem* vel *idque quidem a læt.* Sed *id tantum*, *id ipsum* occurrit etiam 14, 6. H. 3, 63. apud Cic. de Divin. 1, 16. pro Cluentio 5. Cf. ad 16, 20. Wopk.

Consulari familia. Cf. c. 40.

Perpulisset juvenem ad ea. Intelligit incestum simile, quale objectum Ciceroni in Tulliolam : de quo infami sermone Servius ad illud Virgil. 6, 623., *Hic thalamum invasit natæ*. Lips. Cf. Muret. V. L. 1, 12.

Genua advolveretur. Sic et 1, 13. 15, 71. H. 4, 81. Wopk. — *Sic et Sall. fragm. 6. 20.

Luctumque communem. Anne etiam, *lectum?* Lips. Cur *lectum?* immo *luctum* verum est. Cicer. Verr. 1, 44., *Atque ego non dubito, quin ut mihi, cui filia maxime cordi est, res hæc acerba videatur atque indigna, sic unicuique vestrum, qui simili sensu atque indulgentia filiarum commovemini. Luctus communis* est, quem omnes parentes in morte liberorum capiunt : sequitur deinde de præcipuo feminarum et matrum. Mox : *alia in eundem dolorem* dicta : ut 11, 3. *verba in eandem clementiam*. Ern.

Miseranda diu ferret. Emendo, *miseranda differret*, conjunctis vocibus, quas diduxerant. Lips. Probant Acidalius, Ryckius. Sensus est: spargeret in omnes, qui aderant. Putem tamen etiam vulgati commodum sensum esse, si accipiatur pro *jactaret*, sc. sermone : quomodo *ferre* sæpe dicitur ap. Livium, nostrum et alios. Viri docti ac Scheff. in Obsc. Misc. t. 8, p. 291. *diu fleret*. Ern. Boxh. et Heinsius dabant *dissereret*, quod non displicet Crollio, nec Wopkensio, qui adfert 4, 30. 5, 4. 12, 20. 14, 13. *Differret* probant Lallemand et Broterius.

Exiret. Forte *exisset*. Ferri tamen

L. Jam Tiberium corpus, jam vires, nondùm dissimulatio deserebat. Idem animi rigor: sermone ac vultu intentus, quæsita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat: mutatisque sæpius locis, tandem apud promontorium Miseni consedit, in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. Illic, eum adpropinquare supremis, tali modo compertum. Erat medicus, arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam præbere. Is, velut propria ad negotia digrediens, et, per speciem officii manum complexus, pulsum venarum adtigit. Neque fefellit: nam Tiberius, incertum an offensus,

48. *Per speciem officii manum complexus.* Male Lipsius *per speciem osculi.* 11, 56., *multitudo innumera visendi cupidine, aut officio in principem.* Hist. 2, 1., *officium erga principem.* Et mox: *nullam officii gratiam.*

et vulgatum potest. Ern. V. et Sen. de Ira 3, 18.

Jam vires, nondum dissimulatio deserebat. Manifeste imitatur Livium 1, 25., *Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat.* Ern.

In villa, cui L. Lucullus. De ea fere his verbis Plutarchus in Mario c. 55, p. 424, *Villam in Misenensi Marius amœnam et mollius exstructam possidebat, quam deceret virum militarem et tot bellorum victorem. Eam aiunt* LXXV co. *denarium emisse Corneliam, nec multo post L. Lucullum quingentis millibus denarium et ducentis. Tantum brevi luxuria crevit, et civitas invaluit in abundantes opes.* Lips.

Charicles. De hoc v. Galenus de Comp. med. 9, 2.

Per speciem officii. Nescio an, *per speciem osculi.* Ea quidem mens. Suet. 72. *cum manum sibi osculandi caussa apprehendisset.* Lips. Vulgatum quoque rectum et verum est. Idem Sueton. Cæs. 82. *assidentem conspirati, specie officii, circumsteterunt.* Sed *officium* h. l. est in oculando. Ern.

Neque fefellit: nam Tiberius. Non magis hic opus plaustris castigationum, quam plaustris nugarum, quas sæpe castigationibus opponit Salmerius. *Neque fefellit*, omnino vult intelligi *Tiberium*, vel *Charicles.* Neque latuit, inquit; neque hoc egit ita caute, ut Tiberius non scrutiretdolum et arcana sua tentari. Argumentum hujus rei et Charicles et qui circa erant interpretabantur, quod tenuit hominem, quasi cæna viatica prosecuturus, et apparatis epulis secum discumbere jussit, et solito longius in triclinio duravit, ut eum ambiguum redderet, seseque firmiorem probaret, quam fortasse arteria promisisset. Quidam, gaari

tantoque magis iram premens, « instaurari epulas » jubet, discumbitque ultra solitum; quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen, « labi spiritum, nec ultra biduum duraturum, » Macroni firmavit. Inde cuncta colloquiis inter præsentes, nuntiis apud legatos et exercitus festinabantur. XVII. kal. aprilis, interclusa anima, creditus est mortalitatem explevisse. Et multo gratantium concursu, ad capienda imperii primordia C. Cæsar egrediebatur: cum repente adfertur, « redire Tiberio vocem ac visus, vocarique, qui recreandæ defectioni cibum adferrent. » Pavor hinc in omnes: et ceteri passim dispergi, se quisque mœstum aut nescium fingere: Cæsar, in silentium fixus, a summa spe novissima exspectabat: Macro intrepidus, « opprimi senem injectu multæ vestis, » jubet, « discedique ab limine. » Sic Tiberius finivit, octavo et septuagesimo ætatis anno.

49. *Sic Tiberius finivit.* Pro finitus est, ut Martialis, Plinius in Epistolis, alii loquuntur. Justinus 27, 3., *equo præcipitatus finitur*, ubi v. interpr. *Finitus est* Vorstius in Valer. Max. 3, 2, 24. Sic *finitio* pro morte apud Gruterum p. 810, 10. NEVIA. PRISCA. SI. PERMANSERIT. VSQVE. IN. DIEM. FINITIONIS. SVÆ. An repetendum τὸ *vitam, finivit vitam.* Ut Ann. 14, 37. de regina Boudicea: *vitam veneno finivit.* Petron. 103., *nec istud di hominesque patiantur, ut vos tam turpi exitu vitam finiatis.* Seneca de Provid. c. 6., *mors vos aut finit aut transfert.*

morum ejus, et quantopere nollet intima sua nosci, etiam graviter offensum dicebant, et ut hoc quoque dissimularet, magis benignitatem et amici honorem fingere. Hinc apparet vis et necessitas particulæ, neque ad divinos eundum. GRON. Scil. Egnatius ad Suet. refert id *neque fefellit* ad Tiberium, quod perperam displicebat Salinerio.

Firmavit. Vid. ad cap. 6. ERN.

XVII. kal. april. Haud dubie, *Septimodecimo*, ut malebant antiqui. Neque aliter apud Suetonium scribendum et pronuntiandum cap. 73. GRON. Latius Jac. Gronovius firmat parentis emendationem consuetudine Taciti, et scriptura codicis MS. XVII. quam *decimo septimo* expressit Beroaldus. Ego scripturam codicis reposui, sed ea aptest legenda, ut Gronovius voluit. De die ipso vide dicta ad Sueton. c. 73. ERN. De dissensu scriptorum circa diem, quo obiit Tiberius, v. Reimarus ad Dion. 58, 28.

* *Pav. hinc in o.* Sic 4, 2. 59. 11, 8. H. 1, 20. WOPK.

Octavo et septuagesimo ætatis anno. Vel, ut Victor, post septuage-

LI. Pater ei Nero, et utrimque origo gentis Claudiæ, quamquam mater in Liviam et mox Juliam familiam adoptionibus transierit. Casus prima ab infantia ancipites: nam proscriptum patrem exsul secutus, ubi domum Augusti privignus introiit, multis æmulis conflictatus est, dum Marcellus et Agrippa, mox Caius Luciusque Cæsares, viguere. Etiam frater ejus, Drusus, prosperiore civium amore erat. Sed maxime in lubrico egit, accepta in matrimonium Julia, impudicitiam uxoris tolerans, aut declinans. Deinde Rhodo regressus, vacuos principis penates duodecim annis, mox rei romanæ arbitrium tribus ferme et viginti obtinuit. Morum quoque tempora illi diversa: egregium vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit: occultum

50. *Egregium vita famaque. Vitæ famæque* malim. Sed vide Gron. Obs. 1, 2. Mox lego, *intestabili sævitia.*

simum octavum annum et mensem quartum. Dio tamen anno toto diversus ab istis, qui l. c. ait vixisse ἔτη καὶ ἑβδομήκοντα ἴσχ, καὶ μῆνας τέσσαρας, καὶ ἡμέρας ἑννέα. Et hercle verius, si Suetonio credendum et actis: qui natum Tiberium ponunt a. U. 712. Munatio et Lepido coss. XVI. kal. dec. Mortuus autem est, consensu omnium, a. 790. XVII. kal. Aprilis. Quamquam et Dionis rationes non plane ad eum calculum pariaveris. Lips.

Mater in Liviam.... transierit. Non quod ipsa adoptata sit, sed quod pater. Et tamen transisse in Liviam familiam dici potest, ut Tiberius ap. Sueton. c. 3. insertus ei familiæ dicitur. Vid. ad 5, 1. Deinde pro *transierit* haud dubie legendum *transierat.* Ern. Sic *quamquam* cum subjunctivo 1, 24. 4, 24. Cic. Fam. ep. 4, 14. 13, 68. Wopk.

Aut declinans. Toleravit in urbe, et coram; declinavit, cum Rhodum secessit. Lips.

Vacuos principis penates. Vide ad c. 34. Ern. Nullis jam æmulis. Mortuis Marcello, Agrippa, C. et L. Cæss.

Tempora illi diversa. Improprie de *tempore, die, anno, æstate* dici solent, quæ conveniunt hominibus ipsis, aut rebus tunc contingentibus, ut 1, 28. 2, 40. 3, 4. Cic. pro Ligario, c. 2. Durior etiam hæc locutio h. l. unde Pichenæ emendatio mihi placeret, ni constans esset scriptura librorum. Plura ad Justin. 28, 4. Wopk.

Egregium vita famaque. Verba *egregium, occultum, subdolum*, commode atque eleganter referri ad τὸ *tempus* docuimus Obs. 1, 2. Gron. Non hoc ceperat Pichena, qui legendum putabat *egregius.... occultus ac subdolus*, nec Acidalius, qui refere-

ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre : intestabilis sævitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit timuitve : postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, postquam, remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur.

bat ad *illi* et dabat *egregio....occulto ac subdolo.*

Intestabilis sævitia. Muretus *inde stabilis sævitia* : tum vagum inter bona malaque fuisse, mox in sævitia stabilem et firmum. Adde 5, 3. Sed cave vel sic vel quidquam mutes : nam *intestabilis*, detestabilis. Gron. Sic dicitur supra c. 40. Ern.

— * *Utebatur.* Sic Curt. 8, 8.

VOLUMINIS PRIMI FINIS.